


Acta eruditorum Lipsiensia, anno 1682 à 1776

Digitized by Google

Hi 9585

UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK GENT

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ACTA
ERUDITORUM
ANNO
M DCC XVI
publicata.

Cum S. Cæſareæ Majeſtatis & Regis Pol. atque Electoris Saxoniæ Privilegiis.

LIPSIÆ.

Proſtant apud JOH. GROSSII Hæredes,
JOH. FRID. GLEDITSCH & FIL.
THOMAM FRITSCHIUM
&
FRID. GROSCHUF.

Typis JOH. CASP. MULLERI.
A. M DCC XVI.

Digitized by Google

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Januarii, Anno M DCC XVI.

PHORONOMIA SEU DE VIRIBUS ET MOtibus corporum ſolidorum & fluidorum Libri duo; Autore JACOBO HERMNNO, Baſil. antehac in illuſtri Patavino Lyceo, nunc vero in Regio Viadrino Math. Prof. Ord. & Regiæ Scientiarum Societatis, quæ Berolini eſt, Sodali.

Amſtelodami, apud Rod. & Gerh. Wetſtenios H. F. F. 1716, in 4 reg.

Alph. 2 plag. 7 Tab. æn. II.

PAucos habemus libros in quibus tantum reconditæ Matheſeos contineatur. Autor celeberrimus & acutiſſimus hic complexus eſt complures egregias meditationes pro bona parte huc usque latentes, tum ſuas proprias, tum Celeberrimorum Bernoulliorum fratrum, ſed maxime Johannis, qui mirifice hæc ſtudia provexit. Ipſorum inventa ſuis nunc egregie auxit, nunc haud parum faciliora reddidit; multa etiam, quæ a famigeratiſſimo Newtono reperta ſunt, ipſe alia via, eaque non raro faciliore eſt conſecutus, quædam etiam Newtoniana promovit. Ipſe in præfatione memorat, ſe initio in motibus fluidorum explicandis fuiſſe verſatum, & Archimedis, Galilæi, Torricellii, Paſcalii, Caſtelli, Hugenii, Leibnitii, Newtoni, Bernoulliorum, Varignoniique in hanc doctrinam merita laudat, ſed animadvertiſſe ſe ait, non poſſe feliciter tractari motus fluidorum, niſi præmittatur doctrina de motu ſolidorum. Hunc ergo tractat Libro primo, & motum fluidorum Libro ſecundo.

Digitized by Google

Librum primum in *duas* dividit *ſectiones*, prior verſatur circa ſolicitationes & ſpeciatim gravitationes ſolidorum, poſterior circa accelerationes ex iis ortas; ita prior agit de *vi mortua* poſterior de *viva*. Nempe in *prænotandis* ex doctrina Leibnitiana vim motricem diſtinxit in mortuam, quam cum Leibnitio *ſolicitationem* appellat; & vivam, quam & *vim* ſimpliciter vocat; quæ tractu temporis per accelerationem ex ſolicitationibus continuatis oritur, & ſemper in motu actuali conſiſtit; quod de ſolicitatione dici nequit, etſi & ipſa ſemper ex motu aliquo actuali, (ſed nondum eo ad quem ſolicitatur mobile) oriatur. Ibi etiam obſervat regulam, quod actioni æqualis ſit reactio, conſequi ex *inertia materiæ* a Keplero primum obſervata. Per *vacuum* intelligit locum qui motui non reſiſtit. Porro *ſectione prima*, ubi de ſolicitationibus agit, affert & probat *Theorema fundamentale compoſitionis tendentiarum* (id eſt, *vel ſolicitationum vel motuum*) a Leibnitio inventum, & in Diario Eruditorum Pariſino 7 Sept. 1693. editum, quod non tantum finitas ſed & infinitas ſolicitationes vel tendentias in unam *mediam directionem* tendentiamque *integralem* componere docet, & ita mirifici eſt uſus ad motuum æſtimationem; quia in naturæ operibus ſæpiſſime res æſtimandæ ſunt ex compoſitione infinitorum elementorum; dum quodlibet punctum extenſi, quodlibet momentum temporis, quilibet gradus in motu, ſuam peculiarem conſiderationem poſtulat. Inde multa præclara deducit Autor noſter circa omne genus æquilibrii, ſive gravitas vulgari modo concipiatur ut ſit uniformis, & conſtet directionibus parallelis; ſive directiones tendant ad centrum, & gravitationes varient pro diſtantia a centro. Et ex hac doctrina compoſitarum ſolicitationum inopinato incidit in demonſtrationem directam & immediatam Regulæ æquilibrii Archimedeæ, a variis varie tentatam. Ita veritates veritatibus pulchre reſpondent. Affert ulterius theoremata nova & generalia circa medias directiones potentiarum ſecundum directiones quaſcunque in lineas inflexiles agentium, quæ deinceps ſolidis ipſis figuris applicat, cum eæ a potentiis ſecundum directiones ſuperficiei normales urgentur. Atque hæc primum, ut par eſt, tractat

tractat in corporibus rigidis; deinde procedit ad corpus, quale eſt filum, quod ponit eſſe flexile, ſed non extendibile. Et theorema demonſtrat itidem generale circa figuram lineæ flexilis a potentiis quibusvis ſecundum directiones quascunque in eam agentibus, ex quo tam linea catenaria quam velaria, & figura etiam lintei ab incumbente liquore inflexi, tanquam caſus ſpeciales, facile determinantur.

Sectione Secunda agit de motibus, qui ex continuatis ſolicitationibus oriuntur, & quidem ſolicitationes appellat centrales, quæ ab aliis vires centripetæ (aut centrifugæ) appellari ſolent, & *ſcalas* quasdam tam ſolicitationum variantium, quam celeritatum, & momentorum concipit, id eſt, lineas quarum ordinatæ variationibus illis reſpondent, & in omni poſſibili ſolicitationum centralium ſeu (ſpecialius) gravitationum hypotheſi, hanc regulam generalem oſtendit §. 141: *Corpora recta in altum lata, vel in curvis quibuscunque aſcendentia ad eam ipſam altitudinem in vacuo aſcendunt; quam ubi deſcendendo percurrunt, celeritatem acquirunt initiali æqualem.* Idemque *celeritates in diverſis planorum vel curvarum inclinationibus deſcenſu acquiſitæ æquales ſunt in omni gravitatis hypotheſi, ſi planorum vel curvarum elevationes æquales fuerint.* Quod Galilæus in communi ſeu ſimpliciſſima hypotheſi demonſtrare conatus eſt non optimo ſucceſſu, ſed demonſtrarunt Torricellius & Hugenius. Oſtendit etiam quasdam Hypotheſes eſſe impoſſibiles & imaginarias, etſi prima fronte tales non eſſe videantur; qualis eſt Baliani, ut celeritates acquiſitæ ſint velut ſpatia confecta; & ſimul indicia exhibet, quibus impoſſibiles hypotheſes dignoſci queant. Explicat etiam, quales lineæ curvæ ex projectione gravium oriantur; in quo ingenioſiſſimus Newtonus cœpta a Galilæo feliciter perſecutus eſt. Nam Galilæus conſideravit Gravitates (ut vulgo ſumuntur) uniformes in quacunque a centro diſtantia: at Newtonus conſideravit etiam gravitationes pro diſtantia a centro variantes, invenitque eas in Sectionibus Conicis juxta reciprocam duplicatam rationem diſtantiarum ab alterutro foco procedere, quod in ejus Principiis Naturæ Mathematicis præcipuum eſt.

 Elegan-

Digitized by Google

Elegantia etiam & generalia pro omni hypotheſi theoremata invenit Joh. Bernoullius quorum hic ratio redditur §. 156. Solvitur etiam problema generale §. 162, datis ſcala ſolicitationum centralium, celeritate primi jactus, ejusque directione, conſtruere curvam quam miſſile in vacuo deſcribet, conceſſis figurarum quadraturis, quod diverſis etiam modis Newtonus, Joh. Bernoullius, Varignonius & ipſemet Autor in Diario Veneto Tom. 5 p. 318 & Tom. 7 p. 194 ſunt conſecuti; & ſpeciatim hic exhibet canonem pro curvis Algebraicis §. 167, cujus beneficio oſtendit §. 170, quod ſi gravitationes ſint in quacunque multiplicata vel ſubmultiplicata ratione diſtantiarum, unico caſu excepto, ſemper prodire curvas algebraicas ex §. 168 facile eliciendas.

Tractat etiam de Motu Iſochrono corporum in quacunque gravitatis hypotheſi, & de motu atque oſcillationibus pendulorum, ubi notat in Scholio poſt §. 182, primum Hugenium conatuum centrifugorum, qui ſpecies ſunt ſolicitationum ſeu virium mortuarum, theoriam aperuiſſe, ejusque theoremata ſine demonſtratione propoſita omnia demonſtraſſe Dn. Marchionem Hoſpitalium. Problema etiam ab *hoc ſolutum* alia ratione ſolvit, nempe curvæ ejus conditionis, ut in ea deſcendens grave punctum motu naturaliter accelerato eandem curvam in ſingulis punctis premat vi ubique æquali ponderi corporis abſoluto: ſed inprimis notatu digna ſunt quæ affert de motu abſidum in orbibus mobilibus, de quibus jam aliquid in Miſcellaneis Berolinenſibus. Hic igitur a Newtono lib. I ſect. IX Principiorum ope ſeriei infinitæ, exhibita, & a Cl. Davide Gregorio prolixo commentario illuſtrata in Elementis Aſtronomiæ lib. 4 ſect. 2 alio modo facillimo per Canonem generalem conſequitur §. 195. Porro Hugenius etiam primus doctrinam centri oſcillationis in tractatu de Horologio oſcillatorio aperuerat; ſed poſtulaverat, ut ſibi concederetur, *centrum commune gravitatis omnium compoſiti cujuscunque penduli partium non poſſe altius aſſurgere, cum unaquæque particula diffracto vinculo quo cum reliquis connexa erat, ea celeritate aſcenſum ſuum liberum incipiet, quam junctim cum reliquis deſcendendo acquiſierat; quam unde delapſum erat deſcenſu totius pendu-*

du-

duli compoſiti. Jac. Bernoullius alia via longitudinem penduli ſimplicis compoſito Iſochroni determinans demonſtrationem poſtulati Hugeniani inde deduxit, ſed tantum in hypotheſi gravitatis in ſingulas penduli partes uniformiter agentis. Hic idem generaliter in omni hypotheſi probatur §. 197 ſeqq. oſtenditur etiam §. 210 identitas centri oſcillationis & percuſſionis eo caſu, quo ſingularum penduli compoſiti partium pondera maſſis earundem proportionalia ſunt, cum §. 209 caſum exhibuiſſet, ubi differunt.

Antequam finiat Librum primum, & materiam de motu ſolidorum, agit *capite Libri primi ſexto ſeu ultimo de regulis motus in colliſione corporum ſolidorum.* Utitur hic principiis Leibnitianis, & tanquam hypotheſin aſſumit §. 218, cum corpora actuoſa inter ſe colliduntur, eandem manere vim eorum abſolutam poſt conflictum quæ erat ante eundem conflictum. Hæc hypotheſis eſt caſus quidam regulæ Leibnitianæ generaliſſimæ, quod effectus integer ſit ſemper potentia æqualis cauſæ ſuæ plenæ; quod licet ad corpora actuoſa hic reſtringi videatur, ſeu Elaſtica; id eſt, quæ corpora alia a ſe repellere poſſunt ea vi qua compreſſa fuerunt: agnoſcit tamen Autor noſter, Corpora quæ inertia appellat, ſeu quæ hæc non videntur præſtare, fortaſſe actuoſa eſſe in ſuis Elementis. Nempe Leibnitii ſententia eſt, corpora quæ partem virium abſorbent, eam non perdere vel extinguere, ſed recipere in motus ſuos inteſtinos. Itaque ſecundum ipſum, etſi non eadem manet quantitas motus in mundo (eo ſcilicet modo quo quantitas motus a Carteſio & aliis poſt ipſum æſtimari ſolet) tamen eadem ſemper (naturaliter) manet in eo quantitas virium abſolutarum; atque in ea re diſſentit a Celeberrimo Newtono, qui nuper in Optico Opere p. 343 editionis Latinæ ſtatuit, motum naturaliter imminutum iri, immo ceſſaturum in natura, niſi per peculiaria quædam principia actuoſa repararetur. At Leibnitius putat non opus eſſe talibus principiis, neque ea locum habere poſſe ſine miraculo, ad quod ſine neceſſitate in explicandis naturæ phænomenis non ſit recurrendum. Nobis digna hæc quæſtio videtur, quæ a Philoſophis & Mathematicis profundioribus amplius expendatur.

Digitized by Google

Cum etiam Leibnitius vim abſolutam corporis gravis commode æſtimari poſſe putet ex altitudine ad quam ope ejus motu a gravitate retardato aſcendere poteſt, id Autor noſter hic probat, & a ſe demonſtrari poſſe ait. Atque ita exponit regulas concurſuum inter corpora tam actuoſa quam inertia, & §. 236 numeros quosdam corrigit in tractatus poſthumi de motu corporum ex percuſſione Hugeniani poſtrema propoſitione poſitos, ſive calculi ſive tranſcriptorum lapſu corruptos.

Liber ſecundus conſtat quatuor Sectionibus, quarum prima agit de viribus fluidorum a gravitate, ſecunda de motibus aquarum in tubis aut alveis, tertia de percuſſionibus inter fluida & ſolida; ſectio quarta de mediorum reſiſtentia; ſectio quinta denique continet Miſcellanea quædam. *Sectione prima* conſiderat §. 249, corpora premi ab aliis ſecundum lineas perpendiculares ad plana contingentia, explicat deinde æquilibrium liquorum, eorumque preſſionem in ſubjecta plana, atque etiam in vaſium latera, ubi de tuborum firmitatibus agit. Putat autem reſiſtentias tuborum eſſe in ſimplice ratione craſſitierum cæteris exiſtentibus paribus, cum Dn. Olaus Romerus eam putarit eſſe in ratione duplicata, vid. §. 227. Deinde de *inſidentibus humido*, & inſtrumentis agit, quibus gravitas liquorum ſpecifica exploratur; & oſtendit, Franciſci de Lanis inventum navis in aere natantis in praxin deduci non poſſe. Miratur etiam §. 306, Dn. Parent ad æſtimandam firmitatem tuborum adhibere rationem diametri ad circumferentiam. Tractat etiam de figuris quæ liquida ſtagnantia dare poſſunt corporibus flexilibus, & æſtimat §. 307, quæ ſit figura quam linteo det liquor incumbens. Notat, veteres male ſibi perſuaſiſſe, aerem ponderari poſſe ope differentiæ ponderis inter utrem inflatum & flaccidum, quod Dn. Jac. Bernoullius in Actis noſtris 1685 p. 436 optime refutarit. Explicat hic naturam antliæ Cteſibianæ §. 318 & ſiphonum ſugentium §. 319. Et conſenſu ingenioſiſſimi Dn. Johannis Bernoullii publicat §. 324 novum ejus Barometrum communi exactius, cujus conſtructionem, nondum alibi publicatam, hinc deſumtam, recenſioni hujus operis ſubjiciemus.

Agens deinde de Elaſticitate aeris, obſervat §. 326, objectionem

nem

Digitized by Google

nem Domini Parent in Hiſtoria Academiæ Scientiarum Regiæ Anni 1708 non tam contra ipſam dirigi, quam contra modum eam explicandi per ſpiras contortas. Effectus etiam Antliæ Pneumaticæ qua aer ex recipiente exhauritur, ad calculum revocat §. 331 ſeqq. Et cum quæritur, utrum denſitates aeris ſint viribus prementibus proportionales, meminit §. 347 hypotheſis Leibnitianæ, quod deviatio ſi qua notabilis ab hac proportione reperiatur, tribuenda ſit partibus incomprimibilibus ſeu vis elaſticæ notabilis expertibus, in aere fluitantibus. Denſitates etiam aeris Autor §. 359 ſeqq. æſtimat in diverſis atmoſphæræ locis, ſecundum omnem poſſibilem elaſticitatum hypotheſin. Et §. 370 ſeqq. agit de diverſa preſſione Hydrargyri in locis diverſimode ſuper horizontem elevatis, & Dnn. Mariotti & Maraldi ea de re obſervationes refert, atque in horum calculo difficultates notat §. 372, 375, 380.

In *Sectione ſecunda* de Motibus Aquarum, ait, Celeb. Varignonium præclara atque univerſalia theoremata exhibuiſſe, quibusvis liquoribus applicabilia, & ſimplicibus formulis, velut Iliada nuci, incluſiſſe. Itaque §. 384 ſeqq. de motibus liquorum per minora foramina erumpentium agit, & §. 405 refert, Dn. Guilielminum in tr. de menſura aquarum fluentium, Miſcellaneis Phyſico-Mathematicis a P. Gaudentio Roberto editis inſerto, obſervationes circa fluxum aquæ per foramina dediſſe, & Tabulam multo labore condidiſſe, ſed oſtenditur hic Tabula nulla opus eſſe & rem facili calculo poſſe obtineri. Inde agitur de fluminum curſu, & §. 416 pendulo pondere in aquam immiſſo, ex angulo fili declinantis a linea verticali celeritatem aquæ currentis æſtimatur, explicatur etiam §. 419 Cataracta ſeu Regulator quo Caſtellus pro fluviis mediocris altitudinis & latitudinis uſus eſt ad fluminis curſum æſtimandum.

Sectio tertia agit de vi fluidi in ſolidum impingentis. Et §. 430 explicatur vis clavi ſeu gubernaculi, & §. 433 agitur de molis alatis quas ventus circumagit & de reſiſtentiis figurarum in fluidis motarum; ubi Autor oſtendit §. 439, reſiſtentiam quadrati juxta directionem lateris in fluido delati, eſſe ad reſiſtentiam ejusdem ſed in directione diagonalis pari celeritate in-

ce-

cedentis, ut diameter quadrati eſt ad ejus latus. Ubi & reſiſtentiam quam aſſignat ſectionibus Conicis eam eſſe invenit, quam dederat jam Dn. Jac. Bernoullius in Actis Eruditorum 1693 p. 253. Et §. 447 quædam determinat quæ Schol. poſt prop. 35 lib. 2 Principiorum Newtoni conſentiunt, & quæ de ſolido minimæ reſiſtentiæ oſtendit §. 449, conſentiunt ſolutioni Dn. Joh. Bernoullii in Actis Eruditorum 1699 p. 515, quibus & Dn. Marchionis Hoſpitalii ſolutio congrua eſt. Evolvit itidem §. 451 ſeqq. elegans problema inveniendi mediam directionem fluidi figuræ cuicunque in eo latæ allabentis. Aggreſſus deinde lineam *velariam*, notat, etſi eadem ſit cum *Catenaria* non tamen ideo qui Catenariam invenit exiſtimandum ſolviſſe problema Velariæ, quemadmodum ſibi perſuaſerit Cl. Dn. David Gregorius in ſua Catenaria Coroll. 7 poſt prop. 2, quando ait: *ſi loco gravitatis alia qualibet vis ſimiliter agens in lineam flexilem vires ſuas exerat, eadem producetur linea, v. g. ſi ventus æquabilis ſupponatur, & ſecundum rectas datæ poſitione rectæ parallelas ſpirans, linea vento inflata eadem erit cum Catenaria.* Hic Dn. Autor negat ſimiliter agere ventum & gravitatem, quia ex gravitate partes catenariæ deſcendere conantur juxta directiones horizonti perpendiculares, ſed ventus agit in velariam ſecundum directiones perpendiculares curvæ elementis. Itaque coincidentia harum duarum linearum tam facile prævideri non poteſt. Et ea quæ de Catenaria demonſtrantur, non magis velariæ quadrant, quam analyſis curvæ lintei convenire poteſt indagini curvæ Elaſticæ, etſi notante Cl. Jac. Bernoullio, elaſtica eadem ſit cum curva lintei.

Sectio quarta habet complura quæ circa mediorum reſiſtentiam Hugenii, Walliſii, Leibnitii, & Newtoni meditatis ad amuſſim conſentiunt, utiturque Autor principio ſequenti: momentum ſolicitationis (id eſt, §. 123, factum ex ſolicitatione in ſpatium elementare quod per eam percurritur) æquivalere momento celeritatis (id eſt, ut ipſe interpretatur §. 125, facto ex celeritate mobilis in celeritatis elementum.) Explicat igitur §. 495 ſeqq. quid oriatur medio reſiſtente in ratione celeritatum mobilis vel §. 522 ſeqq. in ratione duplicata celeritatum vel §. 540 ſeqq.

Digitized by Google

ſeqq. ex ambobus capitibus ſimul, cum fluida habent quandam viſciditatem. Et poſt celebriores reſiſtentiæ hypotheſes ſic expoſitas, §. 563 tradit canonem generalem pro hypotheſi quacunque. Et oſtendit §. 579, poſſe talem denſitatis variationem medio tribui, ut in eo grave prorſus ut in vacuo deſcendat. Et §. 602 ſeqq. explicat motum projectorum in aere qui miſſili in duplicata ratione celeritatum reſiſtat, cum directiones non in unum centrum, ſed in lineam eas contingentem concurrunt. Tandem agens de motu navium vento impulſarum, ibi *iter navis permanens* Gallis *la Route* definit lineam quam navis vento impulſa in mari permanenter deſcribit abſque rotatione circa ſe ipſam; *Axis navis* Gallis *la Quille* eſt ſpina carinæ, cui inſeritur ſtereobates mali principis. *Deviatio*, Gallis *la Derive*, eſt recta ex quolibet itineris manentis puncto ad axem navis productum perpendiculariter demiſſa. *Angulus deviationis* (*l'Angle de la Derive*) eſt angulus quem iter navis permanens cum axe navis continet. Autor deinde mediam directionem, ex venti impreſſionibus, iterque ac celeritatem navis determinat.

Supereſt *Sectio quinta* ſeu Miſcellanea, ibi agens de motu circulari liquorum definit §. 630 ſeqq. quæ futura eſſet figura globi terræ, ſi totus aqua cooperiretur, atque ideo propter motum majorem fluidi verſus æquatorem, ibi intumeſceret in ſphæroidis cujusdam genus; ubi oſtendit futurum ſic ut grave non tendat præciſe ad telluris centrum. Et §. 641 cum Hugenio (Diſſ. de cauſa gravitatis) determinat rationem gravitatis abſolutæ ad conatum centrifugum ſub æquatore eſſe ut 289 ad 1, quam etiam Newtonus in noviſſima editione Principiorum Cantabrigienſi p. 379 exhibuit. Notatque §. 642, Newtonum non determinata curvæ ſuæ ſeu ſectionis telluris per axem ſpecie multiplici uſum calculo in prima editione Principiorum §. 424 inveniſſe diametrum terræ ſecundum æquatorem ad diametrum per polos ut 692, a 689, in noviſſima vero editione ut 230 ad 229; at ſecundum Hugenium & Autorem prodit ratio quæ 578 ad 577; ſed ratio differentiæ inde oritur, quod Newtonus ſupponit corporum gravitationes variare ſecundum diſtantias a centro; at hypotheſis Hugeniana nititur gravitate uniformi.

Digitized by Google

Addit p. 644 ex principiis Newtonianis ſectionem telluris per axem fieri Ellipſin Conicam. Cum etiam Noſter quædam de motu vorticis in vaſe incluſi §. 650 dixiſſet; tractat §. 651 ſeqq. de agitatione aeris in productione ſoni, & celeritate qua propagatur; & tandem non nihil agens de motu inteſtino fluidorum ait §. 659, calorem eſſe in ratione compoſita ex denſitate corporis calidi, & duplicata ratione agitationis particularum.

In *Appendice* tandem §. 2 aliter quam Wallifius probat dari centrum gravitatis. Modum etiam oſtendit §. 9 figuram Algebraicam per quotlibet data puncta ducendi, quod aliter fit a Newtono Lemm. 5 lib. 3 Principiorum, ſed ſine analyſi & demonſtratione. Hoc prodeſſe poteſt ad propinquandum quadraturis. §. 10 notat, ſe quidem poſt Varignonium aliosque demonſtraſſe celeritates liquorum ex vaſis erumpentium eſſe in ſubduplicata ratione altitudinis liquorum ſupra foramina emittentia, ſed nondum quenquam demonſtraſſe, aquam aliumve liquorem, ea velocitate ex vaſe erumpere (eadem conſtanter manente aquæ altitudine ſuper foramen) quam aquæ guttula orificio proxima acquirere poteſt caſu accelerato ex altitudine liquoris ſuper orificium; quod principium inſtar *hypotheſeos* ſuppoſuerunt Torricellius, Borellus, Guilielminus aliique, exinde recte deduxerunt aquas eodem tempore per foramina æqualia affluentes, ſeu etiam celeritates effluxas eſſe in ſubduplicata altitudine aquarum ſupra foramina. Sed hæc (inquit) ſuppoſitio tantæ non videtur evidentiæ, ut nulla demonſtratione egeat, nam præterquam quod Celeb. Newtonus prop. 37 lib. 2 Princip. Math. primæ editionis demonſtrare conatur, aquam ea cum velocitate erumpere ex vaſis, qua motu ſuo in altum converſo ad dimidiam altitudinem aquæ ſupra foramen evehi poſſit, ſed quam propoſitionem in noviſſimis editionibus omiſit; Torricellius ſuppoſitioni ſuæ non propter evidentiam, ſed potius propter conſenſum cum experientia acquievit. At Autor noſter demonſtrationem ſubjicit.

JOH. BERNOULLI BAROMETRUM NOVUM communi multo accuratius.

Sit A

Digitized by Google

Digitized by Google

SIt ABC tubus e duobus ramis inæqualium diametrorum compoſitus, figuram gnomonis præ ſe ferens; rami horizontalis BC in C aperti diameter lineam ſeu duodecimam digitis Pariſini partem non excedat; rami vero verticalis AB in ſummitate obſtructi diameter eſto 4 linearum vel amplius adhuc, prout variationum gradus in hoc barometro magis ſenſibiles ſunt exprimendi, & rami hujus altitudo ſit, qualis in baroſcopiis communioribus, 30 aut 31 pollicum; longitudo vero rami horizontalis BC, quæ a proportione diametrorum ramorum pendet, 3 pedum minimum eſſe debet. Si tubo ſic parato Mercurius infundatur, & *ramus ejus horizontalis* pariter plenus ſit Mercurio ad medietatem usque E circiter, aere exiſtente mediæ conſiſtentiæ, habebitur barometrum, quod 16 vicibus magis ſenſibiles exhibebit variationes, quam ordinaria barometra. Liquet enim, quod, deſcendente Mercurio in ramo verticali ex ſpatio unius pollicis, progredietur in ramo horizontali ex E in F per ſpatium 16 pollicum; nam ramus verticalis aliud non eſt, quam ſimplex ſeu commune baroſcopium. TAB. I. Fig. 1.

Quodſi vero ramus horizontalis anguſtior aut verticalis amplior fieret, nemo non videt fore, ut variationes creſcant in duplicata ratione diametrorum, adeo ut hæ variationes in infinitum magis magisque ſenſibiles reddi queant. Sed quia praxis talia ſemper incommoda ſecum trahere ſolet, quæ theoriæ ſucceſſum difficilem efficiant, nimia eſt fugienda horizontalis rami anguſtia, quia aeris preſſio non ſatis commode agit in tubo valde anguſto, nec in eo Mercurius facile movetur. Horizontali igitur ramo vix minor quam unius lineæ diameter tribui debet. Propterea, loco imminutionis ejus diametri, ſatius eſt verticalem ramum majoris amplitudinis aſſumere, non quidem per totam ejus longitudinem, ſed tantum in ſummitate, addendo ſcilicet tubo BM, qui ejusdem ac in vulgaribus barometris craſſitiei eſſe poteſt, capſulam vitream AM, in qua Mercurius perinde ac in Hugenii geminato deſcendet atque aſcendet. Verum exiſtente hac capſula valde laxa, inſignis rami horizontalis longitudo, quæ hoc caſu requiritur, inſtrumentum inconcinnum uſuique parum accommodatum redderet, niſi incommodo iſti Fig. 2.

 prom-

promptum eſſet remedium, contorquendo ramum horizontalem in ſpiralem vel quoquo alio modo in minus ſpatium redigendo flexuris illis, quas Figura 3 exhibet, dummodo hæ flexuræ omnes in eodem plano horizontali exiſtant.

TAB. I. Fig. 3.

Ad commodiorem hujus Barometri impletionem non abs re fore notat Autor, ſi ramus perpendicularis AB in exiguum tubulum in L apertum deſinat, ita ut per ejus orificium argentum vivum infundi poſſit, dumq; orificium rami horizontalis C obſtructum tenetur. Ambobus ramis hoc pacto impletis orificium L hermetice eſt ſigillandum & obturamentum, quo orificium C obſtruebatur, demendum, ut argentum vivum in verticali tubo A B ad conſuetam in communioribus barometris altitudinem ſe demittere poſſit ſcilicet ad terminum D, & ex horizontali ramo ſuperfluus effluere hydrargyrus; ſed quia hac ratione ramus horizontalis Mercurii plenus manebit, ſuctione pars ejus conveniens eſt adimenda vel beneficio tubi capillaris ampullula inſtructi, quæ calefacta atque tubo horizontali intruſa atque in eo refrigeſcens Mercurium in ſuam cavitatem trahet. Hac ratione barometrum conſtructum uſuique paratum erit.

Cæterum non inutile fuerit, ſi tubus verticalis in loco, quo horizontali jungitur, exigua curvatura inſtar receptaculi H inſtruatur, ad impediendum ex horizontali in verticalem ramum aeris ingreſſum, ſi quando horizontalem forte Mercurius deficeret, aut fortaſſe etiam ex nimia atmoſphæræ preſſione ſeu a vibrationibus Mercurii ex translatione barometri de loco in locum orta, quod poſtremum inconveniens ſi non tolli penitus, ſaltem obſtruendo orificium C, minui poteſt.

Præter ſimplicitatem, qua Bernoullianum iſtud barometrum ſe commendat, aliis inſuper prærogativis præſtare videtur barometris compoſitis hactenus inventis. Nam tubi pro Bernoulliano & facile parantur facileque etiam implentur, nec liquores in eo adhibentur in vapores ſenſibiliter abeuntes, quibus barometri effectus mirum quantum alterari ſolent. Nam in baroſcopio a nobis deſcripto *ſolo* adhibetur Mercuri*o*, qui in vapores ſenſibiliter non ſolvitur. Geminatum vero Hugenii barometrum, præterquam quod tubos requirat ægre parabiles & difficillime liquoribus

bus implendos, liquores depoſcit evaporationi obnoxios, cui incommodo illud etiam quod a Celeberrimo De la Hire ingenioſe excogitatum & in Actis Acad. Reg. Pariſ. Scient. loco jam ſupra indicato ſubjectum eſt, aliudque præterea incommodum ſecum trahit, quod liquores ejusdem ſpecificæ gravitatis ſed impermiſcibiles requirat, alioqui variationes ejus non indefinite augeri poterunt, ſed intra certos terminos conſiſtent quos transgredi nequeunt. Nam vocando ſpecificas gravitates argenti vivi & ex liquoribus in barometro iſto adhibendis gravioris ſcilicet & levioris m, t, p; capſularum vitrearum diametrum a, diametrum tubi anguſtioris b; invenio poſt Clariſſ. Bernoullium, variationes in barometro Hireano ſe habere ad variationes in barometro ordinario ſeu communi, ut quantitas maa ad $2mbb, + (aa - bb.t - p)$. Jam quo minor eſt b quam a, eo propius accedit hæc ratio, rationi m ad $t - p$, quæ limitem exprimit, intra quem variationes barometri a Cl. De la Hire inventi collatæ cum variationibus Barometri communis continentur, quæ data ratio m ad $t - p$ eo ſolum caſu infinita ſit, quo $t = p$, hoc eſt eo caſu, quo liquores in Hireano barometro adhibiti ejusdem ſunt ſpecificæ gravitatis, ſed qui invicem permiſceri nequeant.

Poſteaquam deſcriptio Bernoulliani barometri coram Concilio Academiæ Scientiarum Regiæ Pariſienſis prælecta fuit, nuntiatum eſt Celeb. ejus Autori, ſimilem barometri conſtructionem jam ante complures annos excogitatam fuiſſe a Celeberrimo Aſtronomo Jo. Dominico Caſſino, ſed poſtea neglectam ab ipſo jacuiſſe, quod in praxi non ſucceſſiſſet ob aerem, qui Mercurio in tubo ſeu ramo horizontali ſe miſcuiſſe ejusq; liberum fluxum impediiſſe ſcribitur. Sed quia, quid hac in re laudatus Vir molitus ſit, nusquam memoriæ proditum ſit, nec Bernoullius de ejus tentaminibus quicquam fando audiverit, inventionis laus ipſi denegari non poteſt, maxime quod ejus cum ſucceſſu in Belgio factum eſſe periculum teſtari poteſt; & incommodum illud, quod Caſſino remoram injecit, tolli poſſe arbitratur, tubum horizontalem ſuctione implendo; vel etiamſi compreſſione crumenæ cujusdam coriaceæ argenti vivi plenæque tubi horizontalis orificio applicatæ Mercurius tubo intruſus ad-

 ſcendere

Digitized by Google

ſcendere cogatur usque ad ſummitatem tubi verticalis, orificium ſuperius apertum habentis; hac Mercurii intruſione peracta, & obturato ſummo verticalis tubi orificio, crumena a tubo horizontali eſt removenda, ut argentum vivum in tubo verticali ad conſuetam altitudinem delabi poſſit. Denique ut Mercurii fluxus in tubo horizontali commode fiat, tanta tubo iſti amplitudo eſt tribuenda, quanta opus eſt ut Mercurius in eo contineatur, absque eo ut diffluat.

JOHANNIS VALLERII PROF. MATH. UPſal. Obſervatio Eclipſeos Solaris, quæ Upſaliæ contigit totalis Anno 1715 die 22 April. St. v. horis antemeridianis.

ECLipſin Solis totalem, rarum illud in noſtris terris phænomenon, ſiquidem prævidimus fore cum maxima mora conſpicuam, d. 22 Apr. horis antemeridianis: itaque inſtrumentis idoneis inſtructi conati fuimus nihil quidquam eorum prætermittere, quæ facere arbitrabamur ad accuratam ejus obſervationem.

Ad lineam meridianam ſollicite inventam, repetitisque obſervationibus comprobatam, Sciatericum Horizontale conſtruximus, ea, ut opinor, accuratione, quam polliceri poſſint oculorum acies, circini, ſtylique acumen. Hujus ad præſcriptum, toto ante octiduo, tria direximus Horologia oſcillatoria, optimi generis, a præſtantiſſimis in Europa autoribus confecta; nempe Georgio Paſcalio, Jac. Marckwyk & noſtro Chriſt. Pohlhammar, quæ cum per complures dies ne minuto quidem, neque inter ſe, nec a ſciaterico differrent, ad hanc obſervationem idonea judicavimus.

Quadrantem præterea Aſtonomicum 5 ped. ſemidiametro cum limbo mobili in gradus, minuta prima & ſecunda accurate diviſo, ad Solis altitudinem Lunæque diametrum captandam intra clauſos parietes, demolito tecto collocavimus, ne levis aliqua aura bolidum aquæ innatantium ſitum perpendicularem mutaret. Hujus Quadrantis graduum ſinguli quia exæquant

quant quantitatem unius pollicis cum dimidio, diſtincte exprimere poſſunt diviſionem in minuta prima & ſecunda per limbum mobilem, qui ope cochleæ perennis ad ſingula minuta ſecunda erat verſatilis.

Duos quoque inſtruximus tubos opticos, ad imaginem Solis obſcuratam excipiendam, alterum 26 ped. longitudine, opera & ſtudio Mareſcalli, in arte expoliendorum ſpecillorum peritiſſimi Angli, elaboratum; rati ex Solis diſco pedalis diametri, facilius nos poſſe initium & finem obſcurationis obſervare. Alterum vero tripedalem duabus quoque lentibus convexis armatum, qui 4 pollicum diametro reddidit nobis effigiem Solis, in tabula, 6 ſuis circulis concentricis notata, ſpectabilem; præſertim quia ſpectator pallio caput ſuum & tabulam depicti Solis involvendo cameræ obſcuræ ſpeciem haud incongrue imitabatur.

Parata quoque habuimus duo ſpecula cauſtica, alterum duorum, alterum trium pedum ſemidiametro, cum in finem, ut ad datas chronometri vibrationes complicatæ papyri certum paginarum numerum igne focali perforando, æſtimaremus incrementa & decrementa caloris ſolaris, & ſimul conjicere poſſemus, quantum terris officiant interdum maculæ ſolares, quæ multum luminis intercipiunt. Verum raræ nubes intendentes ſe ſubinde cœlo, ventus impetuoſior & obſervantium inconſtantia hos conatus optato deſtituerunt ſucceſſu.

Thermometro igitur experti fuimus aeris mutationem, qualem infra adſcripſimus ſingulis horis earumque quadris, æſtimare. Thermometrum nobis non clauſum erat, uti communiter fieri ſolet, ſed in inferiori parte apertum; hujuſmodi genera gradibus frigoris & caloris dignoſcendis accomoda eſſe, & omnibus aeris mutationibus obnoxia ſæpius animadvertimus.

Altitudo tubi erat tripedalis, diameter vero ad globum ſuperiorem, ut 1 ad 10, unde omnis mutationis impatiens etiam Sphæram activitatis manus calidæ ad pedis diſtantiam prodidit. Tubus diviſus eſt in 1000 partes æquales ita ut numeri in tabula expreſſi ſint numeratores denominatoris 1000.

Idem

Digitized by Google

Idem quoque judicium eſſe debet de numeris, quibus deſcenſus Mercurii in barometro indicatur, pollex nempe Anglicanus inter 29 & 30 diviſus eſt in partes 100, qui denominator eſt numerorum adſcriptorum.

Cum jam illuxiſſet tot votis expetitus dies 22 Aprilis St. v. ſerenum nulliſque maculis fucatum erat cœlum ad horam usque octavam matutinam: a quo tempore in nebulas coire cœpit aer, atque ingrato ſpectaculo ſenſim eripere oculis noſtris Solem deliquio propinquum: quem avidi omnes vel per aquam vel vitrum coloratum, vel perforatam papyrum, vel nudis oculis inter nebulas intuebamur errantem: nam tuborum, propter debile Solis lumen & vix ſenſibilem corporum umbram, exiguus tum erat uſus: itaque initium eclipſeos certius a nobis æſtimari non potuit quam nudis oculis; quando per rariores nubes deprehendimus Solis partem occidentaliorem aliquid de rotunditate ſua amittere.

TAB. I. Fig. 4. Diſſipatis ſenſim nubeculis ſingulasque decreſcentis Solis phaſes, in digitos diviſas, notavimus deſcripſimusque, donec circa horam II exigua quædam Solis particula ad inſtar veneris veſpere lucentis remanſiſſet; quæ quoque dicto citius diſparuit.

Debilem antea & maligne decreſcentem lucem excipiebant mox denſiſſimæ tenebræ, cum frigore cum, vento, cum horore ſpectantium & trepidatione. Confuſi omnes dignoſcere nos invicem non potuimus, nec indicem horologii ſine accenſa candela diſcernere potis eram: memorant alii Oſcines conticuiſſe, & animalia extra urbem ad paſtum emiſſa, repetiiſſe nocturnas ſuas ſtationes, ruri vero tantum fuiſſe trepidationis, quantum

Machina ſi magni rueret convexa Tonantis.

Interea temporis vidimus 3 planetas verſus occidentem in una fere linea conſtitutos, Jovem nempe juxta Solem, interjecto aliquo ſpatio Mercurium, & remotiori intervallo Venerem falcatam; imprimis jucundo nobis ſpectaculo erat ☿, quem alioquin propter durationem crepuſculorum in borealioribus noſtris terris conſpicere datum non eſt. Vidimus quoque Caſſiopeam, capellam, oculum ♉, orionem, & ſurgentem Sirium.

Videre-

Videremus & plures ſtellas, niſi ſparſæ nubes illarum adſpectum nobis denegaſſent. Sub maxima obſcuratione corpus lunare apparebat globoſum, rude & inæquale, fuſco imbutum colore. Notabile quoque fuit, quod circulus lucidus, qui Lunam, inſtar halonis cingebat, non ejusdem appareret ſplendoris, nam orientem verſus & occidentem illuſtrior erat quam ad boream & auſtrum, pauloque rubicundior videbatur auſtralis ejus pars quam borealis.

Dum huic ſpectaculo partim terribili, partim & admirabili immoramur attoniti, ecce ad inſtar lucidiſſimæ Stellæ reddita eſt nobis particula quædam Solis, quæ inter montes Lunæ occidentaliores nitens tantum lucis attulit, ut in horologio minuta diſcernere poſſem. Itaque reverſus ad tabulam obſervatoriam inter gratulantium ſermones ob redditum Solem, & ſenſim recuperatam lucis caloriſque copiam, Phaſes creſcentis Solis ſingulas ſecundum delineatos digitos notavi deſcripſique.

Altitudo Pol Upſaliæ obſervata Quadrante Aſtronomico $59^\circ\ 51'\ 54''$			
TEMPUS Eclipſeos	Altitudo ſolis obſervata	THERMOmetri variatio	BAROMETRI Deſcenſus.
Initium $9^h\ 47'\ 50''$	$39^\circ\ 36'\ 42''$	458	29 45
		483	
Tota Immerſio $10^h\ 58'\ 15''$	$44^\circ\ 17'\ 29''$	524	
		647	
Media 11 0 19	Diam. ☾ obſer. $33'\ 38''$	653	29 42
		656	
Prim. emerſio 11 2 24	$44^\circ\ 29'\ 3''$	633	
		667	
Finis 11 55 40	$45^\circ\ 42'\ 6''$	403	29 31
		315	
Dur. tot. obſc. 4 9			
Tot. duratio $2^h\ 7'\ 50''$			

Digitized by Google

OBSERVATIONES ALIÆ ECLIPSIS SOLIS quæ Anno 1715 die 3. Maji accidit, in diverſis Europæ locis factæ.

VIr Cl. *Johannes Henricus Hoffmannus*, Aſtronomus Regius, Berolini in obſervatorio Regio d. 3 Maji anno ſuperiori eclipſin Solis ea ratione obſervavit, quæ ex adjecto ſchemate intelligitur. Initium ob cœlum nubilum fuit dubium, medium accidit h. 10, 2′2, finis vero h. 11 34′ 1″. Magnitudo notata 11 præciſe digitorum, proportio diametrorum Solis & Lunæ ut 1000 ad 1045.

TAB. I. Fig. 5.

Pirnæ Cl. *Schmiderus*, Phil. & Med. D. initium annotavit h. 9 15, medium h. 10 30, finem h. 11 32, adeoque durationem integram h. 2 17. Magnitudinem æſtimat 10 digitorum. Species Solis per tubum tripedalem in cameram obſcuram immiſſa, tempus ex horologio ſecundum horologium ſolare directo fuit æſtimatum.

Dantiſci notatæ ſunt phaſes, ut ſequuntur:

Incrementum.			Decrementum.		
Initium h. 9	40′	2″	Obſcuratio maxima & decrementa priora inter nubes dubia		
½ Dig.	43	32	7 Digit. h. 11	19′	53″
1 Dig.	45	51	6½	23	16
1½ Dig.	47	56	6	27	0
2 Dig.	50	31	5½	30	3
2½ Dig.	53	57	5	33	3
3 Dig.	56	59	4½	36	25
3½ Dig.	59	47	3	45	58
Nubes intervenere			2½	48	15
7 Dig. h. 10	21	17	2	50	40
8 Dig.	26	55	1½	53	49
8½ Dig.	30	14	1	56	49
9 Dig.	33	50	½	59	21
10	40	50	Finis h. 12	2	40
10⅔	46	25			

Warſaviæ initium accidit h. 9 49′, medium & finis ob nubes obſervari non potuit. Incrementi phaſes annotatæ ſunt.

1. Dig. h. 9.	55′	30″
2	10. 0	30
3	6	0

518 30

5	18′	30″
6	25	30
8	38	30
9	46	0
10	57	0

Circa decrementum pauciores obſervari permiſit cœli inclementia. Nempe 8 ½ Dig. obſcurati adhuc fuere h. 11 19′, 7. dig. h. 11 29′ 30″, 6 dig. h. 11 35′ 30″ & 5 dig. h. 11 42′.

Parmæ admodum Reverendus P. *Achilles Beccadelli* Soc. Jeſu, Publicus Mathematum Lector, ſequentia annotavit.

Temp. P. M. Diei 2 Maji Horol. oſcillat Cycloidale.			*Digiti* eclipti-ci.	⊙ Circumferentia deficiens		In Heliometro cujus radius Palm. Rom. 22 ½ Ing. Cor. { Limb. ſup. 55416, Infer. 56624
Ho.	1.	11		0.	1.	
20.	45.	5	Initium			Diam. App. ⊙ 31′. 33″
	55.	16	2	64.	30	
21.	1.	48	3	77.	--	Diam. App. ☽ ex Phaſibus obſervationis,
--	4.	48	4	96.	--	
--		45	6	121.	-	aliquando 33′. 5″
--	23.	3	7	137.	--	alias 32′. 49″
--	34.	43		45.	0	
-	45.	44	9	155.	--	Initium auctum intra duo ſecunda temporis.
--	51.	35	9 1/5	163.	--	
22.	8.	40	8	150.	--	Finis aliquanto tardior hora notata tribus ad ſummum 2. ſecundis: nubes enim illum omnino exacte obſervare vetarunt.
--	3.	5	7	136.	--	
--	24.	53	6	125.	--	
--	30.	49	5	114.	--	
--	37.	52	4	100.	--	
--	46.	19	3	82.	--	
--	52.	8	2	67.	--	
--	58	12	1	47.	30	
23.	4.	45	finis			

DE L' EXCELLENCE DE LA RELIGION &c.

hoc eſt,

DE EXCELLENTIA RELIGIONIS TRACTATUS, cui accedunt quatuor diſcurſus, 1. de veris & falſis characteribus amoris divini, 2. de officiis Chriſtianorum erga inimicos, 3. de Martyrio & 4. de Mendacio. Autore JACOBO BERNHARDO, Philoſ. ac Math. in Univ. Lugd. Prof & Eccl. Wallon. Paſt.

Amſtelodami, apud R. & G. VVetſtenios, 1714, 8.

Alph. 2 plag. 9.

VIr illuſtris atque acutiſſimus *Leibnitius* in præfatione operis Theodiceæ excellentis (quemadmodum notatum eſt in Actis A. *1711* p. *114*) monuit, Deum non tantum eſſe objectum timoris ac venerationis ſed & amoris atque voluptatis: quod poſterius cum vulgo in praxi non ſatis attendatur, religionem Chriſtianam neſcio quod jugum reputantibus plerisque, non inutilem ſane operam ſumſit Cl: *Bernhardus*, dum evincere conatur, religionem & Deum propter eandem eſſe amabilem, modo rite cognoſcatur. Ceterum repetere noluit, quæ de veritate hujus religionis jam ab aliis ingeniis excellentibus abunde dicta ſunt; nec argumenta deſumit ex iis, quæ huic vel illi ſectæ propria exiſtunt, ſed ſufficit ea in medium protuliſſe, quæ omnes omnino ſectæ Chriſti nomen profitentes admittant. Confidit tamen, ipſam hanc religionis Chriſtianæ excellentiam de veritate ipſius teſtimonium perhibituram. Monet equidem, in Diario Eruditorum Pariſino editionis Amſtelodamenſis ſe legiſſe titulum libri Anno *1705* Oxoniæ in *12* editi, *Lucrum hominis præcipuum, ſive de Religione Tractatus, dilucide demonſtrans præceptorum Evangelicorum æquitatem &, quod multum conducat debita eorum obſervatio ad ſalutem & felicitatem tam ſocietatum publicarum, quam privatorum hominum;* veruntamen ſimul addit, ſe præter titulum ejus nihil vidiſſe, ut adeo ignoret, utrum aliqua cum eodem communia habeat nec ne.

Dividit Cl. Autor Tractatum ſuum in libros quinque, quorum primo potisſimum evincere conatur juxta dictum *Eliphæ* ad *Jobum* Job. XXII, 2, 3, 4 religionem a Deo homini datam

tam non ob commodum aliquod ſuum, ſed propter hominis emolumentum. Libro ſecundo in ſpecie dogmata conſiderat. Diſtinguit ea in naturalia, quæ beneficio rationis agnoſcuntur, & revelata, quæ ratio detegere non potuit. Revelata ſubdiſtinguit in ea, quæ ratio approbare tenetur, poſtquam revelata ſunt, & in alia, quæ eidem inacceſſa ſunt atque impervia. In numerum dogmatum primi generis refert exiſtentiam & attributa Dei atque providentiam Numinis, & religionem Chriſtianam ideo amabilem pronunciat, quia has veritates rationis non modo probat, ſed iisdem etiam utitur easque in majore luce conſtituit atque ampliat. *Dogmata ſecundi generis* enumerat creationem mundi & ortum humani generis, originem corruptionis humanæ, revelationem miſericordiæ Dei medium invenientis, quo juſtitiæ ſatisfiat, neceſſitatem gratiæ ſupernaturalis, ut homo ex ſtatu corruptionis liberetur, & immortalitatem animæ. Dogmata denique tertii generis cenſet myſteria, h. e. veritates, quæ rationi contrariæ videntur nec a nobis concipiuntur, niſi ſubinde maxime imperfecte, veluti Trinitatem, incarnationem filii Dei, redemtionem generis humani, reſurrectionem mortuorum. Circa hæc dogmata varia annotat, quæ hic recenſere noſtri non eſt inſtituti. Quomodo vero inde religio Chriſtiana amabilis reddatur, ſubinde magis ſupponere, quam exponere videtur, cum attendentibus non ſit obſcurum. Librô tertio ad præcepta progreditur religionis, ob quæ religionem amabilem fieri arbitratur, quia Chriſtus generis humani Salvator eorum autor, quia nonniſi conſilia ſunt nobis perquam ſalutaria etiam in ſtatu peccati & ad felicitatem noſtram tendunt, quia Scriptura elogiis inſignibus eadem mactavit. In ſpecie autem expendit hominis cum erga Deum, tam erga proximum atque ſemet ipſum officia. In illorum numero ſunt agnitio Dei, amor & adoratio ejusdem, preces, gratitudo, ſubmiſſio, timor. Ceterum duas conſtituit præceptorum claſſes, quorum alia ita ſunt comparata, ut eorum æquitatem ipſamet ratio probet, alia vero dura ac difficilia videntur. Ad poſteriorem refert abnegationem ſui ipſius, vi cujus bona, agnatos ipſamque vitam perdere obligamur propter veritatem, tolerationem injuriarum nobis a proximo illatarum

 & di-

Digitized by Google

& dilectionem inimicorum, patientiam ſub cruce: quo faciunt loca Scripturæ Matth. V, 39-45, X, 32 & ſeqq. Rom. XII, 17-21, VI, 7, Matth. V, 29, 30, 1 Cor. IX, 27, XI, 1. Tandem lib. 4 promiſſiones tum in hac vita, tum in morte, tum poſt mortem & comminationes, præſertim pœnarum infernalium, ſub incudem revocat. Probe autem notandum eſt, quod, cum quædam religionis Chriſtianæ dogmata & præcepta horrida primo intuitu videantur, veluti de peccato originis, de rigore juſtitiæ divinæ, de pœnis infernalibus, de cruce fidelium, de tolerantia injuriarum & dilectione inimicorum &c. Noſter multus in eo ſit, ut oſtendat, iis non obſtantibus religionem Chriſtianam amabilem eſſe. Videamus ſpeciminis loco, quænam de labe originali ad poſteros a primis parentibus propagata & de pœnis infernalibus in medium proferat. Urget itaque, quod religio peccatum originis non producat, ſed tantummodo revelet; quod præſtet cognoſcere malum omni in caſu, quam ignorare, ut vel idem patienter tolerare, vel de remedio circumſpicere valeamus; quod denique religio ipſa remedium contra hoc malum ſuppeditet. Eadem fere de pœnis infernalibus inculcat. Libro quinto ad objectiones reſpondet, quæ contra religionem vulgo fieri ſolent, petitas primo a difficultate ſalutis conſequendæ, ab exhortatione Chriſti Matth, VII, 13 & ab aſſerto 1 Petr. IV, 18, atq; tres allegat cauſas, quæ impediunt, quo minus religionem amemus, ignorantiam puta, incredulitatem & corruptionem cordis. Sub finem in duobus ultimis capitibus in compendio repetit, quæ per omnes libros præcedentes diſputata fuere: quæ legiſſe juvabit, ſi quis ideam operis animo concipere voluerit. Hæc pro ratione inſtituti noſtri ſufficiant de opere ipſo: reſtat, ut nonnulla de diſcurſibus adjiciamus.

In diſcurſu primo adſtruere conatur, amoris divini criterium unicum eſſe obſervationem præceptorum Salvatoris noſtri. Ratio eſt, quod hæc obſervatio aliam cauſam habere nequeat, niſi amorem Dei. Omnes enim actiones morales, judice Noſtro, procedunt vel ex amore Dei vel amore proprio & paſſionibus i[illegible]de reſultantibus. Præcepta vero Chriſti ſunt amori proprio adverſa, t veluti de toleratione injuriarum & dilectione inimicorum. Et hæc

hæc quidem inimicorum dilectio argumentum diſcurſus ſecundi præbet. Diſtinguit autem Cl. Autor inimicos in tres claſſes, nempe in particulares, publicos & inimicos Dei. Particulares appellat, qui nos odio proſequuntur. Horum dilectio firmo nititur fundamento, quia odium ipſorum non tollit proximi relationem & quia beneficiis invitantur ad reconciliationem. Per inimicos publicos eos intelligit, quos Latini *hoſtes* vocare ſolent. Erga eos hæc officia commendat, 1 ut precemur Deum, quo ipſos injuſtitiæ ſuæ convincat & ad pœnitentiam perducat: 2 ut hoſti captivo, qui nocere amplius nequit, omnia humanitatis officia exhibeamus: 3 ut condonemus ſubditis Principis injuſti, qui ad bellum, quo nos petit, nihil contribuerunt. Inimicos denique Dei dicit, qui vulgo *hæretici* nuncupantur. Quod præceptum de dilectione inimicorum ad eos etiam extendatur, tum exemplo Samaritani miſericordis, tum precibus Chriſti pro Judæis in cruce effuſis probat. In diſcurſu tertio martyrium falſum a vero ita diſtinguit, quod illud educationi ſoli ſubinde adſcribi poſſit, vel etiam imitationi aliorum, immo pertinaciæ, vanæ laudis cupidini, odio, quo perſecutores proſequimur, & aliis cauſis geminis; hoc vero ex amore Dei oriatur conjunctum cum agnitione ſufficiente veritatis ſalutaris & gaudio inſigni aliisque virtutibus Chriſtiano dignis. In diſcurſu ultimo defendit, nullum mendacium eſſe licitum. Vocat autem mendacium falſiloquium tendens ad proximum decipiendum.

THE HISTORY OF THE LUTHERAN CHURCH.

i. e.

HISTORIA ECCLESIÆ LUTHERANÆ, SIVE Religio GEORGII moderni Britanniæ Regis, conformis Anglicanæ Eccleſiæ Hypotheſibus, ad uniendos omnes Chriſtianos bonos contra Principia Romanæ Eccleſiæ, Joh. Calvini & Theod. Bezæ; Autore quodam Collegii Magdalenenſis Oxoniæ Socio.

Londini, apud Jo. Morphew, 1714, 8.

Plag. dimid. 4½.

A LET-

Digitized by Google

A LETTER TO THE AUTHOR OF THE HISTORY &c.

i. e.

EPISTOLA AD AUTOREM HISTORIÆ Eccleſiæ Lutheranæ, ſcripta a Puero Scholaſtico.

Londini, apud Jo. Morphew. 1714, 8.

Plag. dimid. $5\frac{1}{2}$.

A REVIEW OF THE LUTHERAN PRINCIPLES.

i. e.

REVISIO PRINCIPIORUM LUTHERANOrum, qua oſtenditur, quomodo illa ab Eccleſia Anglicana differant, nec non L. B. PUFENDORFFII Tentamen Unionis Proteſtantium neutiquam Unionem inter Lutheranos & Eccleſiam Anglicanam intendere, ut Titulus poſtremæ Editionis Anglicæ habet, monſtratur in Epiſtola ad Amicum; Autore THOMA BRETT, LL. D. & Rectore Eccleſiæ Betteshangeriæ in Cantia.

Londini, apud Henr. Clements, 1714, 8.

Plag. $3\frac{1}{2}$.

AN EXACT ACCOUNT OF KING GEORGES RELIGION.

i. e.

EXACTA DESCRIPTIO RELIGIONIS GEORGII Regis, cum modo divini cultus in Anglicana & Lutherana Eccleſia, nec non origine prima Religionis Lutheranæ, qua oſtenditur diſcriminis inter Lutheranos & Eccleſiam Anglicanam, nec non alios Proteſtantes diſſentientes, ratio, ſcripta ab Archi-Epiſcopo Eboracenſi.

Londini, apud Jo. Churchill, 1714, 8.

Plag. $\frac{1}{2}$.

Uno

Digitized by Google

UNo conſpectu ſiſtimus Lectori quadrigam exiguorum libellorum,quos Auguſtiſſimi Britanniarum Regis GEORGII, Lutheranæ Eccleſiæ principiis ab ineunte ætate innutriti, ad ſceptrum & Eccleſiam Anglicanam acceſſus, prout quisque animo erga illum affectus fuit, ab his plerisque Anonymis Autoribus viſus eſt efflagitare. Primus ex his Guilielmo Davves,Archi-Epiſcopo Eboracenſi,inſcriptus,multa in fronte ſpondet. Certe animum a Rege non alienum oſtendit, modo, quod titulus magnifice pollicetur, ipſa tractatio reapſe præſtaret. Sed dum Autor prolixe enarrationi Sacrorum Gentilium, Judaicorum, Chriſtianorum, *Mahumetanorum*, *nec* non veritatis Religionis Chriſtianæ defenſioni ad p.10, neſcio qua de cauſa, indulget, deinde brevem Eccleſiæ Anglicanæ, ac Wiclefiſtarum moliminum ad p. 15 nectit Hiſtoriam, tota denique res eo tendit,ut poſt valde jejunam Lutheri biographiam p. 15-17 ſubjungatur brevis XXXIX Articulorum Eccleſiæ Anglicanæ ſynopſis, & cum iis conſenſus Lutheranorum nusquam verbo probatus nude aſſeratur, additaque prolixa deductione officii, quo preces a Chriſtianis pro Principibus quibuscunque fieri par eſt, hæc ad Georgium Regem applicentur, paucis verbis Anglicanæ Eccleſiæ in capitibus cum Romana controverſis cum Lutherana conſenſus ſed leviſſima manu monſtretur, elogioque Georgii libellus finiatur. Quare mirum non eſt, Autori ſecundi Tractatus miſere hunc vapulare, qui, quemadmodum illum aſſumta Pueri ſcholaſtici perſona ſalſe perſtrinxit, ita tamen animum in Eccleſiam Lutheranam, pene etiam dixerim, Regem ipſum non parum iniquum indiciis loquitur manifeſtis. Itaque cum ab initio ἀσυλλογιςίαν illius monſtraſſet, a biographia Lutheri ac levi Anglicanæ Eccleſiæ dogmatum recenſione nihil eum lucratum eſſe oſtendit, & p.22 graviter ei ſuccenſet, aſſerenti,Orbem univerſum noviſſe, Regem eſſe Lutheranum, nam ut fuiſſe quondam, ut Novemvirum Brunſuicenſem, concedat, nunc tamen non alium niſi Defenſorem Fidei Eccleſiæ Anglicanæ agnoſcit. Parum deinde abeſt, quin p. 24 Lutheranis theatrales in divino cultu pompas, Papæas ſuperſtitiones, Reliquias, aliaqve hujus generis cum cenſura immitti tribuat, certe in uſum hoſtiarum in

Euchariſtia absque fractione p. 25, & Regiminis Epiſcopalis in Eccleſia, a quo Lutheranos ob ſecularibus cauſis adhibitos Epiſcopatuum reditus prorſus abhorrere, adeoque Anglicanæ Eccleſiæ irreconciliabiles eſſe dictat, abrogationem p. 26 - 29 acerbe invehitur. Sed & longe gravius in *Ubiquitatis* (quam odioſe vocat & cum Athanaſiano Symbolo pugnare, confuſionem Naturarum in Chriſto invehere, imo *pernicioſam ac damnabilem* doctrinam dicendam totidem verbis aſſerere non dubitat, dogma p. 29-33 detonat, cui *non minus*, ut loquitur, *impiam* ac *blaſphemam* Lutheranorum doctrinam, quam *Conſubſtantiationem* vocat, ſubjungit. Vulgaria ſunt, quibus contra eam pugnat, arma, certe iniquum eſt, quando ipſis Lutheranis hoc, quod vel ipſe *Simplicius Verinus* h.e. *Cl. Salmaſius de Transſubſtantiatione* p. 509 injuria eis adſcribi faſſus eſt, ac a quo certe illi abhorrent, vocabulum tribuit: *This they call Conſubſtantiation*, iniquius vero, cum Lutheranam doctrinam Papiſticæ Transſubſtantiationi comparatam ab Eccleſia Anglicana eodem cum hac Articulo damnatam eſſe contendit. Nec magis æquus eſt tertii Autor libelli, Th. Brett, qui, cum Illuſtris Puſendorffii Jus Feciale divinum in Britannia Anglice translatum denuo vulgatum eſſet hoc titulo: *A View* &c. i.e. *Conſpectus Principiorum Eccleſiarum Lutheranarum, oſtendens, quatenus illæ cum Anglicana Eccleſia conſentiant, opportuno Tentamini uniendorum Proteſtantium poſt felicem Georgii Regis ad Thronum Britanniæ acceſſum*, in hanc novi tituli ſponſionem inquirendum ſibi duxit. Primum itaque in genere contra neceſſitatem utilitatemque unionis hujusmodi quædam monens, docet, Puſendorffium ejus pararium neutiaqum inter Anglicanam Eccleſiam ac Lutheranam, ſed hanc inter & Calvinianam eſſe voluiſſe, cui poſtremæ cum accenſeat Anglicanam Vir Illuſtris, prorſus eum hoſpitem in Anglicanæ Eccleſiæ principiis fuiſſe p. 9 aſſerit. Producit deinde ex ipſo Puſendorffio agnitas ab hoc difficultates in unione iſta procuranda, cumque idem regulam iſtam in uniendis cum Romana Eccleſia Proteſtantibus poſuerit, ubi ſeculares utilitates cum articulis controverſis ſint connexæ, ibi fruſtra finem controverſiæ per ratiocinia & diſputationes exſpectari, eadem ratione irreconciliabilem

liabilem cum reliquis Proteſtantibus, abſorptos Epiſcopales reditus mordicus tenentibus, Anglicanam Eccleſiam pronunciat p.15. Quin & mox, ſalva hujus Eccleſiæ autoritate, ordinationes in reliquis Eccleſiis ſine Epiſcopis factas legitimas cenſeri poſſe p.16.-20 pernegat, de quo antiquos Angliæ Reformatores ne cogitaſſe quidem certum eſt. Potiſſimum autem Lutheranæ Eccleſiæ invidiam, objecta *portentoſa*, ut poſt P. Martyrem loquitur, *Ubiquitate* Corporis Chriſti conflare p.22.-30 nititur, quam non novis tamen argumentis impugnat, Scripturæ, rationi, antiquitati, ignotam imo contrariam, in Lutheri cerebro natum figmentum appellat. Neq; mitius cum Lutheri dogmate de vera & reali ac ſubſtantiali, (*corporalem* præter mentem Lutheranorum dicere maluit Auctor) præſentia corporis & ſanguinis J.C. in S.Cœna agitur, cujus quidem defendendæ cauſa Ubiquitatem eſſe inventam cum P.Martyre docet, cumq; eodem Conſubſtantiationis perpetuo noſtros poſtulat, eamq; idem ait refugium cum transſubſtantiatione in omnipotentia Dei unicum quærere, denique Romanam Eccleſiam cum Lutherana in eo certe convenire affirmat, quod edi ac bibi doceat utraque corpus ac ſanguinem J. C. & quidem ore corporis, quod, inquit, eſt blaſphemia. In Articulo de Prædeſtinatione convenire putat noſter Lutheranos cum Eccleſia Anglicana, certe deſeruiſſe pleroſque Theologorum Anglorum verborum in ipſis articulis rigorem mitiusque longe ſentire, quam illorum verba hac in re ferant, compertum eſt, tantoque magis mirandum, quod p. 45, 46 Haleſii Angli in Synodo Dordracena, cum maxime fervērent Prædeſtinatianæ controverſiæ, atque ipſi Angli Calviniana principia penitus foverent, de Lutheranis lato iniquiſſimo judicio cauſæ ſuæ pigmentum quærat, dubitetque, cum qua parte Lutherani malint uniri, cum Romana Eccleſia, an cum Reformatis? Qualia etiam ſunt, quæ in Appendice addit, a Luthero e Canone N. T. ejectos eſſe Libros, quos Anglicana Eccleſia tanquam Canonicos recipit, criminatus, & imprimis iniquiſſima verborum Joh. Gerhardi in Confeſſ. Cathol. L. II P. II p. 942 interpretatione Lutheranos accuſans, quaſi ipſis doctrina de neceſſitate Baptiſmi in nomine Patris, Filii & Spiritus S. adminiſtran-

Digitized by Google

di abſurda audiat ac erronea, denique magna cautione monens, ne quis ſub Proteſtantium nomine ſibi imponi paſſus, Anglicanam Eccleſiam cum aliis cœtibus Romanæ adverſis confundat. Quarta ſcheda neſcio an non magni Autoris, quem præ ſe fert, abutatur nomine. Adeo jejuna Mart. Lutheri biographia ac ceremoniarum, quibus Eccleſiæ Lutheranæ in cultu divino utuntur, quas & ipſas accuratius noſſe ac diſtinguere par fuerat, cum Liturgia Anglicana comparatione abſolvitur, ac in fine quidem additur, modernum Magnæ Britanniæ Regem eſſe Epiſcopi Oſnabrugenſis filium, ac, ſi Elector Trevirenſis moriatur, ipſum fore Epiſcopum, quo argumento probatur eum ab Hierarchia Epiſcopali non abhorrere. Bene tamen factum, quod vel ab hoc ſaltim Autore concedatur, etſi Anglicana Eccleſia in quibusdam a Luthero differat, eandem tamen ſuam a Papatus tenebris libertatem Luthero omnino debere. Quod non poterat certe Britannis eſſe ignotum, ſi propriæ Reformationis annales voluiſſent conſulere, cognituri inde, quantum Luthero debuerit Cranmerus, quamque adeo ipſa illa de præſentia corporis & ſanguinis J. C. in S. Cœna doctrina, quæ nunc tam odioſis anathematibus proſcinditur, vel Eduardo VI regnante reformatæ jam Anglicanæ Eccleſiæ placuerit, niſi ſubeuntibus cauſis aliis ad Helveticam deinceps tranſilire viſum fuiſſet ſententiam. Certe, qui librum vel in Anglia ipſa rariſſimum, cui titulus: *Catechiſmus, that is to ſay a ſhorte Inſtruction into Chriſtian Religion for the ſingulier commoditye and profyte of children, and yong People, ſet forth by the mooſte reverende Father in God, Thomas Arch-Byshop of Canterbury, Primate of all England, and Metropolitane*, h.e. *Brevis Introductio in Chriſtianam Religionem pro ſingulari commoditate & uſu puerorum & Juvenum, publicata a Maxime Reverendo Patre Thoma Cantuarienſi Præſule*, excuſum a *Gualtero Lynne 1548, in 8* viderit, manibusve triverit, illi dubium eſſe non poteſt, Th. Cranmerum, qui hanc Catecheſin cum aliis compilavit, ſuaq; autoritate Regi Eduardo VI inſcriptam publicavit, pleraque verbotenus ex Catechiſmo Lutheri minori deſumpſiſſe, ac in articulo de Creatione fol. 114 b. & de Cœna Domini f. 235 a. 237 b. 239 b. Lutheranam doctrinam de præſentia corporis & ſanguinis J. C.

in

in S. Cœna, ejusque orali manducatione & bibitione, (*with his bodily mouthe,*) adeo aperte tradidiſſe, ut, qui hanc ex incredulitate negent, Chriſtianos non eſſe aſſerat, totamque de Euchariſtia tractationem his ipſis Catecheſeos Lutheri verbis f. 240 b. comprehendat: *Si e vobis quæratur, quid ſit Communio ſive Cœna Domini? reſpondebitis: Eſt verum corpus & verus ſanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſub pane & vino,* (under the forme of breade and wine) *nobis Chriſtianis ad manducandum & bibendum ab ipſo Chriſto inſtitutum.* Sed de his quidem hic prolixius dicendi non eſt locus; non ingratum tamen fuerit, vetuſtate fere obſitum librum, tribus verbis erudito Orbi in memoriam fuiſſe revocatum & ab oblivione vindicatum.

WHISTON'S DEFENCE OF HIMSELF &c.

i. e.

GUILIELMI WHISTONI APOLOGIA CONtra articulos ipſi a D Johanne Pelling coram Curia Judicum Delegatorum in cauſa Hæreſeos objectos. Præmiſſi ſunt Articuli ipſi.

Londini, apud Jo. Roberts, 1715, 8.
Plag. 12½.

POſtquam Guilielmi Whiſtoni Conamina revocandæ, ut ipſi videtur, antiquæ doctrinæ de Trinitate, de quibus ſæpe in his Actis & prolixe diximus, in Synodo levius tacta fuerant, tandem ad civilem poteſtatem re tota a Joh. Pelling, S. T. P. cujus non niſi nomen in hoc libro legitur, delata, inquiſitio tota delegatis Judicibus Regiis tradita eſt, quos inter Epiſcoporum Wintonienſis, Bathonienſis & Wellenſis, Ceſtrienſis, Herefordienſis, Menevenſiſque, nec non Thomæ Trevorii, ſummi nomine regio in Anglia Juſtitiæ Adminiſtratoris (*Lord Chief Juſtice* vocant) nomina potiſſimum eminent. Illi itaque cum collectos a Pellingo Articulos circa divinitatem Filii & Spiritus S. nec non αὐθεντίαν Canonicam Conſtitutionum Apoſtolicarum Whiſtono communicaſſent, ac in iis quidem poſt monſtratam

Whiſtoni a XXXIX Articulis & Liturgia Anglicana ſeceſſionem poſtulata fuiſſet coactio hujus ad recantandum, renunciandum ac retractandum, nec non correctio & pœna, quam jus exigat, enatus inde eſt hic Tractatus Guil. Whiſtono, judicibus in hac cauſa exhibendus. Parum tamen ille continet novi, cum Autor repetitionibus mirum in modum gaviſus, nonnullas ter quaterve jam in aliis Opuſculis impreſſas Epiſtolas probationesve hic quoque recoquat ac cumulet. Ipſi Defenſioni XIV præmittit Obſervationes, quarum prima Hæreſeos naturam inquirit, quam non niſi in voluntaria ac malitioſa fundamentalis fidei doctrinæ abnegatione inveniri, nec præter hanc cuiquam tribui debere demonſtrat. Secunda Hæreſes in antiqua Eccleſia & moderna multum a ſe differre exiſtimat, ut, quod primis Seculis directe ac formaliter Hæreſeos reum fecerit quenquam, ac excommunicationem meruerit, nunc forte non tantam habeat culpam, *erroremque tantum tolerabilem*, nec niſi pacifica reſtauratione corrigendum conſtituat. Id quod inde probari poſſe putat, quod evidentia dogmatum Chriſtianorum eo tempore longe fuerit major, ſchiſmata Eccleſiæ, ac ἴδιαι δόξαι ſeparatorum cœtuum multo pauciores, quam nunc, cum mutuis anathematiſmis ac novis opinionibus cuncta fere reddantur incerta, ut proinde, quemadmodum quæſitum fuerit hac ætate, num peccatum in Spiritum S. noſtro tempore poſſet committi, nec ſit Apoſtolicis temporibus proprium, ita dubitandum eſſe credat, num, qui hodie dicantur Hæretici, etſi *materialiter hæreſeos rei ſupponantur*, eodem rigore, quo antiqui, ſint proſequendi. Tertia & quarta obſervatio vindicat Whiſtoni in evitanda Hæreſi ſummum ſtudium, evolvendo antiquos, conſulendo, ad inquiſitionem compellendo ſuperſtites, comprobatum, ac præcipuum evitandæ Hæreſeos remedium, honeſtum veritatis amorem ac ſinceram intentionem, quam ſolam ſibi fatalem fuiſſe inter homines dicit, ſi aliorum exemplo aliud credidiſſet, aliud ſubſcribendo prædicandoque profeſſus eſſet, cenſuram omnem evaſurum ſe fuiſſe certiſſime perſuaſus, nunc pro conſcientia accuſatus. Quinta plane aliter ſecum a Pellingo agi, quam olim ipſi Archi-Epiſcopi, quorum Literas in Hiſtorica

Præfa-

Digitized by Google

Præfatione jam exhibitas iterum repetit, egerant, conqueritur. Sexta mirum accuſationis Pelligianæ modum perſtringit, quæ, quod ſane nemo non mirari poterit, non e IV Voluminibus *Primitivi Chriſtianiſmi*, quæ ſyſtema veluti ſunt doctrinæ Whiſtonianæ, ſed ex Schediasmatibus exiguis ſine nexu decerptos articulos Whiſtono objecerit, onusque probandi, quod in affirmantem, hæc hæretica eſſe, cadebat, in negantem devolverit. Septima Obſervatione ipſam Judicum Curiam conſiderat, quæ non Eccleſiaſtica ſed civili autoritate *inaudito exemplo* cauſam ſacram maximique momenti levi examine decidere juſſa ſit, neque ſe civili excommunicatione, eamque conſequente captivitate a veritate, quam invenerit, abſtractum iri publice profitetur. Octava monet judices, multas opiniones, olim pro hæreticis habitas, ſectatoribus ſuis civiles & eccleſiaſticas perperiſſe pœnas, quas deinde maturius examinatas cum veritate non pugnare deprehenſum ſit. Inter eas recenſet doctrinam de Millennio, hæreſes Andianorum, Antidicomarianitarum, quorum opinionem omnino ſanam fuiſſe ſibi perſvadet Autor, Iconoclaſtarum, Vigilii aſſertionem Antipodum & Galilæi Copernicaniſmum, ſuam quoque Telluris Theoriam, ſi Concilio cuidam fuiſſet propoſita poſt Athanaſii tempora, Hæreſeos cenſuram non evaſuram fuiſſe exiſtimans. Nona Obſervatione Hiſtoriam totius controverſiæ ab initio breviter perſequitur, veram Doctrinam in Concilio Niceno quidem novis phraſibus obſcuratam, ſed in celeberrimis Seleucienſi & Ariminenſi Conciliis A. D. 359 iterum vindicatam, in Eccleſia præcipue Orientali eousque viguiſſe, ab Ariana & Athanaſiana Hæreſi liberam, contendens, donec hæc per Imperatorum & Paparum decreta prævalens inter Papatus tenebras triumphaverit, Luthero, Calvino & Cranmero, dum ad alias corruptelas magis attendebant, hæc tam curioſe non inquirentibus. Præluſiſſe tamen putat Athanaſianorum errorum detectioni modernæ Eraſmum, Proteſtantes Italos, cumprimis Socinum, ſed hos in alterum extremum peſſum ruentes, Petavium, Grotium, Huetium, Arminianos omnes, in Anglia ipſa Cudworthum, Pearſonum, Southum & Sherlokum mutuo ſibi magno ſucceſſu Tritheiſ-

theiſmum & Sabellianiſmum imputantes, ſuam ſententiam infeliciter defendentes, Fowlerum Gloceſtrienſem Præſulem, Painium, Lockium, denique ipſum, quod mireris, Bullum, cujus Defenſionem Fidei Nicenæ magno ubique plauſu acceptam, *magnum*, ut loquitur, *Sandium* indigne habentem, partem jam Athanaſianæ doctrinæ non exiguam deſeruiſſe dicit, certe *ultimum fore Librum alicujus momenti pro doctrina Athanaſiana unquam proditurum*, magna cum fiducia auguratur. Sane ſua ſcripta refutatione hactenus prorſus deſtitui, & quam Clarkius edidit, Doctrinam Scripturæ de Trinitate ſibi potius patrocinari, quam adverſari lætatur. Undecima queritur, a Pellingo & Sacheverello nomen ſuum publice profeſſis Chriſtianiſmi hoſtibus & Libertinis, a quibus longiſſime abhorreat, eſſe additum, qui, cum ipſe accuſetur, damnetur, alta pace gaudeant, cum aliis magno numero inter vel extra Athanaſianos obviis Hæreticis, quos Tritheiſmi, Ebioniſmi, Montaniſmi ac Sabellianiſmi reos agit, periculoſioresque Eccleſiæ eſſe exiſtimat. XII Obſervatione provocat ad id, quod antea demonſtratum ſe dediſſe dicit, inter Concilii Niceni anathematiſmos eum, qui prohibeat ſub hæreſeos nota, *ne quis Filium Dei Creaturam dicat*, ab Athanaſio inſertum doloſe fuiſſe, atque adeo habendum pro ſuppoſititio. XIII Obſervatione probat in omni hac controverſia rem non poſſe devolvi ad modernos aut recentiores Canones, multo minus ad Articulos & Liturgiam Eccleſiæ Anglicanæ, quorum non modo Auctores, ſed & ipſæ Parliamenti Curiæ A. I. Eliſabethæ publice caverint, exigenda hæc omnia eſſe unice ad normam Scripturæ & ſacræ Antiquitatis, tantum abeſt, ut hæc debeant normæ loco nunc in dogmatibus fidei cuiquam obtrudi. Quin eo progreditur Autor, ut publice fateatur, maxima, eminentiſſima & doctiſſima Eccleſiæ Anglicanæ membra adeo modernis his regulis non teneri, ut opiniones prorſus ab illis diverſas libere amplectantur, idque non ſingularibus paucorum hypotheſibus, ſed authenticis publicisque documentis articulorum, quos *nemo fere nunc credat, nemo credere poſſit*, utcunque ipſis ſubſcribant, probari poſſe aſſeverat. Ita Calvinianam Articuli XVII doctrinam de Prædeſtinatione nemi-

nem

nem præter J. Eduardum in tota Britannia nunc ſectari, ita communem Articuli III de deſcenſu Chriſti ad inferos, Articuli VI de Canone S. Librorum, VIII de Symbolis, IX de Peccato originis, XI de Juſtificatione per ſolam fidem, XIII de Operibus ante regenerationem factis, doctrinam vix quenquam nunc vel eo rigore, quo concepti ſunt illi, credere, vel etiam lubenter ore profiteri velle, fidenter ac cum omnium provocatione contendit. XIV Obſervatione Monumenta, ad quæ ſuam doctrinam velit exigi, Regulasque, quas in inquirendo velit obſervari, producit, denique ad impactum ſibi crimen, quaſi Myſterio Trinitatis eam ob cauſam ſit infenſus, quod illud ratione ſua comprehendere non valeat, reſpondet, eamque imputationem ſe integro Tractatu contra profanum Librum *de libertate cogitandi* edito a ſe ipſo amoliri conatum monet. Sequitur Defenſio ipſa, de qua pauca dicenda erunt. Namque illa primum tantum ex Articulis Whiſtono a Pellingo objectis perſequitur, cum in reliquis Autori placuerit ad alia ſcripta ſua Lectorem remittere, qui abrupto neſcio qua de cauſa Judicio, coram quo cauſam ſuam agere conſtituerat, Apologiæ quoque ſuæ telam abrumpere conſultum putavit. Ante omnia *Ariani* nomen deprecatur, addita Epiſtola olim de hac re ad Præſulem Cantuarienſem ſcripta, quæ & a nobis memorata eſt, cum reſponſum Whiſtoni ad Allixium recenſeremus. Vid. Act. Erud. A. MDCCXII p. 201. Deinde aſſertionem ſuam, qua dixerat, Scripturas, ubi de uno Deo loquuntur, non niſi unum ſupremum Deum Patrem intelligere, neutiquam tres Perſonas, (is enim eſt primus, de quo accuſatus eſt, articulus) ab hæreſeos imputatione defendit, eam ex antiquis Symbolis, canonicis N. T. Libris, ſcriptoribus & Conciliis Ante-Nicenis ſe demonſtraturum promittens, & a duabus objectionibus vindicans, qua in re nihil dicit, quod non ab eo alibi dictum & a nobis recenſitum fuerit prius. In reliquis Articulis XI hæreſeos accuſatis, de ſubordinatione Filii, ejusdem creatione, ejusdem inæqualitate cum Patre, de Spiritus S. creatione & ſubordinatione, de Symboli Athanaſiani abrogatione, de Doxologiæ mutatione, de τȢ λόγȣ in Chriſto animæ rationalis locum ſupplentis eſſentia & παθή-

 μασι

μασι nihil agit Auctor, niſi ut ad alibi a ſe dicta provocet, ac prolixum locum ex appendice *Chriſtianiſmi primitivi*, & quæ ibidem habentur, Obſervationibus ad Clarkii librum inſerat, de æterna Generatione Filii Dei prolixius agentem. Sed de eo nos quoque jam tum egimus, cum eum librum recenſeremus. Denique addit concluſionem Apologiæ jam tum paratam, qua olim factam ſibique objectam Articulorum Eccleſiæ Anglicanæ ſubſcriptionem retractat, ac ubique, ubi nomen ſuum his ſubſcriptam inveniatur, illud eradi cupit, Eccleſiamque Anglicanam, ſi perſequendo in ipſum velit quicquam durius decernere, hoc ipſo Anti-Chriſtianiſmi notam contracturam, ſibique nec Communionis cum illa, quam hactenus tanto ſtudio quæſiverit, ullum deſiderium, ſed plenam ab ea diſcendi libertatem ſuperfuturam eſſe aperte fatetur. Subjuncta eſt Epilogi loco pars Cap. XXVI Jeremiæ ad v. 16, quo ad ſe ipſum applicato Judicibus erat valedicturus. In calce libri comparent Epiſtola Whiſtoni ad D. Henr. Sacheverellum, quem, cum publice in ſuggeſtu adverſus ipſum declamare non deſineret, ad amicam collationem, ſed fruſtra, ut addit, omni quippe reſponſo deſtitutus, invitavit, deinde ad Epiſcopum Londinenſem valde prolixa, qua admiſſionem ad S. Euchariſtiam diu ipſi denegatam iterum iterumque rogat, Liturgiamque Anglicanam ad ſua placita correctam reformatamque offert, ut ea uti liceat ſibi aliisque ſuæ perſuaſionis, ſi ulterius a S. Communione prohibeatur, neceſſitatem vel aliis ſchiſmaticis cœtibus ſe adjungendi, vel novum cœtum formandi, ſibi impoſitam graviter repræſentans. Sed & hæc Epiſtola a Londinenſi & Cantuarienſi Præſulibus propemodum ſine reſponſo ipſi eſt remiſſa, ſimilique fere fato excepta fuit ultima ad Joh. Broughtonum, quem, cum & ipſe in ſuggeſtu contra doctrinam de ſubordinatione Filii erga Patrem quædam durius dixiſſet, ad collationem invitat, quam tamen ille dato, quod hic exhibetur, non ſine acerbitate reſponſo, quod tamen ſalutari, ni fallimur, monito μὴ ὑπερφρονεῖν παρ᾽ ὃ δεῖ φρονεῖν, ἀλλὰ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν obſignat, prorſus deprecatur. Denique additus eſt Catalogus omnium ſcriptorum hactenus a Whiſtono publicatorum,

Digitized by Google

torum, e quibus præter ea, quæ in his Actis ſunt memorata, ſequentia notanda duximus: *Obſervationes ad Diſcurſum de libertate cogitandi; Tentamina tria, quorum primo Concilium Nicenum ab Athanaſiana Hæreſi vindicatur, ſecundo Monumenta antiqua ad doctrinam de Trinitate & Incarnatione & Hiſtoriam Eccl. Sec. IV ſpectantia colliguntur, tertio Liturgia Eccleſiæ Anglicanæ ad primitivum typum propius reducta exhibetur; Cauſa Diluvii demonſtrata, ubi probatur, famoſum Anni 1680 Cometam eundem fuiſſe, qui Diluvio occaſionem dederit, appendicis loco ad Theoriam Telluris; Argumentum, quo probatur, aut omnes Perſonas ſolemniter etſi minus regulariter ad Miniſterium S. deſtinatas eſſe veros Clericos, omnesque Actus illorum miniſteriales eſſe validos, aut nullos nunc eſſe in Orbe veros Clericos aut Chriſtianos; Vindicatio Oraculorum Sibyllinorum, cum ipſis Oraculis, Græce & Anglice.* Inter Mathematica apparet *Methodus detegendæ Longitudinis terra marique; Tentamen novarum Angliæ Mapparum Geographicarum; Experimenta Mechanica, Optica, &c. Hauksbeji inſtrumentis facta; Copernicus, h.e. univerſale Inſtrumentum Aſtronomicum cum Deſcriptione,* quod poſtremum propediem ait eſſe proditurum.

DN. JUSTINIANI PERPETUI AUGUSTI INSTITUTIONUM ſive Elementorum per TRIBONIANUM &c. Libri Quatuor emendatiſſimi, expeditione JACOBI CUJACII. In eosdem JANI A COSTA, JC. Commentarius. Accedunt huic editioni annotationes & notæ THEODORI MARCILII JC. & MARCI ANTONII MURETI JC. ut & M. TATII ALPINI diſſertatio de Furto per lancem & licium concepto. Adjecti quoque ſunt varii Indices. Curante JOANNE VAN DE WATER JC.

Trajecti Batavorum, apud Wilhelmum van de Water, 1714, 4 Alph. 4.

REddidit Virorum doctiſſimorum Commentarios atque annotationes in libros Inſtitutionum JCtus doctisſimus Johannes van de Water, nihilque intermiſit, quod ſplendorem novæ

 edi-

Digitized by Google

editioni conciliare potuit, quem multum auxit dum Præfationem inſigni doctrina refertam præmiſit. Agit autem initio de primis Romanarum Legum, quæ vix numerari poterant, atque vaſtiſſimis Commentariis oneratæ erant, Collectoribus, inter quos Tullium atque Julium Cæſarem nec non Edicti perpetui conditorem nominat. Præſertim eorum conatus laudat, qui in juventutis gratiam, quæ a ſtudio Jurisprudentiæ propter indigeſtam atque confuſam legum molem facile deterreri poterat, diffluentes jurisprudentiæ rivulos ad fontes reduxerunt, id eſt diffuſam legum ſcientiam ad principia revocarunt. Fecerunt id inter antiquos Julianus, Ulpianus, Calliſtratus, Florentinus, Paulus, Martianus & qui inter hos familiam ducit, Cajus, cujus veſtigiis inhæſit Juſtinianus. Horum ſcripta, ut quævis laudem merentur, nulla tamen pervenerunt ad nos integra, tantoque applauſu & pene ſuperſtitione ſunt a poſteris recepta, quanto Imperatoris Inſtitutiones. Difficile eſſet numerare Commentarios, qui utrum illuſtraverint, an novis difficultatibus involverint Inſtitutionum libros, merito dubitatur. Magnus recentioris ævi JCtus Jacobus Cujacius, hos Inſtitutionum libros planos ac faciles eſſe ſic ut vix ulla ſaltem non longa interpretatione indigeant, imo ignobile otium eſſe, quicquid laboris in iis prolixius explicandis, ab hominibus ſui ordinis impenſum eſt, exiſtimat Lib. II Obſervat. Cap. 38. Eum vero de ineptis & incultis Gloſſographorum Commentationibus, quibus certe magno ſanioris Jurisprudentiæ commodo carere poſſumus, ita ſentire intelligit Dn. van de Water. Non enim otium nobis fecit Tribonianus, qui ſupplenda, addenda, reſcindenda, corrigendaque poſteris reliquit non pauca. Et hinc eſt, cur ſæpius ad fontes, ex quibus ſua derivavit Tribonianus, recurrendum, atque Pandectarum & Codicis libri ſint evolvendi. Magnam quoque lucem afferunt Caji Inſtitutiones, quarum fragmenta, interpolata tamen ab Aniano Alarici Gothorum Regis Referendario, ex antiquitate ſuperſunt. Multum hæ interpretationem Juſtinianearum Inſtitutionum juvant, cum Tribonianus plurima, licet nonnunquam negligentius ex hoc Caji compendio deſcripſerit. Sæpius ipſe Tribonianus fallitur, atque ſententiam vete-

Digitized by Google

veterum Jureconſultorum non aſſequi potuit aut noluit. Doctiſſime annotat Clariſſimus van de Water, verborum ſignificationem alio atque alio ſenſu a JCtis quam a Triboniano acceptam non raro fuiſſe: proinde cavendum, ne diverſas ſignificationes miſceant interpretes, & hac cautela neglecta multas antinomias ſe deprehendiſſe credant, quæ per genuinam verborum explicationem facile ſemoveri potuiſſent. Inſignes atque frequentes mutationes Romana Jurisprudentia eſt experta, ad quas eum neceſſe eſt attendere, qui harum legum naturam accuratius exponere cupit: hancque interpretationis rationem tenuerunt illuſtres Jureconſulti, Cujacius, Jacobus Gothofredus, A Coſta, Galvanus, & inter hodiernos ipſe Clariſſimus Waterus in volumine Obſervationum Juris Romani A. 1713 publicato egregia ſpecimina dedit. Hæc ſubſidia largitur Hiſtoria originem atque progreſſum legum demonſtrans, quæ propterea non im merito Lux veritatis appellatur. Hæc quoque Triboniani arrogantiam ſæpius prodit, cum Autorem alicujus conſtitutionis ſe frequenter nominet, quam jam pridem a JCtis traditam fuiſſe aliunde conſtat, quamvis condonandum ipſi aliquid ſit, cum interdum antiquata jura revocans eaque vi conceſſæ ab Imperatore autoritatis renovans, jactantiæ ſuæ aliquem prætextum habuiſſe videatur. Hæc tamen non plane abſolvunt juris Juſtinianei collectores, quorum negligentiam aut ignorantiam in multis locis deprehendimus, ſic ut in iis, quæ ad hiſtoriam pertinent, tuto fidem addere non queamus. Ceterum admodum familiare Triboniano eſt, de correctione juris veteris gloriari, multasque ſuæ emendationis coacervare rationes, quæ jejunæ atque inſulſæ ſæpius ſunt. Operæ pretium eſt hæc Triboniani argumenta examinare, quæ ſuſpecta reddiderunt Evagrius Agathias Scholaſticus, Zonaras, Suidas & imprimis Procopius, qui Juſtinianum viliſſimum ſuæ Theodoræ mancipium fuiſſe, atque ex illius deſiderio optimas ſæpe conſtitutiones abrogaſſe, Triboniano vero juſtitiam fuiſſe venalem, legesque pretio fixiſſe ac refixiſſe tradidit. Sed notandum quoque Noſtri monitum, ſcilicet in laudibus atque vituperiis juris conditorum mediam viam eſſe eligendam. Nimis dure enim illi agunt

cum Triboniano, qui omni laude ejus collectionem, imprimis Inſtitutionum compilationem, privare volunt. Recondita eſt in iis multarum rerum notitia, quæ in reliquis Jurisprudentiæ Romanæ voluminibus fruſtra quæritur. Exempla præſenti loco adduxit Cl. Editor, pluraque deſiderantem ad Cujacium lib. 2 Obſerv. cap. 38 remittit. Hæc tanti ſunt, ut non inutilem laborem ſuſceperint, qui hos Juſtinianeæ Jurisprudentiæ libros annotationibus illuſtrare aggreſſi fuerunt. Similem laborem perfecit magnæ doctrinæ limatique judicii JCtus Janus a Coſta, digniſſimus magni Cujacii Auditor, qui ex antiquitatibus genuinam jurisprudentiæ faciem, ejusque varias mutationes doctiſſime demonſtravit. Sed jam rariſſime apparebat in Bibliothecis hic Commentarius. Rem igitur Clar. Editor fecit orbi literato gratiſſimam, dum denuo in lucem protrahere voluit doctiſſimas has ICti lucubrationes, easque tam ſplendido atque magnifico habitu indutas in integrum quaſi reſtituere. Præmittit ubique textum, a recepta lectione nonnunquam recedentem, & ea ſæpius præſtantiorem. Hunc diligentiæ Cujacii deberi fatetur ipſe Janus a Coſta ad §. 19 I. de excuſat. differt quoque ratione Orthographiæ a vulgaribus editionibus hoc exemplar, in quo ab omni mutatione abſtinere conſultum duxit. Conſultiſſ. Editor, qui textui duplicem A Coſtæ Commentarium ſubjecit, citationes legum antiquorum more per verba initialia factas ad præſentem per numeros citandi rationem accommodavit. Acceſſerunt his annotationibus duumvirorum notæ, quæ tamen ad elegantiam & doctrinam A Coſtæ non aſſurgunt. Autores habent Theodorum Marcilium, Profeſſorem Eloquentiæ Regium in Academia Pariſienſi, & non minus elegantes textumque aliquando emendantes materias tradunt, tum & M. Antonium Muretum, cujus notata, ut non tam ob præſtantiam, quam raritatem in hac nova editione conſerventur, digna judicavit Noſter. In fine recuſa fuit M. Tatii Alpini, Literarum Profeſſoris, ad Wolphgangum Hungerum, Jurium Profeſſorem, Epiſtola, in qua quid ſit furtum per lancem & licium conceptum, exponitur. Edita ea primum fuit Baſileæ A. 1545, in 4. Excuſſit quoque hanc materiam ipſe Dn. van de Water lib. 2. Obſ.

Digitized by Google

Obſ. cap. I. Coronidem nitidiſſimæ huic editioni imponunt ſex egregii Indices ipſius Cujacii opera compoſiti, qui ſingularia in Inſtitutionibus occurrentia exhibent, quibus additi duo adhuc Indices, quorum primus legum illuſtratarum, alter Autorum in annotationibus citatorum ſyllabum continet.

JOHANNIS CONRADI A BRUNN, MEDICINÆ Doctoris, Profeſſoris, Archiatri Palatini Glandulæ duodeni ſeu Pancreas ſecundarium detectum.

Francofurti & Heidelbergæ, apud Johannem Maximilianum a Sande, 1715, 4.

Alphab. 1 plag. 3.

DUo & triginta præterlapſi ſunt anni, cum Clariſſimus Brunnerus Experimenta nova circa pancreas ac Diatriben circa ejus uſum cum orbe literato, Medico maxime, communicavit, a nobis in Actis 1683 pag. 198 recenſita, a quo tempore viſcus hoc ad experimentorum incudem revocavit ſæpius, & exercuit tantiſper, dum iteratis experimentis ipſi conſtitit, non tantum ejus eſſe uſum in œconomia naturali, quantum ſibi magno cum eruditorum applauſu imaginati fuerunt ſuperioris ſeculi Anatomici, nec tam vile tamen & abjectum eſſe, uti crediderunt Veteres. Et cum ſucceſſu temporis vias ſagaciſſimis licet Anatomicis perquiſitas, usque aliquid novi ferre, & fovere partes, tectas licet & velamine naturæ occultatas, cauta tamen manu & diligenti indagine revelandas didicerit, ipſe manum ulterius admovit, nec ſpe excidit, nec opinione ſua. Ventriculum enim humanum in aquam fervidam immiſit inverſum, donec corrugari cœperit. Dehinc tunicam rugoſam a ſubjecta nervea caute & ſuſpenſa manu ſeparavit, ad pylorum usque, quem ſupergreſſus in novum plane ſibi ante nunquam viſum glandularum genus incidit, quas denſa congerie coagmentatas ad implantationem pori choledochi usque cum repererit, Pancreas ſecundarium appellare illud nullus dubitavit. Hujus inventi prodromus Diſputationis Academicæ loco prodiit Heidelbergæ Anno 1687; mentio etiam hujus facta eſt ab eo in Miſcellaneis Naturæ

Naturæ Curioſorum Dec. II Obſ. 241 pag. 464. Cum vero, quod in novis ejusmodi inventis fieri amat, prima deſcriptione nec ſatis excultæ, nec ſufficienti forte experientia aſſertæ fuerint hæ glandulæ, denturque etiamnum, qui eas in dubium vocant, partium ſuarum eſſe exiſtimavit Clariſſ. Autor, fidem nunc ſuam liberare, & novo modo auſu easdem, ne verba dediſſe videatur, luci meridianæ exponere. Jubet itaque ventriculum una cum duodeno in aquam ferventem immergi, aut tamdiu igni in lebete relinqui, donec ille corrugari cœperit, explicato hinc in menſa ventriculo, fibulisque affixo, tunicam internam caute & ſuſpenſa manu a ſubjecta nervea, & fibroſa ſeparare, hinc interior ventriculi tunica, parte convexa, alba, tenuis, lævis & æqualis apparebit, ubi vero ad pylorum usque perrexeris, ſtatim ſub limbo alia ejus rerum facies & in conſpectum venient glandulæ. Sunt ſcilicet hæ corpuſcula incertæ figuræ, plerumque ſphærica, candicantia, turmatim & denſo agmine conſita, diverſi ordinis & magnitudinis, ad inſertionem usque meatus bilis. Ab initio duodeni primi ordinis & majuſculæ dimidiati interdum piſi magnitudine; minores abhinc ſeminum cannabinorum & ſecundi ordinis viſuntur; tertii vero omnium minimæ denſo totum inteſtinum agmine ſtipant ad porum usque choledochum. Demum rariores hinc inde & ſparſim diſſeminatæ apparent, tandemq; præ exilitate viſum ſubterfugiunt. Obſervantur etiam hæ glandulæ ſedibus ſuis moveri, imo ſeparari poſſunt integræ, & ex aliis minoribus & minutiſſimis acinis, haud ſecus ac pancreatis ſubſtantia ſolet, conflantur, apices vero ipſi inteſtinorum cavo inſeruntur. Quid quod in cadavere ventriculum & inteſtina examinans Autor absque coctione vel ulla arte præparata, obſervavit glandulas, quas coctas vix ad choledochi oſculum inveſtigare & perſpicere potuit, nunc crudas ad inſignem jejuni tractum conſpicuas, rariores tamen & perquam exiles. Poſt hæc ſub qua forma comparuerint eædem glandulæ in equi, caſtoris, cervi, bovis, ovis, porci & canis inteſtino duodeno, ſimul inculcat, & quomodo glandulæ ſuæ inventionis a glandulis inteſti-
Cap. I. nalibus Pechlinianis ſeu Peierianis differant, explicat. De uſu harum

harum glandularum dum diſſerit, percolationi chyli minus aptas illas dicit, quia operibus naturæ magis conſentaneum eſſe putat, cum exiſtant eo loci, ubi viget ſolutionis negotium, ſecernere eas liquorem ſolventem, huncque maſſæ alimentariæ affundere; Villos vero inteſtinorum eſſe ſecretionis ſeu percolationis chyli organa, uberius evincit, & quoniam venæ meſaraicæ ad extrema usque villorum cacumina exporriguntur, majorique frequentia inſeruntur, quam ut ſuccum alimentarium villi, ceu totidem orificia & infundibula innumera abligurriant, legibus naturæ atque organi colatorii ſtructuræ non repugnare autumat, ſi chylus per eas quoque ad maſſam ſanguineam ferri dicatur. Cum porro natura tam ſollicite ad chylum & receptaculum ejus derivet lympham, ad continuandum ſolutionis negotium, multo magis in primis viis ad chylificationem tale requiri dicit menſtruum, ſpirituoſum ſcilicet, ut ſi quis alius, certe & vel potius glandularum harum ſuccus digeſtivus ſpiritibus per nervos adductis imprægnatus eſſe videatur ad primariam alimentorum digeſtionem & concoctionem peragendum. Et præparantur quidem ingeſta in ventriculo ad perfectionem hanc in duodeno recipiendam non ratione humoris gaſtrici acidi, nec per fermentationis modum, ſed per motum ſubtilis & æthereæ materiæ. Cum enim ſuccus ſtomachi & inteſtinorum particulis conſtet variis activis, tam per arterias quam per nervos advectis, probabile eſſe pronuntiat Autor, has remixtas cum aſſumtis, eorumque poris impactas, intercurrente materia ſubtili agitari, agitatasque motu ſuo expanſivo maſſam & compagem ciborum diſſolvere, & inſtar ignis ætherei concoquere aſſumta, vitamque ſimul inſpirare juxta leges & indolem animalis, cuique a ſummo rerum conditore inditam; mox in duodenum influere humorem alimentarium, ex anguſto ſcilicet pylori in amplum inteſtini ſpatium, ut facile moram nectat ibidem, eoque magis, quia inferiora inteſtina, dum percolant chylum & exprimunt, quodammodo conſtringuntur, chylique progreſſum aliquantiſper morari videntur. Cum igitur glandulæ novæ magno diſtent intervallo, & alius prorſus ordinis, figuræ & ſpeciei videantur

Cap. II.

Cap. III.

Cap. IV.

Cap. V.

Cap. VI.

Digitized by Google

deantur ab illis inteſtinorum glandulis, quæ per agmina, plexus vocata, hinc inde diſponuntur, diverſum quoque eas ſecernere ſuccum, probabile videtur Noſtro; qui porro experimentis, in cane reſecto pancreate per ſex menſes incolumi factis, abunde probat, pancreas ad vitam minus eſſe neceſſarium. Uſum glandularum in pancreate ſecundario in eo poſitum exiſtimat, ut alimentorum ſolutio in ore inchoata, & in ventriculo continuata, in inteſtinis demum, præſertim duodeno, per novum affuſum ſuccum perficiatur. Statum præter naturalem patiuntur glandulæ hæ inteſtinales ex Brunneri mente, dum obſtruuntur, in ſtrumas excreſcunt, exulcerantur, & acrimonia ſeri arroduntur, humores fundunt peregrinis ſaporibus imbutos, a mœrore & triſtitia, potiſſimum fortiori protractioreque reſultantibus; unde febres, arthritis & nephritis exoriuntur.

Cap. VIII. Cap. IX. Cap. X.

De cetero monendus eſt B. L. huic Tractatui Diſſertationem Anatomicam de Glandula pituitaria, Heidelbergæ Anno 1688, ab Autore habitam, fuiſſe adjectam.

Explicatio Figuræ 6 in Tab. I.

TAB. I. Fig. 6.

Figura hæc repræſentat Inteſtinum Duodenum humanum cum ventriculi & Jejuni portione coctum. A. Ventriculi portio. B. B. B. Tunica fibroſa ſeu muſcularis ſeparata a glanduloſa & replicata. C. Porus Choledochus in in Duodenum hians. D. D. D. D. Tunica interior glanduloſa, per cujus dorſum innumeræ conſpiciuntur glandulæ, diverſæ figuræ & magnitudinis. d. d. Glandulæ primi ordinis & majores. E. E. E. E. Glandulæ ſecundi ordinis, minores & rariores. F. F. F. F. Glandulæ tertii ordinis, omnium minimæ, per totum Inteſtini tractum diſſeminatæ. G.G.G.G.G.G. Aciculæ, quibus Inteſtinum tabulæ affixum fuit.

CHRISTIANI WEISII, GYMNASII ZITTAVIENSIS Rectoris, Epiſtolæ Selectiores, cum Virorum doctiſſimorum ad eundem Litteris. Præfationem præmiſit CHRIST. GODOFR. HOFFMANNUS.

Budiſſæ, apud Dav. Richterum, 1716, 8.
Alph. 1 pl. 11.

CUm doctorum Virorum epiſtolas ob multa hiſtoriam maxime litterariam illuſtrantia ſemper exceperit applauſus, non parum gratiæ ab eruditis ſe initurum, merito confidit Cl. *Hoffman-*

mannus emittendis *Weiſii*, clariſſimi inter viros de ſcholaſtica juventute bene meritos nominis, Epiſtolis, eoque magis, quod Weiſianis adjunctæ ſunt permultæ celeberrimorum Virorum datæ ad *Weiſium* epiſtolæ, *Arnoldi*, *Balbini*, *Carpzovii*, *Clauderi*, *Conringii*, *Daumii*, *Imhoffii*, *Neumanni*, aliorumque, præmiſſa Editoris *de utilitate ex Litteris Virorum doctorum capienda* Præfatione. In qua cum docuerit, inde petenda eſſe arcana hiſtoriæ litterariæ, noſtrum erit, ſpeciminis loco quædam in medium proferre ex hac collectione, cui non pauca ineſſe curioſo Lectori arriſura, fatendum eſt. Sic *Epiſt. 12* Weiſius *Eliæ Weiſii*, parentis ſui, vitam fuſe & eleganter deſcribit. *Epiſt. 14* exponit cauſam, cur ipſe in ſtylo Latino non feliciores fecerit progreſſus. Ex *Epiſt. 21* diſcimus, *Papebrochium* externis lineamentis *Weiſio* fuiſſe undiquaque ſimilem. *Epiſt. 46* narrat, non neminem in aula Hafnienſi hiſtoricum *Weiſii* libellum, ſub titulo, der kluge Hoffmeiſter/ proſtantem, pro ſui ingenii fœtu venditaſſe. Præcipue lectu digna ſunt paſſim inſerta de re ſcholaſtica rectius conſtituenda conſilia: quæ generatim indicaſſe ſufficiat. Inter aliorum ad Weiſium Epiſtolas *Balbinus*, Jeſuita Pragenſis celeberrimus, *p. 293* jucundiſſime ita jocatur, accepto de morbo *Weiſii* nuntio: *Crede*, inquit, *malam*, *peſſimam rem faceres & damnoſam ſtudiis noſtris moriendo: a te enim jam literæ accepere aliquam lucem &c.* Ex *p. 337* diſcimus, *Weiſium* fuiſſe *Relationis Lipſienſis* autorem. *P. 345 ſqq.* de *Olao Borrichio* ſingularia legas, in cujus, calculo veſicæ exſtincti, mortem elegans hoc loco exhibetur epigramma Dubravii, pyxidi, qua adhuc ille calculus Hafniæ aſſervatur, inſcriptum, cujus primum hoc eſt diſtichon:

Calculus hic ſitus eſt illuſtri corpore ſectus,
Quo ſine Borrichius nil niſi gemma fuit.

Nec minus jucunda lectu ſunt acerbiora Puffendorfianæ philoſophiæ, tum vix natæ, fata, quæ ex *Gottfridi Klingeri*, Puffendorfio amiciſſimi, epiſtolis hic inſertis paucis repetemus. Scilicet (*p. 367*) indicat Klingerus Weiſio, Diſſertationis de republica monſtroſa contra Puffendorfium ſcriptæ autorem eſſe *Carolum Scharſchmidium*, J. V. Ddum Jenenſem. Laudat (*p. 378*) Epiſtolam Puffendorfii ad amicos ſuos per Germaniam,

Digitized by Google

qua Beckmanni nequitiam feliciſſime caſtigarit. Simul nuntiat, *Beckmannum* illum Bambergæ ad Pontificiorum partes tranſiisſe, religione Lutherana ſolenniter ejurata. Porro (*p. 390 ſq.*) refert, a Rectore Acad. Jenenſis ſe prohibitum eſſe continuare prælectiones privatas in *Puffendorfii de Officiis* libellum: *Veltheimium* Profeſſorem Jenenſem publice diſputare contra Puffendorfium: hunc maxime exoſum eſſe Theologis. Sed hæc hactenus. Quippe iſta promulſis ad cetera quoque ex hiſce Epiſtolis relegenda curioſitatem Lectorum provocatura videtur.

Julii Bernhardts von Rohr Einleitung zu der Klugheit zu leben.

hoc eſt,

JULII BERNHARDI DE ROHR INTRODUCTIO ad prudentiam vivendi, ſeu inſtitutio de actionibus ad felicitatem hujus vitæ conſequendam prudenter dirigendis.

Lipſiæ, apud Johannem Chriſtianum Martini, 1715, 8.

1 Alph. $13\frac{1}{2}$ plag.

Per prudentiam intelligit Autor generoſiſſimus habitum mentis actiones ſuas ad felicitatem ſuam optime dirigendi. Regulas itaque præſcribit, quibus illa directio in potiſſimis vitæ humanæ caſibus, experientia non invita, continetur. Poſtquam enim de prudentia in genere prudentique actionum ſuarum directione non contemnenda protulit, in ſpecie explicat, quanam prudentia opus ſit Chriſtiano, quanam opus ſit ei, qui intellectum & voluntatem perfecturus, animi tranquillitatem ſibi comparaturus, ſanitatem conſervaturus, honori ac famæ conſulturus, opes paraturus & partas tuiturus, iter facturus, munera ambiturus & adminiſtraturus, uxorem ducturus, prolem educaturus, ſervos recturus, contractus initurus, aliorum conſilia expetiturus vel propria exhibiturus, alios pariter ac ſe exploraturus, verba facturus vel ſilentium cuſtoditurus, decore victurus, rebus ſecundis & ſiniſtris uſurus tandemque moriturus. Monet, de hoc argumento jam ante ſcripſiſſe *Thomaſium*, *Heumannum* atque *Polycarpum Müllerum*; ſed ſe eorum ſcriptis parum ait nihil

hil profeciſſe ac ſingula ſpecialius multo tradidiſſe. Addit tamen, ex *Strykii* Cautelis Contractuum petita eſſe, quæ de prudentia circa contractus præcipiuntur, & ex *Hoffmanni* diſſertationibus Medicis deſumta eſſe, quæ ad ſanitatem conſervandam præcipiuntur. Specialia ex iſtiusmodi libris vix afferre licet, in quibus ſingulæ periodi ſingulas regulas ſuppeditant, nihil inter ſe commune habentes.

SELECTA HISTORICA ET LITERARIA.

Regiomonti & Lipſiæ, apud Henr. Boye, 1715, 8.
Alph. 1. plag. 3.

AUtor hujus libri doctiſſimus, cui nomen ſuum ſubducere placuit, ex editis jam aliquot & hic rurſus inſertis Diſſertationibus agnoſcitur *Mich. Lilienthalius*, cujus *Conſultationem litterariam* A. 1709 p. 518 recenſuimus. Offert nimirum hic Hiſtoriæ litterariæ ſtudioſis Decadem Diſſertationum, quarum argumenta lectoribus noſtris indicabimus. *Prima* ſcilicet agit *de Exorciſmo literario* ſive de adjurationibus in rep. litteraria adhibitis ad alios, ut vel facerent aliquid vel omitterent, devinciendos, e. g. ad nihil in libro immutandum. Eodem de argumento doctiſſimam diſſertationem *Bibliothecæ* ſuæ *Græcæ lib. V Cap. 1 p. 74-81* inſeruit Celeb. *Fabricius*: id quod propterea monendum ducimus, quod Cl. Lilienthalio ea ignota fuiſſe videtur, quippe cujus nullam injecit mentionem. *Altera* Diſſertatione diligenter exponit vitam & fata *Balthaſaris Beckeri*, A. 1634 nati, in Academiis Carteſianam quoque philoſophiam edocti, A. 1655 muneri Eccleſiaſtico admoti, A. 1665 creati Doctoris Theologiæ, A. 1668 *Admonitionem de philoſophia Carteſiana* edentis, A. 1670 Belgico idiomate publicantis *Inſtitutiones Catecheticas*, (ob quas ipſi motæ ſunt graves controverſiæ,) A. 1679 Amſtelodamum evocati ad munus Paſtoris adminiſtrandum, A. 1683 Belgice *Diſquiſitionem de Cometarum præſagiis* (quam nos quoque *Supplem. T. II p. 428* recenſuimus,) emittentis, annisque ſequentibus ſcripta alia, usque dum tandem notiſſimum librum, titulo *Mundi faſcinati* præſcriptum, publici juris faceret. Hujus hiſtoriam, ac cetera, quæ ad vitam hujus viri pertinent, reſervavit Cl. Autor alii Diſſertationi,

quam avide ab ipſo exſpectamus. *Diſſertatio tertia Ideam* ſiſtit *Eruditi modeſti*, & animadverſione in Panſophos concluditur. *Quarta* exhibet *Catalogum Codicum rariſſimorum bibliothecæ Medicea e MS. Holſtenii*: ubi *p. 87* obiter docet, rariſſimum illum Pandectarum Codicem non in ea aſſervari, ſed in palatio Magni Ducis inter vaſa ejus aurea & argentea. Diſſertatio *quinta* autochiriæ crimen ab Ariſtotele defendit. *Sexta* eſt Spicilegium ad Cl. Wolfii Diſſertationem *de libris in Ana*, additis judiciis eruditorum de ejusmodi ſcriptis. *Septima* agit de *Bibliotaphis*, hoc eſt, de invidis librorum occultatoribus, quorum varia genera recenſet, laudabilem tamen illam bibliotaphiam judicans, qua libri denegantur iis, qui eos inquinant, vel nimis tarde remittunt: item qua juvenibus libri bonis moribus adverſi eripiuntur. Diſſertatione *octava*, Jenæ primum A. 1707 edita, fabula *de Hattone a muribus corroſo* exploditur. Autoribus hanc hiſtoriolam narrantibus, & *§. III p. 230.* commemoratis, addimus Hartmannum Schedelium in *Chronico Norimbergenſi fol. 182 b.* & Manlium in *Collectaneis* p. 633. *Nona de vocatis ab Adamo animalibus* oppoſita eſt celeberrimo Hardtio, qui diſſertatione A. 1705 edita opinionem de nomenclatura Adamica inter figmenta Judæorum retulerat, verba Geneſeos in hunc ſenſum interpretatus, quod Adamus divinitus juſſus ſit animantia quæcunque circumſpicere, an inter ea eſſet, quod ad ſocietatem ineundam remque familiarem conſervandam videretur idoneum. *Decima*, inſcripta *de ſolœciſmo literario*, collecti ex Boilæo, Mayero, Mollero, Struvio, Reimanno, aliisque in unum corpus exhibentur ridiculi errores ab eruditis commiſſi in hiſtoria litteraria. Nos non dubitamus, quin Cl. Autor plurium hujus generis Diſſertationum publicatione, quam minatur, elegantiorum litterarum cultoribus pergratum ſit facturus.

ELOGIUM GILBERTI BURNETI, EPISCOPI Sarisburienſis.

NAtus eſt Vir ſummus, Gilbertus Burnetus, Edenburgi 1643 die 18 Sept. ex illuſtri familia *de Leyes*, patre *Cromont*, muneris in Scotia dignitate & Juris ſcientia conſpicuo. Latina a patre didicit, a quo & ita adſuetus fuit, ut quotidie hora IV matutina ſur-

ſurgeret, quam rationem omni vitæ tempore ſecutus eſt. Deinde decem annorum puer miſſus Aberdoniam in Academiam, anno decimo quarto miro omnium plauſu ſupremos in Philoſophia honores nactus eſt, ac deinde per annum integrum Juri primum civili & feudali, hisque deinde ſtudiis abdicatis, Theologiæ ſerio operam dedit, cui & hiſtoriæ ſacræ & profanæ ſtudium tanto felicius conjunxit, quanto promtiori memoria inſtructus fuit. Receptus poſtea anno ætatis decimo octavo inter Miniſterii candidatos, mox oblatum habuit Miniſtri in patria munus, quod tamen, quod eam ætatem nondum ferre diceret animarum curam, modeſte recuſavit. Interea Philoſophos quoque, *Carteſium* & *Gaſſendum*, legit diligenter, nec Matheſin neglexit. Inde Anglia paulum luſtrata in Belgium tranſiit, & Amſtelodami, Judæo præceptore, Rabbinicis incubuit, ſimulque cum omnium religionum hominibus frequenter verſatus eſt: poſt in Galliam exſpatiatus, Pariſiis Dallæo & Moro familiariter innotuit, atque ita delatus iterum Londinum in Regiam ſocietatem recipi meruit. Reverſus in Scotiam mox A. 1665 Miniſtri eccleſiæ Saltonenſis munus adeptus eſt, ac bis die Dominica & ſemel per ſeptimanam ſermones ad populum habuit. Singularem vero dicendi promptitudinem ex eo paulatim conſecutus erat, quod ſive in campos exſpatiatus, ſive equo vectus, meditationes in certos Scripturæ textus clara voce enuntiare conſueviſſet. Glaſcoviam deinde ad Profeſſionem Theologicam vocatus, eam egregie ornavit per aliquot annos, & Maria Kennedy, ex illuſtri Comitum ſtirpe quæ poſt tredecim annorum matrimonium deceſſit, in uxorem ducta, Ducum Hamiltoniæ hiſtoriam (*The Memoirs of the Lives and actions of James and William, Dukes of Hamilton and Caſtleherald*) edidit, quæ tanto omnium plauſu excepta eſt, ut cum Londinum poſtea veniſſet, ibique, relicta Profeſſione, Miniſter Eccleſiæ, quæ *Chapel of the Rolles* vocatur, factus eſſet, ad ſcribendam Hiſtoriam Reformationis maxime idoneus haberetur. Qua in re & ſubſidia multa a Lloydio, Epiſcopo hodie Wigornienſi, accepit, & Tillotſoni limam luben-

Digitized by Google

lubenter admiſit, cunctaq; tanta prudentia moderatus eſt, ut, libro vulgato, publicæ ipſi ab utraque Regni Curia grates, non ſecus ac ſi triumphum de hoſtibus deportaſſet, decernerentur. Interim cum aulæ commodis minus ſtuderet, A. 1684 a publico concionandi munere vacare juſſus, eoque ſequenti anno in Galliam profectus eſt, & Italiam poſtea, Germaniamque, Helvetiam item & Belgium luſtravit, cujus Itineris luculenta deſcriptio proſtat. Duxit hinc Hagæ ſecundam uxorem e *Scotorum* familia 1687, quæ filios tres (quibus ipſe Burnetus S. Literas explicavit diligenter & hiſtorias inſtillavit) ac duas filias, hodie ſuperſtites reliquit. Mox concionatoris aulici & Eleemoſinarii munus a Wilhelmo nactus, non parum ejus conſilia in reſtauranda Angliæ libertate adjuvit, atque illo in Regiam dignitatem evecto, A. 1689 Epiſcopus Sarisburienſis factus ac paulo poſt inſtitutioni Principis Glóceſtriæ præfectus eſt. A. 1700 tertiam duxit uxorem, Berkeleji viduam, anno 1709 defunctam, quæ librum compoſuit aſceticum perelegantem, a Burneto cum Præfatione vulgatum. Deceſſit Vir tantus anno ſuperiori 1715 die 17 Martii, ætatis ſeptuageſimo ſecundo, 40000 Marcis Scoticis civibus ſuis ad erigendam ſcholam & ſuſtentandos juvenes ſtudioſos legatis. Erat illi corpus robuſtum, animus erectus & conſtans, ſingularis imprimis erga Non-Conformiſtas, quos vocant, moderatio, quæ ipſi, ut fit, multorum odium peperit. Libros ejus pleroſque in Actis his recenſuimus, & exſpectamus avide Tomum ejus tertium Hiſtoriæ Reformationis Anglicanæ, nuperrime paulo ante ipſius obitum vulgatum; alios minores repetere non attinet: id tantum monemus, Burnetum præter libros alios, qui nondum ultimam limam experti ſunt, duos prorſus prelo paratos filio ſecundo genito reliquiſſe, nimirum *Cogitationes de moralitate & religione* & *Hiſtoriam ſui temporis*, hac tamen lege, ut hunc poſt ſex demum a morte Autoris annos publici juris faceret.

):(o):(

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Februarii, Anno M DCC XVI.

ELEMENTA MATHESEOS UNIVERSÆ TOMUS II, qui Opticam, Perſpectivam, Catoptricam, Dioptricam, Sphærica & Trigonometriam Sphæricam, Aſtronomiam, Geographiam & Hydrographiam, Chronologiam, Gnomonicam, Pyrotechniam, Architecturam Militarem atque Civilem, & Commentationem de ſcriptis Mathematicis complectitur; Autore CHRISTIANO WOLFIO, Potentiſſimi Regis Boruſſiæ Conſiliario Aulico Math. Prof. P. Ord. Societatum Regiarum Britanniæ atque Boruſſiæ Sodali.

Halæ Magdeburgicæ, ex Officina Rengeriana, 1715, 4. Alph. 6 pl. 1 Tabb. æn. 81.

QUa in primo horum Elementorum Tomo in Actis 1714 pag. 249 recenſito varias Mathematum partes tradere cœpit induſtria & perſpicuitate, eadem & reliquas in hoc ſecundo Tomo pertractare pergit Autor celeberrimus. Nam prætermiſſis inutilibus rebus ſingulas diſciplinas a primis fundamentis exorſus palmaria earum theoremata rigoroſa methodo demonſtrat, theoreticis vero practica ſæpe immiſcet, ut tyrones attentionis laborem ad percipiendas ſeveriores demonſtrationes amœnioribus praxibus demulcere atque lenire valeant, & non ſolum ii, qui ad profundiora Matheſeos arcana aditum petunt, ſed etiam illi, qui ſoli praxi acquieſcere operamque dare in animo habent, quæ ſcopo ſuo proſunt, inveniant. Itaque hiſce duobus Voluminibus multa perſpicua brevitate facilique complexus Autor, utrorumque commodis velificare ſtudet, ut adeo in iis invenire que-

 ant

ant tum ea, quæ ad intelligentiam reconditioris Matheſeos pertinent, tum quæ ad partes practicas. Continet enim hic Tomus Opticam, Perſpectivam, Catoptricam, Dioptricam, Sphærica & Trigonometriam, Aſtronomiam, Geographiam & Hydrographiam, Chronologiam, Gnomonicam, Pyrotechniam, Achitecturam Militarem atque Civilem, & commentationem de ſcriptis Mathematicis. Deeſt quidem Muſica, non ignobilis Mathematum facultas, ſed eam, ne alter horum Elementorum Tomus in nimiam molem excreſceret, præterire coactus eſt Autor cum aliis, quæ adducere potuiſſet ad monſtrandum uſum eximium Matheſeos in Phyſicis & Vita Civili, alio forte tempore in Tomo quodam ad hæc Elementa ſupplementorum proferenda, ut ejus rei ſpem nobis in Præfatione injicere voluit Noſter. In *Optica* traditis Cap. I Obſervationibus fundamentalibus atque definitionibus pergit Cap. 2 ad Lucis contemplationem, variaque affert, quæ intenſitatem lucis ad varias diſtantias projecti objectorumque partes illuminatas reſpiciunt, in ſeptem vero ſequentibus de Umbra, Coloribus, Viſione Magnitudinis, Figuræ, Loci, Motusque, variisque viſus accidentibus & de Viſione duorum oculorum agit, in quibus multa problemata Geometriæ practicæ expedire docet, ſcilicet Altimetrica per umbras objectorum ſolvenda, item de diſtantiis menſurandis atque viſibilium magnitudinibus veris ex apparentibus eliciendis. Imprimis theoriam perfectam tradit quadrati geometrici, cujus operatio umbræ rectæ atque verſæ ad altitudinem objecti inveſtigari poteſt. Cap. IV breviter exponitur Newtoni doctrina de varia radiorum Lucis refrangibilitate & reflexibilitate & experimentum quoddam Mariotti refertur, quo Newtonianum ſyſtema Colorum labefactari Mariotto videbatur; Autori vero noſtro id non ſatis perfectum neque adeo ſufficiens judicatur ad evertendam Cel. Newtoni doctrinam. Probantur item nonnulla, quibus Euclides in Opticis inſtar axiomatum uſus erat. *Elementa Perſpectivæ* grata brevitate & perſpicuitate expoſita complectuntur, quæ de Ichnographia perſpectiva, de Scenographia & umbris ſcitu neceſſaria ſunt, accurate demonſtrata & ex ſuis genuinis fundamentis deducta. Adducuntur præterea praxes per-

utiles

utiles pro objectis Scenographiæ delineandis, nec reticentur ea, quæ de Anamorphoſibus ſeu Projectionibus monſtroſis apud Autores paſſim occurrunt. Eodem tenore procedunt *Elementa Catoptrica*, utpote quorum initium fit explicatione ejus fundamentorum, conſiſtentium cum in definitionibus, tum etiam in obſervationibus nonnullis. Dehinc tranſitur ad explicationem & demonſtrationem ſymptomatum Speculorum planorum, & ſphæricorum, tam cavorum, quam convexorum, Cilindricorum item, Conicorum & Pyramidalium. Dum de ſpeculis convexis ſphæricis agit, regulas tradit, juxta quas diſtinguere ſemper licet, utrum imago intra ſpeculum, an in ſuperficie ejus aut prorſus extra id comparere debeat, quas hactenus in Catoptrica deſideratas fuiſſe ait. Addit quoque experimentum, quo imago extra ſpeculum convexum apparens optime dignoſcatur. Docetur item in hiſce, quomodo tabulam vitream pro ſpeculis planis polire, machinam politoriam conſtruere & ſpecula plana conficere oporteat. Paria habentur pro ſphæricis; de cavis verba faciens inter commenta habet Autor, quæ de Speculis Archimedis & Procli uſtoriis veteres memoriæ prodiderunt, effectaque ſpeculorum Septaliani, Villettiani Tſchirnhauſianorumque recenſet: memoratque modos ſpecula cava uſtoria ex auro ſtrepero, ex charta duriore, ſtramine eidem agglutinato, imo ex ipſa glacie ſubinde parandi. Magnam ſymptomatum ſpeculi cavi partem inde demonſtrat Autor, quod ſi radius ex puncto catheti incidens in ſpeculum convexum & reflexus intra ſpeculum continuentur; reflexum degenerare in incidentem in concavum ex loco imaginis, &, qui antea erat incidens, abire in reflexum. Locum imaginis in ſpeculis concavis ponit Noſter in concurſu catheti incidentiæ cum radio reflexo, quod plerisque phænomenis id melius conveniat. Sequuntur *Elementa Dioptrica*, in quibus præmiſſis definitionibus neceſſariis, in leges refractionis tum practice per obſervationes inquirit, tum etiam a priori inſiſtens principio finali, quod natura operetur per viam breviſſimam, calculo differentiali Leibnitiano utitur. Progreditur deinceps ad refractionem luminis in ſuperficiebus planis, & ſphæricis cavis & convexis item

in omnis generis lentibus, uſus ratione ſinus anguli inclinationis ad ſinum refracti, ſi refractio ex aere in vitrum contingit, ut 3 ad 2; ſi vero ex aere in aquam, ut 4 ad 3. Refractionem enim in diverſæ figuræ diaphanis generaliter quidem expendit; in corollariis tamen theoremata generalia ad caſus vitri & aquæ applicat. Hiſce tamen multa ſubinde practica interſperſit, atque inter alia conſtructionem docet lucernæ, lumen valde intenſum ad inſignem diſtantiam projicientis. Diverſas itidem conſtructiones cameræ obſcuræ tradit, inter quas una atque altera ad portatilem refertur, quæ ſimul objecta erecta referat, item quomodo vitra poliedra foramini appoſita imagines in camera obſcura per lentem convexam multiplicent, pluribus declarat. Lentes Hyperbolicas atque Ellipticas, a Carteſio in ſua Dioptrica propoſitas, cum Newtono rejicit, non ſolum quod difficillime formentur, ſed præſertim etiam, quod radios a punctis extra axem poſitis minus accurate, quam lentes Sphæricæ colligant. Circa *Teleſcopii* inventionem notat, eam caſui potius, quam ingenio eſſe tribuendam & primum, quod conſtet, tubum opticum conſtruxiſſe Joh. Baptiſtam Portam Neopolitanum, & 15 poſt annos in Batavia Artifices nonnullos illiteratos & Matheſeos ignaros. Tubum opticum diſtinguit in Hollandicum ſeu Galileanum, Aſtronomicum & Terreſtrem, quorum omnium definitiones & conſtructiones affert, atque operam potiſſimum dat, ut phænomena eorum & conſtructionis ratio accurate demonſtrentur, ea inprimis, quæ de objectorum amplificatione ab Autoribus traduntur. Ex Hugenio tabulam adducit, qua proportiones inter diſtantias focorum vitri objectivi ocularis aperturasque atque amplificationes objectorum viſorum ſecundum Diametrum definiuntur. Tranſit porro ad modum, quo teleſcopia contrahi debent, non debilitato eorum effectu, atque ad id etiam Cel. Newtoni Teleſcopium Catoptrico-Dioptricum deſcribit, tabulamque profert pro dimenſionibus proportionatis Diametri ſpeculi, vitri ocularis & aperturæ in hoc teleſcopio. Suſpicatur, Tſchirnhauſii inventum, a Celeberrimo Fontenellio plurimum laudatum, non differre ab eo, quod in Actis noſtris 1710 pag. 466 & 467 de Clariſſimo noſtro Wolfio relatum eſt; per

per tabulam ſcilicet vitream plano convexam, cujus longitudo 2 latitudo vero $1\frac{1}{2}$ pedum erat, ac diameter convexitatis 30 pedum, ad diſtantiam duorum milliarium Germanicorum, in ipſa luce meridiana ſine ullo tubi molimine, duobus oculis apertis, ſine vitro oculari, ipſum ædificia monti ſuperſtructa diſtinctiſſime vidiſſe, ut adeo, contra quod ſuſpicetur Cel. Fontenellius, nullum ſecretum in lentibus Tſchirnhauſianis lateat. Agens de *Microſcopiis* ſeu *Engyſcopiis*, notat, ſe ad diſtantiam 5 digitorum ſcripturam eo charactere quo corollaria in his ſuis elementis expreſſa, legere quidem poſſe, ſed ita tamen ut nebula quædam oculis obverſari videatur, quæ demum in diſtantia 8 digitorum ſeu intervallo, quod Hugenius objecto aſſignarit, quod nudo oculo diſtincte apparet, penitus evanuerit. Hoc enim principio utitur ad demonſtrandas vires microſcopiorum in amplificandis objectis. Omnis generis Microſcopia ſimplicia atque compoſita Muſchenbrœckiana, Teuberiana, Grayana, Marchalliana aliaque deſcribit, eorumque conſtructionem declarat. Ac denique poſtquam aliarum nonnullarum machinarum Catoptrico-Dioptricarum, ſcilicet Polemoſcopii, Vaſis Hydromantici, Laternæ Magicæ, Helioſcopii & Polioptri fabricam uſusque explicuit, ſequitur Caput de *Poliendis vitris*, in quo melioris notæ uſuque probata præcepta exhibet. *Elementa Sphæricorum & Trigonometriæ Sphæricæ* non ſolum continent, quæ de hoc argumento in Theodoſii Sphæricis habentur, faciliore & nova ratione ab Autore demonſtrata, ſed etiam quæcunque ad Trigonometriam Sphæricam pertinent, omiſſis tamen difficilioribus minusque neceſſariis theorematis, apud Autores paſſim obviis. Circa triangula rectangula depromit duos Canones generales, *quod ſcilicet Rectangulum ex ſinu toto in coſinum partis mediæ æquetur rectangulo ex ſinubus partium ſejunctarum*, conſiderando tamen complementa crurum trianguli ſphærici rectanguli ut ipſa crura: ubi per *mediam partem* intelligitur, quæ ab extremis comprehenditur; ſic latera circa angulum obliquum in triangulo Sphærico rectangulo ſunt *extremæ* angulusque interceptus pars *media* aut crus inter duos angulos eſt pars media & anguli ſunt extremæ, ex quibus ſi unus angu-

 lus

lus ſit rectus, ejus loco aſſumitur alterum ex cruribus, quæ cum comprehendunt; hæ partes extremæ dicuntur *conjuncta*, reliquæ vero, quæ in triangulo præter has conjunctas & mediam ſuperſunt, vocantur *ſejuncta*. Alterum Autoris generale theorema eſt, *quod in omni triangulo Sphærico rectangulo, cujus nullum latus eſt quadrans, ſi crurum complementa ad quadrantem, vel exceſſus ſupra quadrantem, conſiderentur ut crura ipſa, rectangulum ex ſinu toto in coſinum partis mediæ æquale ſit rectangulo ex cotangentibus partium conjunctarum.* Atque ex hiſce duobus theorematis inſignis elucet harmonia inter Trigonometriam planam & ſphæricam, id quod hujus praxin non parum facilitat. Eadem harmonia etiamnum apparet ex theoremate itidem generali, quod circa triangula Sphærica obliquangula demonſtrat, ut adeo ejus beneficio caſus difficillimus trigonometriæ Sphæricæ eadem facilitate, qua in trigonometria plana, ſolvi poſſit. *Elementa Aſtronomiæ* hujus completum ſyſtema continere videntur, non ſolum perſpicuitate demonſtrationum, ſed etiam materiæ delectu va de commendandum. Magna enim diligentia noviſſimæ Obſervationes præſtantiſſimorum hujus ævi Aſtronomorum, Caſſini, Hirei, Flamſtedii, aliorumque, quæ hinc inde in Transactionibus Anglicanis, Commentariis Academiæ Regiæ Scientiarum, Miſcellaneis Berolinenſibus, Actis hiſce Eruditorum, & alibi paſſim latent, collectæ & ad uſum traductæ comparent. Optima etiam organa Aſtronomica verſatiſſimorum Obſervatorum perſpicue deſcribuntur. Diſpeſcitur vero apud Autorem noſtrum Aſtronomia in duas partes, quarum prior circa motum, quem vocant, communem occupata præcepta atque theoremata Aſtronomiæ Sphæricæ tradit. Nam recenſitis communibus obſervationibus & primis Sphæricæ doctrinæ fundamentis, & explicatione tradita Circulorum in Sphæra Mundi, agit de motu communi Solis, de loco fixarum earumque motu communi, de Globo cœleſti artificiali, de Refractione & parallaxi fixarum, ac denique de Crepuſculis. *Pars altera* Aſtronomiæ Theoricæ Planetarum dicata eſt. Ubi primum differitur de natura Solis, Lunæ, Planetarum & Satellitum, deinde de Syſte-

Digitized by Google

Syſtemate Planetario, quo loco Copernicanum tanquam phænomenis & naturæ genio, quæ ſimplicitatem ubique affectat, magis accommodatum, reliquis Mundi Syſtematibus Ptolemaico & Tychonico ab Autore præfertur, eaque occaſione in nonnullis Scholiis ea Scripturæ S. loca, quæ contra motum Terræ Solisque quietem afferri paſſim ſolent, ad examen revocantur atque ex illis aliisque evincitur, Spiritum Sanctum in illis de apparentiis ſolum, non vero de earum rationibus locutum eſſe. Planetas ſingulos eſſe totidem Tellures defendit, incolis ſuis non deſtitutos, & probabili calculo definit ſtaturam incolarum in Jove eſſe $13\frac{819}{1440}$ pedum Pariſinorum, quam proxime æqualem ſtaturæ gigantis Deut. III, 11 commemorati, quam Noſter $13\frac{1296}{1440}$ pedum Pariſinorum æſtimat. Progreditur abhinc ad theorias Planetarum tam primariorum quam ſecundariorum, præſertim vero Lunæ, in hypotheſi elliptica Kepleri, poſtea ad conſiderationem Parallaxium Solis & Planetarum horumque diſtantias a Sole & magnitudines, item ad Ecclipſes Solis & Lunæ, ac denique agitur de Stellis fixis, novis atque Cometis. *Elementa Geographiæ & Hydrographiæ* verſantur circa figuram & magnitudinem terræ, longitudinem & latitudinem locorum eorumque diſtantias, Zonas & tempeſtates ſtatas, circa Climata, illuminationem telluris & umbras & particulariter Antiæcos, Periæcos & Antipodas, circa Plagas, ventos & tempeſtates vagas, ac denique circa Globi terreſtris artificialis conſtructionem & uſum atque Mappas Geographicas. Et hic quidem Geographiæ elementa deſinunt: quæ vero ad Hydrographiam pertinent, ſunt capita de Pyxide nautica, de Loxodromia, de æſtimatione itineris marini, longitudine & latitudine Maris, de Mappis Hydrographicis ſeu Marinis, de Navigatione tam plana quam Mercatoris & circulari. Singula juxta veterum Geometrarum rigorem demonſtrat, quæ ab aliis nude recenſeri ſolent. *Elementa Chronologiæ* pariter tradunt quæcun-

cunque ad Chronologiæ partem Mathematicam referri poſſunt. Agunt enim de Die ejusque partibus, horis nempe & ſcrupulis horariis, de Hebdomadibus, Menſibus & Anno, de variis annorum civilium formis apud diverſas gentes, de characteribus chronologicis, variis præſertim Cyclis, de Epochis variarum Gentium, de Calendario Chriſtiano tam Juliano, quam Gregoriano, & Juliano correcto, de Calendario Judaico & Muhamedano, ubi computus Judaicus per plura problemata docetur, & conciliatio calendarii Muhamedani cum Juliano correcto docetur. Adduntur paſſim problematibus demonſtrationes, ubi neceſſariæ ſunt. E. gr. faciliima demonſtratione munitur problema de anno periodi Julianæ ex datis cyclis Lunæ, Solis atque indictionum definiendo. *Elementa Gnomonicæ* etiam præcipua complectuntur, quæ circa omnis generis horologia ſolaria tam primaria, quam ſecundaria apud Autores tradi ſolent, tum etiam circa ſigna zodiaci, lineas longitudinis dierum aliasque horologiis inſcribendas. Agitur etiam de Horologiis, quæ in variis corporum ſuperficiebus deſcribuntur, item de Lunaribus atque ſidereis. *Pyrotechnia* ſiſtit capita de pulvere pyrio, ignibus bellicis ſeu nocivis, tum etiam *feſtivis*, de tormentis & mortariis, de tormento inſititio & cuniculis ſubterraneis. Proxime ſequitur *Architectura Militaris*, quæ Regulas artis muniendi tradit primum in genere, prout ex ipſis definitionibus derivantur, deinde in ſpecie, prout in diverſis muniendi formis cum regularibus tum irregularibus atque caſtellis ſecundum diverſorum Architectorum hypotheſes applicantur, ac denique agitur de operibus hoſtium campeſtribus. Inter diverſas muniendi formas regulares explicantur forma muniendi 1 Belgica, 2 Paganiana, 3 Blondelliana, 4 Vaubaniana utraque, 5 Scheiteriana. *Architecturæ Civilis elementa* abſolvuntur octo capitibus de fundamentis architecturæ civilis, de materia, de fundamentis ædificiorum, muris eorumque tectorio, de januis atque feneſtris, de conclavibus Ædificiorum, de pavimentis, laquearibus & fornicibus; de fornacibus, caminis & focis, de ſcalis & tectis ac deniq; de ichnographia & ortographia ædium. In ordinibus Architectonicis deſcribendis Goldmannum

num

Digitized by Google

num equidem ſequitur, niſi quod modum ab ipſo in 360 particulas diviſum nonniſi in 30 more conſueto dividat: principia tamen eorum ita generatim pertractat, ut §. 135 & 148 inde oſtendat, quomodo omnis ordinum varietas proprio Marte ab unoquoque detegi poſſit. Agmen denique claudunt de præcipuis ſcriptis Mathematicis brevis Commentatio, Indexque rerum & verborum locupletiſſimus. Recenſentur primum Curſus, Opera atque Lexica Mathematica, deinde ſcripta Arithmetica, Geometrica, Analytica & Algebraica, Trigonometrica, Statica & Mechanica, Hydroſtatica, Aerometrica, Hydraulica, Optica, Aſtronomica, Chronologica, Geographica & Gnomonica, Architectonica, Pyrotechnica & Fortificatoria, ita ut multa ad hiſtoriam litterariam ſpectantia & progreſſum inprimis Mathematum concernentia una tradantur, atque ex recenſione intelligi posſit, cuinam uſui ſcripta ſingula inſervire queant.

EUCLIDIS ELEMENTORUM LIBRI PRIORES SEX, item undecimus & duodecimus, ex verſione Latina FREDERICI COMMANDINI. Quibus accedunt Trigonometriæ planæ & Sphæricæ Elementa, item Tractatus de Natura & Arithmetica Logarithmorum. In uſum Juventutis Academicæ.

Oxoniæ, e Theatro Sheldoniano, 1715, 8.
Conſt. plag. 20 Tabb. æn. 2.

CL. Editor, *Johannes Keill*, Aſtronomiæ in Academia Oxonienſi Profeſſor *Savilianus*, in præfatione *Euclidem* defendit contra nonnullorum cenſuras, qui nova elementa Geometriæ ſcripſerunt. Cum enim iisdem definitiones *Euclideæ* videantur obſcuræ; Noſter eas ait eſſe diſtinctas & claras, e primis principiis & conceptibus noſtris facilioribus & ſimplicioribus petitas. Cum illi demonſtrationes *Euclidis* judicent vix evidentes; hic easdem elegantes vocat, perſpicuas & concinnas. Denique cum illi res omnes malo ordine diſpoſitas pronuncient; hic ingenue fatetur, ſe aliam methodum magis idoneam & diſcentibus faciliorem inter omnia hujus generis ſcripta inveni-

venire nullam. Non minus reprehendit illorum inſtitutum, qui in editionibus ſuis Elementorum *Euclidis* propoſitiones alias prorſus omittunt, aliarum demonſtrationes in pejus mutant. In hunc cenſum refert nominatim *Andream Tacquetum* atque *Claudium Franciſcum Millietum Dechales*, qui propoſitiones 27, 28, 29 libri ſexti cum aliis nonnullis in Elementis, judice Noſtro, optimo jure ponendas omiſerunt. *Barrovvii* elementa brevitate; *Claviana* vero prolixitate nimia peccare cenſet. Ipſe igitur prima ſex *Euclidis* elementa cum libro 11 & 12 ex verſione *Frederici Commandini* per ſe edi curavit, hac ratione optime conſulturus juventuti Academicæ, & in eorum gratiam, qui Geometriam elementarem ad praxes vitæ commodis inſervientes applicare deſiderant, Trigonometriæ planæ & ſphæricæ compendium ſubjunxit. In hac uſum inſignem habent Logarithmi, ut in vulgus notum eſt. Sed cum hactenus, qui tyronibus ſcripſerunt, certas quasdam easque magis obvias Logarithmorum proprietates ſelegiſſe, intimam eorum naturam non aperuiſſe videantur Noſtro; ipſe ſuppleturus quod adhuc deſiderari credidit, tractatum brevem de Natura & Arithmetica Logarithmorum addidit.

ACTA CAUSÆ RITUUM SEU CEREMONIARUM Sinenſium.

Coloniæ Agrippinæ, juxta exemplar Romanum, 1715, 8.
Pl. 6 cum 1 fig. æn.

DE controverſia inter Jeſuitas & Dominicanos circa ceremonias Sinenſes agitata ſatis conſtat inter eruditos, ac meminimus, in *Actis* quoque hiſce ſubinde quædam huc ſpectantia memorari. Vid. A. 1699 p. 490; A. 1700 p. 169 & 173; A. 1709 p. 95; A. 1711 p. 234, 235, & 281. Is libellus, quem jam ob oculos habemus, ſex conſtat capitibus, quorum priora quatuor jam Romæ edita ſunt, a nobisque A. 1711 p. 234 recenſita. Duo igitur poſteriora, quæ nunc primum prodeunt in lucem publicam, complectuntur (1) *Declarationes & reſpective ſubmiſſiones aliquorum R. R. P. P. Generalium Religioſorum Ord. deſuper San-*

ctitati

Digitized by Google

ctitati ſuæ ſeu ſedi Apoſtolicæ factas. (2) *Præceptum Clementis XI ſuper omnimoda, abſoluta, integra & inviolabili* (perperam in titulo excuſum eſt *violabili,) obſervatione eorum, quæ alias a Sanctitate ſua in cauſa rituum ſeu cerimoniarum Sinenſium decreta fuerunt, die 19 Martii 1715.* Sic p. 65 *Michael Angelus Tamburinus*, Præpoſitus Generalis Societatis Jeſu, profitetur, ſe in deciſione Pontificis acquieſcere, curaturumque, ut & ſodales ſui omnes idem faciant. Idem facit porro p. 68 Generalis Prædicatorum, p. 69 Generalis Auguſtinianorum, p. 70 Vice - Commiſſarius Generalis Minorum Obſervantium, p. 71 Vice - Commiſſarius Generalis Reformatorum. Succedit p. 73 ſeqq. *Declaratio* modo memorati *Tamburini* ſuper *Poſtulato unanimiter ſibi facto a Patribus Aſſiſtentibus Nationum & Procuratoribus provinciarum Societatis Jeſu* A. 1711, Pontifici Max. oblata d. 20 Novembris ejusdem anni. Scilicet accuſati fuerant ab inimicis Jeſuitæ, quod *præ ceteris inobedientes ſint conſtitutionibus Apoſtolicis.* Hanc infamiam ut a ſe amoliantur, præſenti epiſtola ad Pontificem data ſpondent ei ac promittunt ſanctiſſime *conſtantiſſimum obſequium, reverendiſſimam ſubmiſſionem, & obedientiam cæcam in amplectendis & exſequendis, quæcunque per Sanctam Sedem decreta fuerint & imperata, iisque potiſſimum, quæ circa Sinicos ritus tum A. 1704, tum A. 1710 edita ſunt.* Poſt Præceptum Clementis XI P. M. A. 1715 datum ſequitur p. 100 ſqq. Deſcriptio adjectæ figuræ æneæ, ſolenne Confucii ſacrificium repræſentantis: ex qua ſuperſtitio Sinenſium abunde cognoſci poteſt.

THEOLOGIA NATURALIS & REVELATA, PER Aphoriſmos delineata ex commentario de veris DEI viis T. H. VAN DEN HONERT, S. Theol. D. & in Lugd. Bat. Acad. Prof.

Amſtelodami, apud Wetſtenios, 1715, 8.

Pl. 20½.

MAx. Reverendus Autor, in profeſſione Theologica celeberrimi *Salamonis van Til* Succeſſor non ita pridem conſtitutus, jam A. 1702 nobis innotuit, quippe quo anno ejus Diſſertatio-

Digitized by Google

tionem *de ſtylo N. T.* cum aliorum ejusdem argumenti lucubrationibus conjunctè publicatam p. 519 ſqq. recenſuimus. Nunc auditorum Academicorum commodo paſſus eſt ab *Iſaaco Verburgio* (qui & Præfationem adornavit,) ex ſuo *de variis Dei viis commentario* excerpi præſentes *Aphoriſmos*, Syſtema quoddam Theologiæ & naturalis & revelatæ exhibituros. Non eſt noſtri moris, hujus generis libros fuſiori repræſentare recenſione, cum ipſe titulus & ſcopum auctoris & doctrinas prodat, nec quicquam nobis relinquatur, præterquam novæ concinnæque methodi commemoratio. Eam autem ſecutus eſt Cl. *Honertius* methodum, ut diſtributa in ſex libros univerſa Theologia, primo agat *de rerum eſſentia atque exiſtentia:* altero *de officiis*, ubi Ethicam & Jus Naturæ ſtrictim exhibet: tertio *de peccato dominante*, quo actiones hominum allatis libro II legibus adverſæ recenſentur: quarto *de divina Bibliorum origine & auctoritate*, ubi accurate Moſi ſuos aſſerit libros, ſimulque objectiones diluit: ſexto denique *Theologiæ revelatæ ſyſtema* continuata theſium ſerie proponat, ſubjectis e S. Scriptura probationibus. Ceterum Cl. Autori uti in philoſophicis theſibus *Carteſium*, ita in theologicis *Coccejum* ſequi placuit. Poſterius ex ſeptem eccleſiæ periodis ſæpius inculcatis potiſſimum elucet. Prius libro ſtatim primo manifeſtum facit, cujus prima theſis hæc eſt: *Certiſſimum principium eſt: Cogito, ergo ſum.* Secunda: *Eſſentia animæ humanæ eſt continua cogitandi activitas.* Septima exiſtentiam DEI probat ex idea ejus. Huc pertinet Th. 54 & 57. *Anima hominis non poteſt producere motum in corpore, ſed Deus movet corpus, cum voluntas humana cupit aliquid efficere.* Item Th. 81, 82 & 84. *Corpus humanum producitur ſola operatione DEI, qui per occaſionem ſeminationis parentum corpus ex eo format. Huic corpori a DEO additur tunc anima per creationem immediatam, cum, artubus abſolutis, eorum nervi in cerebrum per quandam poſituram conveniunt.* Singularis quoque ſententia eſt, quam lib. II Th. 94 exprimit ita: *Nemo obligatione contrahendi matrimonii ſolutus eſt, niſi qui certus eſt, ſe generationi ineptum eſſe.* Ibidem Th. 161 & 239 *Geulingianis* hypotheſibus conformes ſunt: *Homo nunquam debet conſequentias*

vir-

Digitized by Google

virtutis (id eſt, præmia) *reſpicere tanquam cauſas impulſivas ad virtutem. Solo amore obedientiæ DEUS eſt proſequendus, non benevolentiæ, non concupiſcentiæ.* Etiam Th. 475 hujus libri non eſt omnium doctorum communis: *Non licet diſſimulare veritatem & profiteri falſum.* Sed hæc ſufficiant: cetera enim cum communibus Reformatæ Eccleſiæ placitis amiciſſime conſentiunt.

THE HISTORY OF THE RISE AND GROUTH OF SCHISM.

i. e.

HISTORIA ORIGINIS ET INCREMENTORUM Schiſmatis in Europa, ingenti religionis Chriſtianæ ſcandalo ſubſiſtentis, exemplis e Vitis quorundam falſorum Prophetarum & Doctorum inter diſſentientes, Papiſtas, Anabaptiſtas, Tremulos, Browniſtas, Muggletonianos, Gallicos Prophetas, Deiſtas, Blaſphematores, Presbyterianos, Independentes &c. petitis. Additæ ſunt Vitæ & Examina aliquot recentium Blaſphematorum cum Obſervationibus de tribus magnis Impoſtoribus, nec non Religio præſentis ætatis Libertini cujusdam recens ab Atheiſmo converſi, ſcripta occaſione glorioſe a Britannico Parliamento cœptæ Schismatum ſuppreſſionis.

Londini, ap. J. Morphew & A. Dodd, 1714, 8.
Plag. dimid. 14.

Librum producimus ex titulo non æſtimandum, certe id non præſtantem, quod titulus magnifice ſpondet, quoque toto perlecto, qui, quo ſpectent pleraque eo contenta, quove inter ſe nexu cohæreant, diverſis ſubinde typis impreſſa, divinare valuerit, is nobis erit magnus Apollo. Neque enim nobis facile meminimus obtigiſſe Librum, in quo hoc auguratu ſit difficilius; hoc unum prodit, rigidiſſimo ac ad furorem fere ſevero Anglicanæ Eccleſiæ Defenſori, quicquid eſt

hoc rei, deberi, niſi forte, quo ſæpe inter legendum inclinavit animus, hac ſpecie quidam Empæcta Religionis ſeſe obvelaverit, ſimulato zelo omne, quod Chriſtianum eſt, riſui expoſiturus. Ipſa Introductio, quæ Præfationis loco præmiſſa eſt, graviſſimis damnationis ſententiis in Diſſentientes, quos in titulo nominavimus, detonans, in Scholas a Presbyterianis erectas ſingulari vehementia invehitur; de inſtituto operis altum eſt ſilentium. In opere ipſo inter mire congeſta non bene junctarum diſcordia ſemina rerum primi comparent Papiſtæ, quibus Lucretii illa applicat: ſæpius olim Relligio peperit ſcelerosa atque impia facta; tantum relligio potuit ſuadere malorum. Deinde prolixe enarratis Franc. Spiræ fatis, quem Wicleſi ſcriptis converſum Anglicanæ Eccleſiæ accenſeri vult, horrorem hujus Eccleſiæ, ſi quid nos videmus, Lectoribus incutere conatur. Proximi ſunt Anabaptiſtæ, quos cum plerisque Hæreticis antiquis collatos Monaſterienſium turbarum factorumq; expoſitione proſequitur. Succedunt Tremuli, e quorum grege unius miſeram mortem exponit; Browniſtæ, quorum Autorem Brownium deſperabundum obiiſſe narrat, & Muggletoniani, ita enim Atheos a nonnemine, Ludov. Muggletono, placuit ipſi appellare. Tum vero, poſtquam hos omnes leviter, at magna cum acerbitate perſtrinxiſſet, neſcio, quo nexu ſequitur *The Alamode Religion* h. e. Religio hujus ætatis ſolemnis, a Libertino recens ab Atheiſmo converſo conſcripta. Is vero eſt Rich. Burridge, cujus deinceps examen additur, quod blaſphemiæ cauſa publice ſubiit. Miram ille ſuæ vitæ nectit hiſtoriam. Natus & educatus juxta Eccleſiæ Anglicanæ principia mox contra Parentum voluntatem tempore Jacobi II Regis in Seminario Jeſuitarum Londinenſi, quod eo tempore in loco, *Savoye* dicto, habebant, Romanæ Eccleſiæ placitis imbutus, ad naturalis ingenii dotes perditam vitæ pravitatem adjunxit, ut jam tum alter *Roceſtrius* inter ſuos audiret. Longum eſt cetera perſequi ἀσωτίας documenta, qua militarem, civilem, conjugalem vitam maculaſſe ſe profitetur, omnis religionis expers, Romanam eo tantum nomine ſequens, quod ea maxime patentem omnium ſcelerum portam videretur

retur aperire. Longum & recenſere, quomodo jam blaſphema jam in civilem ſtatum injuria Scripta iteratam ipſi captivitatem conciliaverint, donec alieni æris cumulati ergo iterum in cuſtodiam detruſus, accuſatione blaſphemiæ publica, ac ſermone ſacro Miniſtri ordinarii in 2 Pet. III v. 9 commotus, An. 1712, 6 Julii in Sacello cuſtodiæ publicæ adjacente (*Newgate-Chappel*) Atheiſmum ac Papiſmum ſolenniter ejuraret, & ad Anglicanam Eccleſiam rediret. Sequitur ergo Enarratio Proceſſus judicialis circa crimen blaſphemiæ ipſi imputatum, cujus quidem verba veremur nos piis exponere auribus, certe, quæ *iſtic referuntur, in carceribus Londinenſibus publicis* a captivis cuſtodibusque committi ſolita ſcelera nemo absque graviſſimo animi horrore legat aut ediſſerat. Burridgius autem, etſi perjura, ut ipſe vult, Teſtium depoſitione publice blaſphemiæ convictus, ac pœna etiam publica, ſed pro ratione delicti ſatis levi, affectus, ea quidem verba, quæ ipſi imputata fuere, diffitetur. Quæ hanc actionem judicialem excipit, abjuratio ſive recantatio in Templo, quod modo memoravimus, facta, non caret πάθεσι, luculenta anteactæ vitæ repræſentatione, deploratione, & ſeria veniæ deprecatione, habet tamen interſperſas digreſſiones ſatis prolixas & tantum non dogmaticas, quæ ad Autoris inſtitutum vix videntur quadrare, qualis eſt longa illa de Blaſphemia in Spiritum S. disquiſitio p. 39-42; deniq; Autor æternam jurat fidem Eccleſiæ Anglicanæ. Novo deinde titulo poſt hanc abjurationem comparet *Religio Libertini*, quæ quidem, ſi quid nos percipimus, Confeſſionem Fidei continet, cui ſe Rich. Burridgeus obſtrictum velit, eſt vero & ipſa valde prolixa, acuminibus argutæ dictionis diſtincta, ac imprimis in nonnullis admodum ſingularis. Ita p. 48 non diffitetur ſibi adhuc placere Romanæ Eccleſiæ vernaculas Scripturæ S. verſiones prohibentis ſententiam, ne quivis illiteratus homuncio interpretem agat oraculorum Dei, p. 50, diſplicere ſibi ſeveritatem doctrinæ, quæ paganos damnat, in quibus Viros probos aut honeſtos cum Atheis ſceleratisve eodem judicio damnari iniquum cenſet, quin etiam optat Origenianæ ſententiæ veritatem conſtare, quæ ipſis Dæmonibus ſpem faciat ſalutis. Sic p. 56 neſcio quid ſibi velit

phra-

Digitized by Google

phraſis Autoris, qua Adamum integrum, concupiſcentia decerpendorum virginitatis Evæ florum actum, felicitatem ſuam perdidiſſe ait. P. 65 de Diluvio generali loquens, ipſos quoque piſces in eo præter duos e ſingulis ſpeciebus periiſſe exiſtimat. P. 75 ob Evæ lapſum, a quo cum poſſet abſtinere, pleno arbitrio ſibi ſuæque poſteritati perniciem tantam paravit, quandam adverſus fœminas animo ſuo hærere antipathiam dicit, & multa de amore fœminarum admiſcet, quæ in Confeſſione Fidei ſeria vix quæſiveris. Alioqui ſubinde tanta dictionis elegantia, tanto acumine, imo & tanto cum affectu Sacra Myſteria eum videas enarrare, ut, laudari an culpari mereatur, prorſus ambiguus hæreas. Succedit denique ſcripto huic nullo nexu brevis, ſed acerbiſſima Tractatio de Prophetis Gallis, ac mox de tribus Impoſtoribus, ex qua quidem poſtrema obſcure quidem, non tamen ſine ſatis certis indiciis cernas, tres illos Impoſtores homini profano eſſe Papam, cujus Eccleſiam famoſo Johannæ Papiſſæ commento, dicam, an exemplo proſtituit; Martinum Lutherum, quem prætextu reformandorum errorum plures introduxiſſe, & a quo ortos fuiſſe rigidos Presbyterianos, juratos Monarchici imperii hoſtes, Philadelphianos, homines quintæ Monarchiæ, Chiliaſtas, & multas alias Sectas monſtroſas, ac religioni pudendas, turpiter calumniatur; & denique Joh. Calvinum, Independentium progenitorem. Ita finit librum, Eccleſiæ Anglicanæ de intemerata puritate & novo, quem ſub Regina defuncta ſperabat, flore gratulatus. Unum addimus, Richardum Burridgeum, cujus Hiſtoria maximam complet libri partem, p. 19 promittere edendos a ſe libros: Dictionarium Mercatorum, Poemata varia, Notas in Lucretium, Faſtos Britannicos, Lectiones Orientales cum verſione Latina, Translationem Herodoti, denique Biblia ſacra ex Hebræo Latine reddita & Annotationibus illuſtrata, quæ ſi prodierint, rectius forte conſtabit, quo animo hic libellus in lucem fuerit emiſſus. Nobis, qualis Autori in conſcribendo de hoc opere mens fuerit, haud ſatis, perlecto licet ſumma induſtria libro, patuiſſe ingenue fatemur.

PETRI

PETRI POIRET VERA ET COGNITA Omnium Prima, ſive de Natura Idearum ex Origine ſua repetita, aſſerta, & adverſus Cl. A. Pungelerum defenſa, Diſquiſitio Theologico-Philoſophica, in qua Spinoſiſmus & Socinianiſmus tuto præveruntur, neceſſarium & ſufficiens ſolius Dei Eſſe, ceterorum Nihilum primum radicitus pateſiunt, ac non paucis in Theologia & Philoſophia momentoſis difficultatibus profundius dilucidandis via aperitur.

Amſtelodami, ex officina Wetſteniana, 1715, in 12 ch. aug. Plag. 17.

CUm reliquis adverſariis, quos expertus eſt bene multos, Autor Clar. cujus nomen in Republ. Literarum neminem poteſt latere, ſupervacaneum duxerit reſpondere, unus inventus eſt *Abrahamus Pungelerus,* Theologiæ Profeſſor Herbornenſis, cui raro quippe ac honeſtioris & æquioris animi adverſario, ceteris indignis obtrectatoribus & deriſoribus prætermiſſis, ut ſemel reſponderet, a ſe ipſo impetravit. Ad abſtruſa vero primæ Philoſophiæ imo & Theologiæ penetralia cum ſpectet tota hæc Diſceptatio, in ipſa Præfatione lectorum veniam rogat Poiretus, ſi quando eadem ſemel iterumque ſibi in memoriam revocari videant, quod non abs re rogari intelligent, qui in hoc opere verſabuntur. Nimirum cum ille in Cogitationibus rationalibus de Deo, anima & malo L. III C. X ſcholaſticam ſententiam de æternis & neceſſariis rerum creabilium in ipſa Dei intelligentia vel eſſentia Ideis confutaviſſet, hanc vero Cl. Pungelerus *Diſſertatione de Rerum poſſibilium Ideis in Deo, Cl. Poireto oppoſita,* & Herbornæ A. 1712 edita, defendiſſet, viſum eſt hanc materiam, Pungelerum κατὰ πόδα ſequendo, dilucidius perſequi, ac, quemadmodum is fecerat, totum Volumen in Iſagogen, Partes tres, & Mantiſſam diſpeſcere. In Iſagoge momentum quæſtionis expenditur, quodque Poireto tribuerat adverſarius, quaſi, qui neceſſarias in Deo crederent ideas, eos Deum hoc modo in ſimilitudinem imaginum corruptibilium transformare exiſtimet Poiretus, diluitur hæc ab eo p. 8 ſqq.

in Malebranchium dicta commonſtrando, ac objectam ſibi in
p. 11. ſqq. defendenda olim Carteſiana Philoſophia intemperiem excu-
ſando, qua quidem Philoſophia nihil eſſe magis corruptum, ite-
rum aſſeverat. *Pars I* ſtatum Quæſtionis format, ubi ante
omnia idearum definitio a Pungelero data examinatur, cui illæ
17. ſunt *perfectiſſimus divini Intellectus actus, quo ſibi in potentiæ*
ſuæ abſolutæ vel eſſentiæ ſpeculo, quicquid ut fiat, velle poteſt, vel,
priusquam fieret, convenienter naturæ ſuæ velle potuit, repræſen-
18. *tat*, Poireto contra *formæ ab arbitrario Conceptu Dei libere ex-*
cogitatæ ad exercitium luſuum delectationumque ſuarum non
23. 24. *eſſentialium.* Unde tota controverſia eo redit. „An vere, plene
„& complete, quantum poſſumus, agnoſcatur ac ſtatuatur Dei
„*Natura*, itemque ejus *naturalis* potentia, intelligentia, volun-
„tasque perfecta, ſi in Deo nihil *neceſſario* percipiamus præter
„naturalem & vivam ſui *productionem* ſive exſertionem atque
„exercitium in ipſo Deo per generationem Filii & ſpirationem
„Spiritus S. nullam itaque potentiam, intelligentiam, volunta-
„tem ac beatitudinem *naturalem* eſſentialemve neceſſariam-
„que, quam, quæ occupentur circa objecta illa, quæ ſunt ipſe-
„met Deus trinunus, ejusque & productiones & perfectiones
„naturales? An vero ſtatuendum ſit præterea Deum, ejus poten-
„tiam, intelligentiam, imo & voluntatem *neceſſario* & *naturali-*
„*ter* occupari circa formas rerum, quarum eſſe objectivum &
„repræſentativum non ſit ipſe Deus, aut perfectio naturalis Dei,
„ita, ut ſine hac occupatione Deus ipſe perfectus non eſſet?„
28.-32. Prius aſſerit, poſterius negat Cl. Poiretus, qui deinceps diſtinctio-
nem eorum, quæ Deo tribuuntur, in *neceſſaria & arbitraria*, ſive
naturalia & acceſſoria, non fictam, ſed a Theologis in doctrina
de Gloria Dei adhiberi ſolitam, ac hic quoque adhibendam eſſe
33.-38. docet, mox, an omnes Deus excogitaverit ideas, quas potuit, an
non potuerint aliter excogitari, quid ſint in Deo, & unde ſint, de-
nique ad quem finem excogitatæ, disquirit, tandemque propoſi-
tam jam antehac Cogitat. rat. L. III C. 13 §. 9 in notis diſtinctio-
38. 39. nem τοῦ *poſſibilis in ante-ideale, coideale, & poſt ideale* repetit.
Parte II argumenta Cl. Pungeleri pro ſua ſententia ab eo ad-
42. 44. ducta refutantur. Ante omnia hujus ſuppoſitum removetur:

Quo

Quo res, quæ cognoſcuntur, ſunt plures, eo perfectiorem eſſe intellectum, perfectiſſimum, quando omnia cognoſcit, quæ ſub intellectum cadere poſſunt. Id quidem axioma Deum ſibimet ipſi in plena ſui ipſius cognitione non ſufficientem, ſed a rebus nihili cognitis perfectionem intellectus mutuantem introducere, atque adeo omniſcientiam, neceſſarium Dei attributum, non ex omnium poſſibilium notitia ſuſpendendam ſed in eo quærendam, quod *omne perfectum*, hoc eſt, Deum perfectiſſime cognoſcat, pertendit. Palmarium Cl. Pungeleri argumentum, ad quod perpetuo fere redit, eſt ab *Omnipotentia* Dei deſumptum, quæ p. 48.
cum Deo ſit naturalis, adeoque & ejus Cognitio reflexa ſit Deo naturalis, Potentia autem non poſſit adæquate cognoſci ſine rebus poſſibilibus, inde ſequi exiſtimat, naturalem & neceſſariam eſſe Deo omnium poſſibilium cognitionem. Contra Poiretus, Omnipotentiæ divinæ exercitium *adæquatum* in rebus puſillis, 52.
quæ coram maximo Deo ſint res nihili, dari non poſſe, unum *Objectum adæquatum* eſſe in Deo ipſo, cum generat aut ſpirat Deum de Deo; ſcire vero Deum ſcientia, quæ ipſi naturalis, 54.
quicquid in ſe eſt, ac præterea, quod, ſi quid placeat ei velle, ſuum id velle a potentiæ ſuæ exercitio *realiſabitur* ad ſuum placitum. Neque adeo imperfectionem intellectus divini ſequi, 55.
etſi ignoret alia præter ſe ſibi neceſſaria, neque ſufficientiam 60.
omnimodam diverſis modis ſe exprimendi, vel quid eum deceat, Deum ignoraſſe, quæ omnia non datis creaturis ſubſiſtunt, nec voluntatis perfectioni derogari, cujus diverſa & veluti ſe 64. 65.
ſubſequentia decreta ſine ſimplicitatis divinæ læſione Theologi omnes concedant, oſtendit. Nec porro, ſi, quas antea non formaſſet ideas, ex nihilo produceret, inde novam aliquam *realitatem* aliunde Deo accedere putat, nempe a re, cui ipſe non 73
dederit id, quod res ea habet, neque verum eſſe, quod nullam novam realitatem ex placito Deus ſibi dare poſſit, qua extra ſe pro arbitrio delectari volenti, cum ipſa Scriptura hanc conſiliorum 74. 75.
Dei rationem expromat, ut *lætetur* de hominibus, certe nulla naturæ neceſſitate ad ea adactus. Docet etiam, mundum, antequam crearetur, omnino *eminenter* exſtitiſſe in Deo, cum illius potentiæ obverſaretur *Nihil obedientiale*, ut loqui amat, hoc 77. 78. 79.
eſt

Digitized by Google

eſt *antecedens nihil* ideæ aut realitatis creaturalis, cui *ſubſequens*
τὸ aliquid ideale aut reale jubente Deo *ſuccedere poſſit*, ut hic
effectus nequeat a quoquam impediri. Succedit *Pars III*,
qua pro ſua ſententia adducta argumenta firmat & vindicat Poi-
p. 87. 88. retus. *Sectio I* in generalibus ſubſiſtit, ac, quod in Cogitatio-
nibus rationalibus dictum fuerat, hac Poireti opinione unice
ſatisfieri poſſe Atheorum cavillatione, quando ex neceſſaria re-
rum aliarum extra ſe perceptione, ſi qua in Deo talis ſtatuatur,
Entis ſumme perfecti negant exiſtentiam, id vere dictum eſſe,
92. 93. fruſtraque a Pungelero alia reſponſa tentari oſtendit. Ipſam
quoque ſententiam ſuam ab Adverſario male contractam IV
Propoſitionibus clariorem reddit: Dei naturam eſſe abſolute
neceſſariam, & ſibi ſufficientem; rerum ideas in pura & abſo-
luta Dei eſſentia eſſe abſolutum Nihil, ſive in ea neceſſario non
involvi; habere vero eas ſuum Eſſe etiam ideale ex libero Dei
placito; potuiſſe eas aliter atque aliter ſeſe habere, ſi Deus vo-
101 ſqq. luiſſet: denique ad quatuor Quæſtiones, quas Pungelerus re-
ſponſione ex Poireti hypotheſi carere debere augurabatur, re-
ſpondet. Sectio altera XVIII Poireti argumenta ordine recen-
ſet & ab adverſarii objectionibus defendit, quæ cum ex Cogita-
tionum rationalium L. III C. X §. 28 -- 44 repetantur, ſintque
bene multa, nos, ne fines inſtituti excedamus, ubi ſingularia quæ-
dam fuerint, de iis monere Lectorem erimus contenti. Itaque
circa argumenta I, II, III, IV, quæ, ſi Deus ſit perfectiſſima Cogi-
tatio, ſi ſolus a ſe, ſi ſolus ſibi ſufficiens, ſi ſolus ſit neceſſarius, pro-
bant nullam rei creatæ ideam ad perficiendam intelligentiam
116. 117. Dei neceſſario & naturaliter requiri, imprimis caſtigat Cl. Pun-
geleri aſſertiones, ideas rerum poſſibilium eſſe vere unum cum
122. idea Dei, quia nihil aliud ſint, quam idea potentiæ divinæ, eas
pertinere ad naturam Dei, illas quaſi complere ac perficere
133. 137. 138. ipſum Deum, poſſibilia nihil eſſe a Deo diſtincti, ita imprudenter
in caſſes Spinoſæ nos delabi querens, ſua vero ſententia ſoli Deo
ſartam manere ſummam perfectionem, ac neceſſariam exiſten-
160. tiam, uno verbo *τὸ ſum, qui ſum*, oſtendens. Circa VII argu-
mentum a ſimplicitate Dei petitum, docet, ſimplicitatem Dei,
qua plura ejus attributa ita ſecum cohærent, ut eorum unum

non

Digitized by Google

non ſit nec poſſit concipi eſſe ſine alio, tolli omnino, ſi ad ideam Dei complendam neceſſario requirantur ideæ rerum creabilium, quæ ſeſe mutuo non inferant, ſed prorſus excludant. Ac ne quis hac Objectione ipſius quoque ſententiam premat, addit, conceptum Dei in conſtituendo ideas creabiles omnino non eſſe ſimplicem eo modo ac ſenſu, qui divinæ eſſentiæ ſimplicitati proprius eſt, ita tamen, ut, quæcunque rebus creatis inſunt diverſitates, in eſſentiam Dei non influant, non eſſentiales quippe illi, ſed plane arbitrariæ. Imprimis vero IX Viri docti argumentum attentionem meretur, quo cum unam tantum eſſentialem ac coæternam Dei imaginem Filium ejus æternum aſſeruiſſet, cui, ſi aliæ imagines coæternæ & eſſentiales addantur, hoc ipſo mirum quantum detrahatur, totam ſuam de S. S. Trinitatis cognitione ſententiam XIII Propoſitionibus complectitur, eo fere redeuntem: Cum S. S. Trinitas mundum univerſum creaverit, dubium non eſſe, quin ea in creatis impreſſerit nonnulla ſui veſtigia, ſigna & characteres, in omnibus certe aliqua, ex quibus integri homines eam cognoſcere potuiſſent, quæ quanquam nunc corruptæ mentes non aſſequantur, certum tamen ſit, glorificatas olim *aſſecuturas*, probabile, nunc quoque, qui gratiis Dei internis & externis probe utantur, ex iis veſtigiis pervenire poſſe ad veram aliquam, etſi valde imperfectam, S. S. Trinitatis cognitionem: ceterum cæcis hominum mentibus hac in re ſuccurriſſe Deum per Scripturam, in qua, etſi Judæus ob præjudicia, Socinianus ob rationis ſuæ ſuperbiam id myſterium non agnoſcat, ſimplices tamen Chriſtiani id ſimpliciter agnoſcant & venerentur, etiamſi nonnullas e ratione vel imaginatione vel præjudiciis ideas minus congruas acceſſorio modo ſibi una cum hiſce repræſentent; diverſitatem vero in hac cognitione eruditioni ideali ac curioſæ deberi, quam prout quisque magis minusve ſinceritate cordis temperaverit, magis minusve in ea erraverit, quo magis abhorruerit, eo magis divina myſteria intime perſpexerit, quod quidem attigiſſe vult *diviniores illos ſcriptores, qui jure nomen myſticorum ferunt, melioribus*, ut loquitur, *agnitos paucis, ſuperficiariis contemtos multis.* Enarrat deinde Periodos ſuorum in hac doctrina profectuum, &, quæ in Cogitatio-

p. 162. 163. 171. 174-182. p. 181. 182 ſqq.

tationibus rationalibus olim vel imperfectius tradiderat, vel ab
aliis tanquam animæ pernicioſa perſtringi viderat, in tertia, quæ
ſub prælo ſudat, earundem Editione emendata aut defenſa pro-
p. 187. - 190. ponere ſpondet. Pungelerum vero tanquam celeberrimi cu-
jusdam Theologi, generationem in Deo œconomicam ſolum,
non vero realem ſive propriam ſtatuentis, qui eſt ſine dubio H.
A. Roëllus, auditorem & diſcipulum, hujusdem placita ab
omnibus aliis Theologis improbata non obſcure ſequentem,
195. ſq. notat. Circa argumentum XI merentur, quæ Vir Cl. de diſtincti-
one inter acquieſcentiam & beatitatem ſive felicitatem diſpu-
206. ſq. tat, conſiderari. In ratione XIII multum hæret, ac, an ideæ illæ ſe-
cundum ſuam, an juxta Pungeleri ſententiam, rectius Dei repræ-
215. - 217. ſentativæ dicantur, diſquirit, cum Poiretus quidem ſtatuat, eas ex
libero Dei placito repræſentare nonnullas Dei perfectiones,
Pungelerus, eas per ſe ipſas neceſſario repræſentare potentiam
Dei, quatenus potens eſt facere, quicquid vult, quo quidem mo-
do Poiretus exiſtimat ideas illas ſui repræſentativas ſui ſcopum
223. - 238. reddi. Imprimis autem circa argumentum XIV oſtendit, ſi ideæ
rerum poſſibilium independenter a Deo ſint æternæ, tum fata-
lem quandam neceſſitatem ita introduci, ut per eam Boni Malive
diſcrimen prorſus tollatur, cum, quicquid voluntas humana a
Deo independenter ſtatuerit, id ab omni ævo ſaltem idealiter
neceſſarium fuerit, naturaliterque bonum & juſtum, quodcun-
265. - 276. que illud fuerit. Plura poſſemus addere, ſed feſtinandum de-
nique eſt ad Mantiſſam, quæ multa continet notatu digna. Et-
enim Sect. I periculum Idololatriæ & Spinoſiſmi in ea ſenten-
tia, qua aſſeratur, rerum creatarum ideas a Dei ipſius idea neu-
tiquam differre, paulo clarius monſtratur, & loca tria ex Poireti
279. - 283. Libris de Eruditione adverſus Cl. Pungelerum vindicantur. Sect.
II in conſequentiam fatalis rerum neceſſitatis, quam ex doctri-
na de idearum æternitate, immutabilitate & neceſſitate deduxe-
rant non Poiretus modo, ſed & Waeyenus, van Till, & Bach-
manius, a Pungelero hoc nomine notati, prolixius inquiritur,
eamque conſequentiam Burch. de Volder quondam manifeſte
285. ſuam feciſſe docetur. Itaque Pungelerum fruſtra laborare, ut
293. ſqq. cum ſua ſententia libertatem Dei conciliet, ut ex altera hypo-
theſi deducat, Deum, ſi ideæ illæ non ſint neceſſariæ ac æternæ,
bruto

Digitized by Google

bruto modo decreviſſe formare ideas, quas ſe formare poſſe ignoraverit. Præcipue, ut pateat, quomodo ipſe Poiretus ab p. 296. una origine æterna atque increata proceſſum idearum & rerum omnium etſi imperfectiſſime *& ad captum creaturarum per modum ſucceſſivum & temporalem æterna cogitantium accommodate* adumbret, ita fere (in pauca ejus mentem contraximus,) ea ediſſerit: Deus Pater radicaliter a ſe ſubſiſtens perfectiſſimus, 297. ſe ipſum contemplans, imaginemque ſui formans, eam invenit dignam, cui largiatur ſubſiſtentiam ſuæ ſimilem, hic eſt Filius Dei, Patri coæternus & perfectiſſime coæqualis: Pater in hac 298. imagine immenſum delectatus, Filiusque viciſſim in Patre, hunc amorem luminoſum ac delicioſum, digniſſimum inveniunt, cui & ipſi ſimilem ſuæ ſubſiſtentiam largiantur, isque eſt Amor perſonalis, ſive Perſona Spiritus S. ſerutans profunda Dei Patris & Filii, & cum ſuimet repræſentatione divine repræſentata offerens Patri & Filio veluti in ſpeculo contemplanda, quod Divinitatis ſpeculum, inquit, dicitur *Sapientia* Dei. *De ea vero* 299. 300. *cum quæſitum ſit a nonnullis, an & ipſi data ſit a Deo Patre, Filio, & Spiritu S. ſubſiſtentia aliqua, ſive quidam exiſtendi modus cum hypoſtaſibus SS. Trinitatis habens aliquam analogiam*, quomodo locutos eſſe dicit noſter Poiretus *ex antiquioribus autores librorum Sapientiæ & Eccleſiaſtici, ex recentioribus profundos ac divinos ſcriptores, Bœmium, Pordægium, Leadam,* quanquam *quid proprie conceperint, haud facile determinaveris*, ea de re ἐπέχειν vult Poiretus, Tauleri verbis curioſitati ſuæ ponens terminum. Interea hæc divina, inquit ille, ſapientia præter æter- 301. ſqq. nas imagines divinorum myſteriorum excogitare geſtiens, ex mero lubitu imagines, ectypice infinitisque modis varias Dei perfectiones repræſentantes, ut Deus ex his non eſſentialem ſed acceſſoriam caperet delectationem, *produxit ideas*, deinde, ut oſtenderet eas Deo placere, & locum daret generoſo Spiritus S. amori ſe diffundendi, placuit his ideis dare ſubſiſtentiam non idealem ſolum ſed realem. Et hoc eſt, inquit, *Decretum Creationis.* Sectio III Mantiſſæ Quæſtionem huc quidem dire- 305. 310. cte non ſpectantem, a Pungelero tamen motam, *de rerum ipſarum futuritione quantum ad earum eventa & regimen*, diſcutit,

tit, ac cum rigidæ Prædeſtinationis patronis Poireti ſententia prorſus ſit adverſa, hoc forte ipſum Cl. Pungelero omnem hanc
p. 311 ſqq. bilem conjicit moviſſe. Vindicantur itaque hic, quæ alias de libertate hominis, de prædeterminatione omnium, ejusque malis effectibus dixerat, & ab heterodoxiæ aut nimiæ virium hominis exaltationis imputatione defenduntur. Ac inter alia queritur Poiretus, a plerisque doctorum non animadverſum eſſe, quod jam dudum Oeconomiæ divinæ L. VI omnes illæ difficultates ab ipſo ſint ſolutæ, quas poſtea *celebris ille Atheorum & Manichæorum ſimiliumque Dei inimicorum patronus Bælius* de origine mali, deque Dei bonitate, ſapientia, juſtitiaque excita-
313. ſq. vit. *Ubi*, pergit, *duriores ac ultimos profani hominis nullus eorum recte diſſolvit nodos, ne excepto quidem erudito illo autore, qui haud ita diu ſub* Theodicæi *nomine prodiit in publicum, quippe cujus Principia cum de negata vel non agnita libertate indifferentiæ poſitivæ, tum de præſtabilita omnium harmonia nihil aliud conficere mihi videntur, quam, ut ex iis concludatur, quæcunque eveniunt, ipſos etiam ſpontaneitatis actus, eſſe ſolum evolutiones nobis inevitabiles eorum omnium, quæ jam antea præparata & incluſa erant in ſeminibus a Deo ita creatis: quo ipſo autem omnes objectæ difficultates diſſolvendæ ſimul redire videntur.* Sectio denique IV Mantiſſæ in refutando, quod Cl. Pungelerus
333 ſqq. Diſſertationi ſuæ addiderat, Annexo: Scripturæ S. divinitatem non poſſe aliunde, quam ex ratione adſtrui, non poſſe, ſi ratio fallibilis eſſet, occupatur, ubi quidem Poiretus, graviter repræſentata rationis depravatione, novo, quod recenſet, Rationaliſtarum Evangelio, lac ſimplicis doctrinæ Evangelicæ opponit, monens, ſi eo pede pergant Rationaliſtæ, non longo intervallo ſecuturum Pelagianiſmum, qui jam per Pajoniſmum, humanæ rationis genuinum fœtum, in procinctu ſit, ipſumque indiſſolubili vinculo connexum Socinianiſmum. Reſpondetur & breviter ad aliud annexum, quo Pungelerus veſtigia Trinitatis in homine naturalia negaverat, & ad ea vel Eccl. XII, 1 per *Crea-*
348 ſq. *tores* ibi nominatos nos remitti creditur. Adduntur & fru-
351. ctus totius doctrinæ hoc libro defenſæ, addita tamen proteſtati-
354. one, alteram doctrinam tenentes a ſe malis conſequentiis non

gra-

Digitized by Google

gravandos, multo minus ſalute æterna excluſos habendos eſſe, qui ne erroneam quidem de abſoluta reprobatione & electione ſententiam ſe ex animo cujusdam evellere velle teſtatur, cui illa per accidens bonum aliquem uſum ad ſui emendationem præſtaret, cum ſubſit ſæpe & erroribus aliqua veritas, quæ diligentibus Deum vertatur in bonum ab errore annexo non ſtatim avellendum neque deſtruendum, ut Chriſtus docuerit in parabola zizaniorum. Hæc hucusque Vir doctiſſimus, cujus ſententias nuda recenſione judicio Lectorum ſine noſtra cenſura maluimus exponere: ejus operum Catalogum ad calcem libri adjecit Typographus.

TECHNICA SACRA, SIVE DE ORIGINE ET uſu verborum atque phraſium, quæ ſenſibus Myſticis a Spiritu S. & Eccleſia accommodata ſunt &c. Autore M. TOBIA ECKHARDO, Gymn. Quedl. Rect.

Quedlinburgi & Aſcaniæ, apud Gottl. Ern. Strunz, 1716, 4.
Alph. 1 plag. 3.

QUantum juvet artis noſſe terminos, ii demum intelligunt, qui vel aliorum ſcriptis interpretandis, vel controverſiis dirimendis ſeſe dederunt. Huic labori levando Eruditi varii generis variarumque diſciplinarum Lexica condiderunt, quorum haud exiguum Catalogum ipſe *Cl. Autor* in *Præfatione* præſentis opuſculi contexuit. Verum tamen cum nondum omnia ad liquidum deducta ſint, operæ duxit pretium, ſuccincta hac Commentatione notabiliores ſacros illuſtrare terminos. In quinque Capita tota abit tractatio, quorum *Primum* de *Ortu & Progreſſu verborum artis* ediſſerit. Cenſet nimirum Cl. Autor, primos Græcorum Latinorumque Philoſophiæ conditores antiqua vocabula vel accommodaſſe vel nova rebus urgentibus effinxiſſe. In ſcenam heic prodeunt *Pythagoræ, Platonis, Ariſtotelis & Zenonis* nomina peculiaria, eorumque ut conſtent exempla, videantur quæ de vocabulis *μονὰς* & *τετρακτὺς* Platonicorum fuſius ibidem docentur. Scholaſticorum nimia p. 7 ſqq.
verborum efformandorum libido ad calcem capitis repre-

henditur, puro enim caſtoque dicendi genere Philoſophiam tractari poſſe, plane exiſtimat Cl. Autor, quo ipſo tamen noſtratum technica vocabula ſua vernacula exprimentium morem minime carpit, quum ſe Romanorum & Gallorum exemplis facile tueri queant. *Alterum* Caput de *Ortu & Progreſſu verborum Artis ſacrorum* agit, ſacroſque ſcriptores voces ad res ſignificandas myſticas accommodaſſe evincitur. Maximam tamen hujus tractationis partem controverſæ implent quæſtiones, *de Apoſtolorum linguis, num omnes Græce ſcripſerint, quisnam ſit N. T. ſtylus, & num Platonis vel Philonis ſit reſperſus vocabulis? De Myſticis vocabulis ſeu Technicis ſacris Tertio* diſquiritur capite. Horum in cenſum veniunt voces ἀπόςολος, ἐπίσκοπος, πρεσβύτερος, ἐκκλησία &c. Autoris induſtriæ ut exemplum exſtet,
p. 100 ſqq. διαβόλου vocabulum cum Autore conſideremus. *Obtrectatorem* vulgo ſignificare, ex 1 Tim. III, 3, Tit. II, 3 probatur. Poterat & Syrus Interpres in ſubſidium vocari, qui διάβολος ſemper per ܐܟܠܩܪܨܐ quod *calumniatorem*, *accuſatorem*, notat, interpretatur. Præcipue vero in ſacris *angelum deſertorem, malignum* & *impurum ſpiritum* ſignificare aſſeritur, nec hominem aut meram ideam ſeu viſionem eſſe, contra *Beckerum* vindicatur, ex loco Matth. IV, 1, *Chriſtum ſubductum eſſe in deſertum a ſpiritu, ut tentaretur* ὑπὸ τοῦ διαβόλου. Quæ verba dum cavilletur Beckerus non obſcure prodere, ſe non tam Chriſti quam *Celſi*, pagani hominis, qui eadem luſit, diſcipulum eſſe. Illud vero obſervatione dignum judicat, quod διάβολος tantum in ſingulari occurrat, non quaſi unicus tantum ſpiritus malignus ſit, verum quod princeps horum ſpirituum hoc potiſſimum vocabulo denotetur, reliqui enim ἄγγελοι τοῦ διαβόλου appellantur. Ex *Rhodigino* quoque adducit, a Pherecyde traditum, anteſignanum dæmonum cœlo lapſorum *Ophioneum* nuncupatum fuiſſe, quod locis Scripturæ, ubi *ſerpens* diabolus vocatur, mirifice illuſtrat. Apud LXX Seniores Hebræum שטן per διάβολος verſum legitur: additur & diaboli aliud nomen *Dæmon*, quo gentiles bonos & malos genios promiſcue appellarunt, ſacri autores vero de malis tantum ſpiritibus uſurpant. *Nova in Novo Fœdere verba Quartum* tradit Caput, quod

ut

Digitized by Google

ut à præcedenti differat, nos quidem vix capimus; nam & ſuperioris capitis vocabula Novi ſunt Fœderis, & quæ de *Græca* heic exponuntur lingua, haud perfunctorie maximam partem ibidem tractata fuere. Illud tamen hic ſibi præcipue vindicandum ſumſit, ſacros ſcriptores novas nequaquam effinxiſſe voces, quod pluribus exemplis demonſtratum dedit. p. 120 ſqq. Novas vero phraſes integrasque formulas, aliis ſcriptoribus incognitas condidiſſe, atque ad ſuum accommodaſſe uſum, ingenue fatetur. Has inter cenſet ἐνδύσασθαι τὸν Κύριον Ἰησοῦν, σαυροῦν τὴν σάρκα &c. Sed cum voces hæ improprio ſaltem ſignificatu accipiantur, dubitare vix poſſumus, quin hæc nova non ſolum non ſint, verum & ab omni Græco leviſſima intelligi potuerint opera. Ceterum de vocabulo χαλκολίβανον, quod bis in Apocalypſi, cap. p. 128. I, 15, II, 18 legitur, non injucundam Cl. Autor profert conjecturam. Plerique hanc vocem noviter efformatam putant; at Noſter, illam aurifabris, qui Epheſi, ubi Johannes commorabatur, plurimi erant, oppido familiarem fuiſſe arbitratur, deducitque a monte Libano, qui in regione tribus Aſſer ſitus erat, de qua ipſe Moſes Devt. XXXIII, 25 teſtatur: *Ferrum & æs calceamentum ejus.* Atque hac ratione χαλκολίβανον idem erit ac ὀρείχαλκος, ab ὄρος mons; Libanus enim hic κατ᾽ ἐξοχὴν vocatur mons. *Ultimo* demum Capite de *Ratione interpretandi verba ſacra & myſtica* agit: Stoicos & Platonicos heic nullatenus conſulendos exiſtimat Cl. Autor, certioraque ſacros artis terminos interpretandi ſubſidia affert.

Illud tamen prætermittendum haud eſt, de Terminis artis V. T. vix quicquam hic reperiri, quamquam & Technologiæ ſacræ titulus hoc requirebat, & ipſa rei neceſſitas efflagitare videbatur. Optandum ſane eſſet, ut pari ingenii induſtria & dexteritate, qua Græcos nobis dedit artis terminos, Hebraicos quoque illuſtraſſet, nam & hos fruſtra in Lexicis requiras. Quot, quæſo, in ſtructura & Tabernaculi & Templi mathematici occurrunt termini, qui crucem Criticis figunt? Quot apud Jobum & Salomonem philoſophica legere licet vocabula, v. g. תו שיה, *ſubſtantia*, עבין *Ens*, & forte permulta diſciplinarum artiumque nomina, quæ vel ex antiquitate & vocum originibus illu-

ſtraſſe operæ foret pretium? De שאול num *Infernum* denotet, quæri poterat, ſed tacemus hoc cum innumeris aliis. Sed tamen hæc non eo a nobis dicta credi volumus, uti debita ſua Cl. Autor fraudetur laude; etenim Critica illum arte dictionisque venuſtate plurimum valere, omnes æqui rerumque periti nobiscum judicabunt lectores.

D. JOH. MICH. LANGII TRACTATUS DE Nuptiis & Divortiis.

Berolini & Primislaviæ, ap. Chriſtoph. Gottlieb Nicolai, 1716, 4.

Pl. 20.

SCopus, quem maxime Reverendus Autor, a Potentiſſimo Boruſſorum Rege ante aliquot annos Altdorffio ad Metropoleos Ukeranæ inſpectionem ſacram vocatus, præſenti Tractatu intendit, haud alius eſt, quam ut in gratiam ſtudioſorum Theologiæ & Miniſtrorum Eccleſiæ compendium quoddam Regularum & Jurium de Nuptiis & Divortiis compilaret. Voluit autem animi ſui ſenſa ex ipſis dictis claſſicis Levit. XIIX, 6 & Matth. V, 31 ad Regulas exegeticas potius, quam ad veſtigia Exegetarum Vulgarium evolutis atque tractatis tradere. Ubi tamen diſtinctionem hactenus neglectam inter ſtatum Jurium Naturæ integræ, (qualem Deus primitus inſtituit) & eorundem in ſtatu corrupto (qui poſt lapſum, ſenſim quidem reſtituendus, demum enatus) ſemel iterumque inculcat. Ex cujus confuſione dicit plurima dubia Doctoribus magni nominis ſurgere; inde quoque totum Socinianiſmum ſpeciem quam forte habeat, cepiſſe. Neque diſtinctum clarumque Juris Naturæ & Gentium conceptum ſibi promittere quenquam poſſe, niſi prius utroque ſtatu accurate per omnia diſtincto. In diſſertatione igitur prima agit de Nuptiis per Jus Naturæ, Poſitivum Divinum, Humanumve, eumprimis Eccleſiaſticum prohibitis; cumque fundamentum prohibitionis Lev. XIIX, 6 unice conſiſtat in reliquiis carnis, hinc in quantum iſtæ produci debeant, Sectione prima inquirit prolixius. Nimi-

mum

Digitized by Google

rum opinatur, rationem imprimis eſſe habendam Parentelæ, quatenus hæc involvat Jus Patrium, tam primarium, quod in linea recta eſt, quam ſecundarium & quaſi ſubſidiarium, quod in collaterali linea ex ipſius hypotheſi obtinet, ita ut ibi effectum & vim ſanguinis deficere putari debeat, ubi Parentela & Jus Patrium exſpirat; quod quidem in linea recta nunquam fieri poſſe oſtendit, fieri autem ſolere in linea obliqua. Videlicet Fratres & Sorores, quamprimum ipſi ſuas ſibi peculiares familias condunt, in his novum Jus patrium acquirere, ſibique mutuo, quatenus ipſi Patres aut Matres familiarum ſunt, nullatenus ſubjici. Hærere tamen, ſi ipſi liberos procreent, ob nexum immediatum cum ſtipite communi, ex quo Fratres & Sorores prognati fuerunt, etiam jus quoddam ſubſidiarium, illudque mutuum, in utriusque novæ familiæ liberos: mortuis enim Parentibus, parentum fratres & ſorores per Jus Naturæ divinumque, jus Parentelæ, etſi non niſi ſubſidiario titulo, adminiſtrare teneri. Sed deſinere hunc reſpectum Paternum, quam primum deſcendentes ex utraque parte longius uno gradu a ſtipite communi abirent. Ita nodos alias indiſſolubiles ſolvi, modo ſimul obſervetur, jus Parentelæ ſubſidiarium, quod in linea collaterali obtinet, ſupponere mortalitatem atque defectibilitatem (ut ipſius verbis inhæreamus) perſonarum generantium in Linea recta: quem quidem caſum jam demum poſt lapſum exortum eſſe, adeoque ex Jure Naturæ, quatenus hæc eſt per lapſum Adami vim paſſa, non autem ex primæva naturæ inſtitutione fluere; hinc nuptias filiorum Adami minime inceſtuoſas aut Juri Naturæ contrarias fuiſſe, quia Autor Naturæ Deus, Patriarchæ Adamo tantam indulgendo longævitatem effecerit, ut filii ejus in prima generatione gauderent adhuc Jure Naturæ, quod in ſtatu innocentiæ & immortalitatis obtenturum fuiſſet, mox autem ceſſaret in generatione ſecunda filiorum Adami, inter quos vero Caini in fratrem furor morborum vim antevertens, ſatis probaverit, non poſſe diutius homines in ſtatu tam flebili, quo ipſi vel in propria viſcera furere non dubitabant, jure parentelæ ſubſidiario carere. p. 15.

Digitized by Google

p. 21. Ceterum Jure Naturæ prohibitas eſſe cujuscunque generis nuptias in linea, qua Conſanguinitatis, qua quoad primum genus Affinitatis recta, tam Aſcendente, quam Deſcendente in
23. infinitum. In linea vero collaterali æquali tam in Conſanguinitate, quam genere primo Affinitatis prohibitas eſſe nuptias in primo gradu, & in ſecundo imo etiam tertio & quarto gradu lineæ inæqualis, ſi altera perſona a ſtipite communi uno tantum gradu diſtet.

64. De Jure autem divino quæri poſſet, an Deus ad gradus vel ad alias circumſtantias reſpexerit in nuptiis prohibendis? Equidem Max. Reverendus Autor aſſerere non dubitavit, Deum in prohibitionibus ſuis Lev. XIIX ad paritatem graduum non reſpexiſſe, interim perſonas complures, ibidem non enumeratas, ſub enumeratis quidem prohiberi, ex aliis tamen quam paritatis graduum rationibus. Nam 1. computationis graduum tanquam rei mere arbitrariæ ne veſtigium quidem in Sacris Scripturis extare, nec eandem ex uſu illorum temporum temere ſupponi poſſe. 2. Maximam ſæpe diverſitatem inter perſonas unius ejusdemque gradus intercedere, tum ratione linearum, familiarum, duplicitatis vel unitatis vinculi cognationis, tum ratione conſanguinitatis vel affinitatis.

74. Quod vero attinet conjugia Patriarcharum quorundam in gradibus conſanguinitatis prohibitis inita, e. g. Abrahami Patris fidelium cum Sara ſorore ſua Gen. XX, 12, ita ſentit Max. Rev. Autor; ſc. gradus quidem in Linea Collaterali omnes prohiberi, ſed non ex prima naturæ inſtitutione, verum poſt mortalitatem per lapſum inductam, ex Jure Patrio ſubſidiario, ob mortalitatem lineæ rectæ, propioribus nonnullis collateralium gradibus demandato. Facile autem intelligi legis illius diſpenſabilitatem, ſiquidem fundamenti loco ea habeat naturam hominum non amplius integram ſed corruptam. Jam vero Deum reſtitutionem naturæ integræ ſerio moliri, poſſe etiam, quoties & ubicunque vult, cum hominibus agere ex legibus naturæ integræ & indulgere iiſdem contra legem naturæ mortalis privilegium: id quod in matrimo-

trimoniis illis Patriarcharum factum ſit. Videlicet Abrahami fata conjugalia fuiſſe non vulgaria, ſed plane prophetica & ex peculiari conſilio divino profecta. Quod vero Othniel fratris filiam Achſam duxerit, fictionem eſſe ex mala vulgati Latini verſione ortam, cum textus Ebræus longe commodius & rectius ſic vertatur: *Et cepit eam Othniel, filius Kenaſi fratris Calebi natu minoris*, conf. Joſ. XV, 17, ubi B. Lutherus: Da gewann ſie Othniel/ der Sohn Kenas/ des Bruders Calebs; Nec in verſione B. Lutheri Anno 1524 impreſſa alium ſenſum Jud. I, 13 haberi; ita vero ibidem legi: Da gewann ſie Athniel der Sün Kenas / des Calebs jüngſten Bruders/ non vero, ut hodierna exemplaria, ſine dubio vitioſe legunt: des Calebs jüngſter Bruder. Sphalma hoc tamen quod in Bibliis Vinarienſibus, Sternianis & alii Jud. I, 13 occurrit, editiones nonnullas recentiores ſive ex fide veterum exemplarium, ſive ex locis parallelis Joſ. XV, 17 & Jud. III, 9 merito correxiſſe.

Circa matrimonium Jacobi Patriarchæ, qui duas ſimul uxores duxit, Deum divino plane & mirando potius quam rimando conſilio diſpenſaſſe; ſaltem myſterium hic latitare; & LEAM quidem ſignificare ſynagogam veterum fidelium, ſub jugo legis gementem & multis, uti LEA, moleſtiis preſſam; alteram, nempe RACHELEM, typum geſſiſſe Eccleſiæ Chriſtianæ ex Gentibus vocatæ. De conjugio cum defunctæ uxoris ſorore ita ſtatuit, nimirum eſſe illud omnino non prohibitum per textum Lev. XVIII, 18, interim tamen ex aliis rationibus maximopere diſſuadendum, tum propter confuſionem nominum Conſanguinitatis & Affinitatis, tum propter reſiduum carnis & Parentelæ reſpectum, inter haſce perſonas deprehendendum, adeo ut re integra diſpenſatio vix locum ſit inventura. Quibus vero ex cauſis matrimonia legitime contracta divortio tolli atque diſſolvi poſſint, nunc etiam exponit Summe Reverendus Autor, & cum iſta conjunctio arctiorem omnino inferat copulam, quam quæ ab hominum viribus ſolvi poteſt, patet exinde diſſolutionem omnem non niſi ex voluntate divina procedere debere. Quæ vero ſit hac

p. 102. 105. 134.

in

in parte voluntas Dei, colligi poteſt ex Matthæi V, 32, Matth. XIX, 19 & 1 Cor. VII, 15, quorum textuum conciliatio-
p. 137 nem nunc tentat. Scilicet priores duo, quemadmodum vulgo verti ſolent, nullam divortii juſtam cauſam agnoſcunt, præter ſolum adulterium; e contra Paulus Apoſtolus 1 Cor. VII caſum malitioſæ deſertionis etiam allegat, partemque innocentem fidelem a jugo ſervitutis abſolvit; obſervare igitur jubet,
p. 138 quod locus Matth. V, 32, Παρέκτὸς λόγε πορνείας haberi debeat tanquam expoſitio propoſitionis exceptivæ Matth. XIX, 9 occurrentis εἰ μὴ ἐπὶ πορνείᾳ. Non enim gratis in loco priore non tam πορνείαν quam λόγον πορνείας h. e. rationem adulterii allegari, ut ſit ſenſus, *nunquam recte dimitti uxorem, niſi vel adulterium vel delictum adulterio non levius fidem conjugalem ruperit.* Sicque optime conſpirare Paulum 1 Cor. VII: malitioſam enim deſertionem adeo non eſſe crimen adulterio levius, ut potius λόγον πορνείας ſeu rationem adulterii ſimplicem plane ſuperet. Sicque de reliquis divortium inferendi cauſis, ut ſunt inſidiæ vitæ, ſævitiæ, denegatio debiti conjugalis, facile poſſe ferri judicium, quippe quæ omnes fidem vinculumque conjugale non minori violentia diſrumpant.

SEVERI SANCTI, ID EST, ENDELEICHII Rhetoris de Mortibus Boum carmen ab ELIA VINETO & PETRO PITHOEO ſervatum, cum notis IOANNIS VVEITZII & VVOLFGANGI SEBERI.

Lugd. Bat. apud Petrum Vander Aa, 1715, 8. maj.
Plag. 5.

HOc, quod exiguum videri poterat antiquitatis monumentum, a patrono acceptum, iterum publici uſus facere ejusdem Editor in animum induxit, ut in hac communi armentorum ſtrage Lector diſceret perſonam Chriſtiani hominis ſapienter agere, & ſi damnum publico malo aliquod faceret, ejus verum autorem cognoſcens iræ mitigandæ divinæ juſta, ſupplicibus fuſis precibus, piacula quærere. Autor ejus incertus eſt, illiusq;
ætas

ætas dubia: primus id edidiſſe hic aſſeritur Petrus Pithœus, qui ab Elia Vineto idem acceperit, cum aliis epigrammatibus & poematibus, Pariſiis anno 1590, quam editionem Antonii Candidi Lugduni 1596 ſecuta eſt. Bibliothecæ Patrum ſecundæ editioni primum inſeruit Margarinus de la Bigne tomo VIII, anno 1589 & inde alii. Quo igitur jure noſter Editor hujus Bibliothecæ compilatores ingratitudinis accuſet, quod Pithœo debitas gratias non referant, minus intelligimus, cum in edendo Pithœum anteverterint, niſi fortaſſis in ſcribendo error admiſſus ſit, & major fides Celeberr. Fabricii, in Bibliotheca Latina, rationibus adhibenda, quando jam ante Pithœum ab Elia Vineto editum monet, & ab illo cum Vet. *Galliæ* Theologorum opuſculis vulgatum Pariſiis 1586, 4 tradit. Tandem ad Germanos pervenit, a Jac. Bongarſio ad Io. Weitzium, qui ſuis luculentioribus, & Wolfg. Seberi annotationibus illuſtratum Francofurti 1612 edidit, a quo ſeculi majore intervallo ſeparatum non prodiit, usque dum peſtifero nunc inter bovinum pecus morbo graſſante, hujus ratione habita, lectionem de novo commendavit, præfatione addita, Editor qui nomen prodere noluit. Autorem diverſo nomine appellari, ut & ipſum carmen paſſim videmus, & ad diverſa utrumque tempora referri. Aquilium, vel Attilium, aut Cœcilium Severum, de quo Hieronymus in Scriptoribus eccleſiaſticis, pro autore fuiſſe habitum, Pithœi nos docet obſervatio, qui ſibi videri illo antiquiorem monet. Voſſius de Poetis Latinis cum in nomine, tum in ætate ſtatuenda fluctuat; capite namque VIII, ubi de Poetis incertæ ætatis, Carolo tamen Magno prioribus, ſub nomine Endelechii Rhetoris, ſive Severi Sancti, videtur cum Pithœo facere, quando Hieronymo majorem dixerat: ſub Severi Rhetoris & Poetæ Chriſtiani autem nomine nihil monet, niſi quod in Bibliothecæ Patrum tom. VIII Edit. II extet carmen de mortibus boum, & Poſſevinum reprehendit, quod inepte ſcripſerit Severini Rectoris de moribus boum. Verum itaque nomen atque ætatem reſtituiſſe videtur Jac. Sirmondus in notis ad Sidonium Apollinarem lib. 4 epiſt. 8 docens, Endelechium hujus carminis autorem eundem eſſe, cujus monitu Paulinus Nolanus epiſt. 9 ad

Sulpicium dicit, ſe ſcripſiſſe panegyricum Theodoſio Imperatori, cujusque mentio habetur in codice quodam Bibliothecæ Vaticanæ Apuleji, in quo Saluſtius quidam hæc notavit: „*Ego* „*Saluſtius legi & emendavi Romæ feliciter Olybrio & Probino* „*Coſſ. in foro Martis controverſiam declamans oratori Endelechio* „*Conſtantinopoli recognovi Cæſario & Attico Coſſ.*„ Quam doctiſſimi Sirmondi obſervationem ſibi præreptam queritur Noſter a Bibliothecæ Patrum quartæ editionis curatoribus; at ſine cauſa, cum jam ante hos eandem ſubſcriptionem, in paucis mutatam, ex Florentinis membranis miniatis literis notatam G. Elmenhorſtius Apulejo ſuo ſubjunxerit, &, quod Thomas Reineſius Ep. VIII ad Daumium obſervat, Curtius Pichena præfat. append. not. in Tacitum, unde Reineſius veram ætatem Severo noſtro reddere ſe poſſe autumat. Nam cum plures ſint Sancti nomine clari, inter ſe diverſos Reineſius deſtinguit; cumque Sidonius cujusdam mentionem injecerit, alterius Paulinus, & iterum alius Auſonius, ita hunc quidem Auſonianum patrem, illum Paulinianum filium, & iſtum Sidonianum, qui noſter eſt Endelechius, & ad annum Chriſti 395 refertur, nepotem facit, omnes autem Aquitanos. Sed cuncta incerta ſunt, & ex conjectura dicta, cum ipſa etiam, quæ hic de oratore Endelechio ſcripta ſunt, ad alium pertinere queant. Chriſti nomen vere profeſſum eſſe, ultimi carminis verſus manifeſto videntur prodere, de quo tamen itidem Autor Præfationis ſubdubitat. Inſcribitur vulgo carmen bucolicum, vel ecloga de mortibus boum; eclogam vero jure dici jam negavit Weitzius; poſterius ita improbavit Reineſius a. l. „*Inſcriptio de mortibus boum eſt gloſſema inſulſi grammaticaſtri*„ quod aſſertum probat ex argumento carminis, quod eſt efficacia ſigni crucis, quam occaſione mortalitatis boum ignaris & incredulis tradere voluerit. Ipſi autem argumento occaſionem dediſſe autumat, vel verum armenti peſtiferum morbum, qui Alarico anno 409 Italiam ingreſſo pecus proſtravit; vel fictum ex more Rhetorum. Verum ſatis confidenter ita de inſcriptione pronuntiat, cum & argumentum de mortibus boum ſigni crucis commendandi opportunitatem potuerit ſuggerere. Ceterum uti lectu non indignum plane,

nec

nec injucundum credimus veris antiquitatis reliquiarum æſtumatoribus opuſculum, ita ad excitandam in Chriſtiano homine pietatem, & ad ferendum afflictis contagioſa pecorum lue ſolatium, parum profuturum ſperamus. Inſolitæ ſunt quædam loquendi formæ, & vocabula vix alibi, eodem ſenſu, adhibita, ut e. c. mentis geminæ crepitacula, quæ Weitzius diverſi ſoni tintinnabula interpretatur, & his ſimilia, quæ in Grammaticorum uſum in indice collecta ſunt.

BIBLIOGRAPHIÆ ANATOMICÆ SPECImen. Cura & ſtudio JACOBI DOUGLAS, M.D. Societ. Reg. Soc. & in Colleg. Chirurg. Londinenſ. Prælect. Anatom.

Londini, apud Chr. Bateman, Georgium Strahan, & Guil. Innys, 1715, 8.

Plug. 32 dimidiat.

In Specimine hoc, Illuſtriſſimæ Societati Regiæ, quæ Londini floret, dicato, Catalogum exhibet Autor clariſſ. omnium pene Autorum, qui ab Hippocrate ad Harveum rem Anatomicam ex profeſſo, vel obiter ſcriptis illuſtrarunt. Quicquid enim præclarius invenerunt erudita hominum ingenia, aut quicquid ex aliis compilarunt viri famæ cupidiores, juxta temporum ſeriem annotavit, ut utriſque laudis ſuæ præmia recte decernerentur. Inventa hæc nullo cum negotio cognoſcet Lector, ſiquidem librum, capita, paginam, quibus tractantur, ſigillatim indicata inveniet. Ut autem eo majori jucunditate ſe commendaret liber iſte, Hiſtorias, Vitas, & Elogia Anatomicorum ab ipſis Autoribus, aut ab eorum Editoribus, vel Commentatoribus, qui illorum Nomina, Cognomina, Patriam, quando nati, & quo ætatis anno occubuere, quos Præceptores nacti ſunt, ubi floruerunt, & quibus ſtudiis inclaruerunt, ſcriptis mandarunt, utplurimum excerpſit Noſter. Libros quod concernit, eorum editiones, qua lingua prodierint, quaque forma extent, una cum loco & tempore, quibus typis impreſſi fuerint, qui plane

Digitized by Google

novi ſint libri, quique duntaxat recuſi, quales icones ſint præfixæ, an nativæ, an mutuatitiæ, an ligno, vel æri inciſæ fuerint, in tabula quaſi perſpiciet Lector. Ex quibus omnibus haud odſcurum illi amplius fuerit, quid ex libro iſto utilitatis in ipſum redundare queat, ita ut Speciminis hujus ſpecimine ſuperſedere nos poſſe judicemus.

LE VRAIMENT PARFAIT DICTIONAIRE ROIAL.

h. e.

VERE COMPLETUM DICTIONARIUM Regium Gallico-Germanicum & Germanico-Gallicum, radicale, etymologicum, ſynonymicum, phraſeologicum & ſyntacticum; Autore MATTHIA KRAMERO, Prof. linguarum Occid. & Socio Regiæ Societ. Berolin.

Tomi V.

Noribergæ, ſumptibus Jo. Andreæ Endteri fil. & hæredum, 1715, fol.

Alph. 28 ½.

NObiliſſimus Autor, qui jam tum anno 1676 edito DictionarioItalico-Germanico inclaruit, non minus nunc egregie de lingua Gallica meretur, edito in gratiam Germanorum non modico Dictionario Gallico-Germanico, cui dedicatio ad Regem Boruſſiæ FRIDERICUM jam an. 1712 præmiſſa, Index vero, ſeu Dictionarium Germanico Gallicum, anno demum ſuperiore ſubjunctus eſt. Præfatio ſatis prolixa ad modum dialogi inter Philogloſſum & Gloſſodidaſculum inſtituti præponitur, e qua patet nulli labori in colligendo hoc opere pepercisſe Autorem, multumque eum imprimis e Dictionario Academiæ Francicæ profeciſſe, quod ipſum eo etiam ſecutus eſt maxime, quod radicum in digerendo opere rationem præcipue habuit, ad quas, obſoletas licet & exigui hodie uſus, ne minus ordinate ſcripſiſſe videatur, reliqua vocabula compoſita accurate retulit. Pluribus de adhibita verborum copia, de ſententiis ex optimis Autoribus ſelectis, quas allegationibus quidem

Digitized by Google

quidem cumulare ſupervacaneum duxit, de orthographiæ ratione, de uſu Dictionarii vario eoque eximio, præfatur Autor maxime induſtrius; verum ea repetere hoc loco vix licet. Illud nobis fatendum, nondum inter Germanos quenquam linguæ Gallicæ Dictionarium tanto apparatu, tanto ornatu edere auſum, quo ex noſtris carere neutiquam poterunt, qui Academiæ, Fureterii, Richeleti aliorumque Lexicis uberioribus deſtituti, intimiores linguæ hac ætate celebratiſſimæ receſſus perſcrutari & cognoſcere cupiant.

MATURINI SIMONII DE LITERIS PEREuntibus libellus. Præfationem adjecit, & annotationibus illuſtravit JO. HERMANNUS AB ELSWICH; acceſſit Index rerum in opuſculo comprehenſarum.

Francof. & Lipſ. apud viduam Meiſelianam, 1716, 8. Plag. 12.

Literas, ut omnia in hoc terrarum orbe, ſuas habere vices, Ægypti, Græciæque exemplo Cl. Editor in Præfatione comprobat, utpote in quibus terris illæ olim decus ſuum mirifice explicuerant, jam vero relictis iſtis ſedibus pedem moverunt, & aliud ſibi domicilium conſtituerunt. Hinc etiam cauſis, quæ literas ad migrationem impulerunt, rite perſpectis, fieri poſſe exiſtimat, ut regiones, quæ hodie literarum gloria præ ceteris eminent, ſimilia fata aliquando experiantur. Illas autem cauſas in Maturini (non Martini uti Typothetæ vitio titulus habet) Simonii libello expoſitas eſſe putat, dataque occaſione primæ hujus libri editionis, quæ anno 1601 prodiit, mentionem facit, quam & deinde alia in Germania anno 1618 (non 1518, ut in Præfatione legitur) excepit, cui Sanchezii Commentatio de multum nobili & prima univerſali ſcientia, quod nihil ſcitur, adjuncta eſt. De ipſo autem libri Autore dicitur, non Italum, uti Barthius judicavit, ſed Gallum natione fuiſſe, qui Juris ſcientiam cum literis humanioribus conjunxerit, & inprimis Tacitum ſibi ſumſerit imitandum, cumque Dionyſio Petavio, celeberrimi nominis Viro,

in certamen de ritu pœnitentiæ vetere in Eccleſia deſcendere haud erubuerit. Inſcriptus eſt libellus Belliſario Bulgarino, Patricio Senenſi, cujus vitam J. N. Erythræus Pinacothec. II n. 21 delineavit. Occaſionem ſcribendi Nobilis quidam Gallus ſuppeditavit, cui ab exteris in patriam redeunti inculcavit Autor, ut ne unquam more ſuorum temporum generoſæ tantum indoli confiſus literas negligeret, ſed illas potius tanquam ultrices & amicas deinceps tractaret, neque apud ſe perire ſineret. Priusquam autem de literarum interitu, ejusque cauſis Simonius agere cœpit, tria conſtituit ſecula p. 14, quibus maxime literæ floruerunt. Primum ducit ab Olympiad. L XXX ad centeſimam, quo apud Græcos literæ ſummum dignitatis culmen attigerunt, & Socratis, Platonis, Iſocratis &c. nominibus celebres fuerunt. Alterum Seculum ſua ipſi initia ſumit anno U. C. DCXLVIII uſque ad annum DCCXLIX, quo temporis ſpatio Cicero, Livius, Horatius &c. vixerunt. Tertium tandem ipſi ſeculum eſt, quod ante duos annos (tempore nempe quo Autor hæc ſcripſerat) elapſum erat, quibus finitis ſeculis ſemper aliquam inſignem mutationem literarum interceſſiſſe credit. Septem autem cauſas hujus literarum interitus enarrat. Prima p.17 eſt ignaviæ dulcedo, quæ ſuis lenociniis juventutem ita irretit, & quaſi implicat, ut ad ſubeundos labores, ſuperandaſque difficultates prorſus inepta videatur. Et hinc uſu venire putat, quod juvenes relictis ſolidioribus jucunda modo & aſpectu ſplendida in ſtudiis aucupentur. Secunda eſt bellorum diuturna calamitas, p. 37, quæ Autoris tempore quadraginta annos Europam inundaverat, ubi Marti cum Muſis haut quaquam bene convenire, ac literarum conſilia, ut quæ pacem ſuadeant, ſemper bellis inimica eſſe, Græcorum rurſus & Romanorum exemplis docet. Tertia eſt acerbiſſima literatorum inter ſemet ipſos contentio, p.41, quam ex ambitione & multa ſciendi cupidine derivat, ubi in aliena temere involant, quæ ad ſe ſpectant negligunt, & Periandri exemplo boni Medici gloriam ſuſque deque habent, ut mali Poetæ nomen adipiſcantur. Hic acerbe Criticorum morem perſtringit, qui pro arbitrio ſuo Scriptores nunc attollere & deprime-

mere, nunc immutare & refingere cupiunt. Criticos appellat, qui ſyllabarum momentis literarum decus contineri putant, quam Grammaticalem peſtem in intimos omnium diſciplinarum aditus, Autor dicit ſerpere, pœnamque legis Corneliæ in illos valere arbitratur, qua damnantur, qui teſtamentum amoverint, celaverint, rapuerint, deleverint, interleverint, ſubjecerint, reſignaverint. Quarta cauſa eſt p.73 nimia copia literarum, literatorumque, quæ ſatietatem cuique leviſſimo afferre ſoleat, quo refert magnum Scriptorum numerum, ac ſcite ac eleganter dicit: ut antiquitas morbis, ſic nos remediis laboramus. Et p. 78. quo quiſque in ſcribendo magis ineptus, eo majorem librorum multitudinem effundit. Pythagoræ optat ſilentium, & exclamat: ſi coerceri deberent ſcriptores inconcinni & inutiles, quanti Deus bone! exularent. Quinta eſt, quod Deus juſtas pœnas ab iis expetat, qui ſententias ſalutares in hominum perniciem convertunt, p. 86. Illos nempe taxat, qui linguis & ſcientiis ad propagandas hæreſes utuntur, in quorum numerum p. 29 Machiavelliſtas, & p. 97 Chaldæos ſeu Magos refert. Sexta eſt perverſa vulgi de literatis opinio p. 103, quæ partim literatorum, partim ipſius vulgi culpa oritur. Illi enim doctrinam ſuam turpi vita evertunt, & aliter libris aliter labris loquuntur. Philavtia ſua adducti ſæpius ſemet ridendos aliis præbent, præcipue cum ab eruditis encomia libris ſuis magno apparatu præfigenda emendicant. Et tandem inutilibus nulliuſque pretii rebus occupantur, v. g. quot Ulyſſes remiges habuerit &c. Vulgus vero ſine ſelectu ingenia ſtudiis conſecrat, eruditis ſtipendia ſubtrahit, & quæ alia ſunt hujus generis, de quibus Autor graviter conqueritur. Septima pereuntium literarum cauſa p. 121 ipſi maxime generalis eſt, ſcilicet judicat Autor, quod omnia, ubi ad ſuum faſtigium pervenerint, plerumque revolvantur iterum, & communem rerum viciſſitudinem experiantur. Hæc ſtilo declamatorio in ipſo libro ulterius deducuntur, & pro re nata jucundis ac elegantibus dictis factiſque veterum illuſtrantur. An vero Autor, ſi noſtra ætate vixiſſet, octavam literarum pereuntium cauſam, ſuperfluam nimirum Ephemeridum eruditarum copiam, qua reſpublica literaria jam laborare videtur, conſtituere potuiſſet, penes eruditos

ditos

Digitized by Google

ditos harum rerum exiſtimatores judicium eſto. Ceterum, quid Cl. Editor in obſervationibus ſuis præſtiterit, ipſius verbis manifeſtabimus, namque dicit, ſe ea quæ ſtrictim breviterque a Simonio dicta, fuſius copioſiusque eſſe perſecutum. Ultimo loco propter materiæ propinquitatem Octavii Ferrarii Proluſio de cauſis pereuntium literarum, quæ T. I Opp. p. 83 extat, reperitur.

ANDREÆ CHARITII, GEDANENSIS, PHILoſ. & LL. AA. Magiſtri, Commentatio hiſtorico-litteraria de Viris eruditis Gedani ortis, ſpeciatim iis, qui ſcriptis inclaruerunt.

Vitembergæ, impenſis Ludovicianis, 1715, 4.
Pl. 18.

Continet hoc opuſculum vitas virorum ſexaginta, quæ, prout eorum notitia haberi poterat, prolixiores nonnunquam ſunt, aliquando paucis ſaltem lineolis abſolvuntur. Ex iis præcipui ſunt Gothardus Arthuſius, Chriſtophorus Behrius, Philippus Cluverius, Joannes a Curiis, Dantiſcus vulgo dictus, Daniel & Nathanael Dilgeri, Laurentius, Jacobus & Joannes Fabricii, Michael & Nathanael Falckii, Georgius Fehlavius, Gabriel Groddeckius, Jo. Hevelius, Barth Keckermannus, Lucas de Linda, Georgius Paſchius, Jo. Chriſtophorus Roſteuſcherus, Conſtant. Schützius, Daniel Zwickerus. Autor noſter in annotationibus homonymos cum cura congeſſit, erroresque aliorum in iis confundendis commiſſos, Wittenii præcipue & Kœnigii, ſollicite oſtendit. Enarrantur etiam controverſiarum hiſtoriæ, Theologicarum præcipue, quæ in urbe Dantiscana quon-
45 dam viguerunt. In vita Dan. Dilgeri notatur inſignis error God. Arnoldi, qui eum cum Dilherro, Noribergenſium Antiſtite, confuderat, & huic *Repetitionem doctrinæ Arndianæ de vero*
46 *Chriſtianiſmo*, vernacula lingva exaratam, adſcripſerat. Nath. Dilgerum optimo judicio pollentem laudat Autor, ejusque duo potiſſimum conſilia non ſane contemnenda profert. Alterum eſt, cum adverſariorum ſcripta ab auditoribus noſtris amari & evol-

evolvi videmus, id ipſis querendo potius & obteſtando, quam in eosdem invehendo diſſuadendum eſſe. Quam rem magno ſibi uſui fuiſſe exemplo Bergii, Theologi Reformati, comprobat, quem poſtquam modeſte ſatis refutarat, ipſi Reformati confeſſi ſunt, nihil ſibi hac in re cum Bergio eſſe negotii. Alterum conſilium erat, ſermones verbotenus in chartam conjiciendos & memoriæ mandandos eſſe, idque memoriæ, qua ipſum non ſatis ſemper polluiſſe apparet, conſervandæ multum conducere. Hevelius, Conſul Palæopolitanus & Mathematicus p. 37. 88. celeberrimus, incendium, quo ædes ipſius cum bibliotheca & inſtrumentis pretioſiſſimis conflagrarunt, aliquot ante hebdomadibus ex aſtrorum poſitu prævidit, eoque cives diligenter monuit, ut ignem recte curarent. Eo ipſo die, quem præviderat, totum tempus antemeridianum precibus impendit, ſumtoque prandio ſe tandem ab uxore induci paſſus eſt, ut cum amicis in ſuburbanum prædium excurreret. Cœna ſumta cubitum ivit anxius, & ingruente demum nocte ſatis ſuperque expertus eſt ſe vera prædixiſſe. Miranda tamen eſt ejus in hac calamitate ſuſtinenda patientia, qua inductus Andreæ Barthio, Paſtori Cathariniano, vicem ipſius dolenti, reſpondit: *Ferendum mihi eſt hoc onus, quod Deus propter peccata humeris meis impoſuit.*

RES STADENSES, SIVE ANTIQVA STADÆ facies, oratione inaugurali deſcripta, Autore M. GEORGIO ROTH.

Hamburgi, apud Viduam Benj. Schilleri, 1714, 4.

Pl. 7.

CL. Autor, qui, ut adparet, ſcholaſticos in urbe Stadenſi labores oratione hac auſpicatus eſt, ejus urbis hiſtoriam ſcribendam ſibi ſumſit, utque ad eam rem felicius perficiendam ſubſidia ſibi litteraria compararet, doctorumque virorum animos conciliaret, ſpecimine hoc, quid a ſe ſperari poſſit, exhibere voluit. In prima ergo Stadæ periodo Comitum Stadenſium notitia occurrit, quam ille, præmiſſis, quæ de Comitibus Germanorum in genere notanda ſunt, ſuccincte exhibuit, ac locis au-

torum in annotationibus adductis comprobavit, ſub initium
opuſculi totam Comitum ſeriem brevi tabella conſpiciendam
p. 13. propoſuit. Stadam vero ipſam antiquiſſimam urbem tum au-
torum teſtimoniis, tum exinde probavit, quia *Siatutanda* Ptole-
17. mæo memoratur, quæ ejusdem cum Stada longitudinis & la-
20. titudinis eſſe deprehenditur. Primus inter Stadenſes Comites
eſt Lotharius, qui in prælio, quod cum Obotritis & aliis Slavo-
rum populis apud Lunkinum urbem commiſit Henricus Au-
ceps, fortiſſimum ſeſe præbuit. Hujus proſapia in Hartwico
49. Bremenſium Archi-Epiſcopo a. 1168 exſtincta eſt, Stadaque jam
dicto Archi-Epiſcopatui legata.

GODEFRIDI HECHTII, LYC. LUCCAV. RECT. de Henrici Guelfi, Bajoariæ & Saxoniæ Ducis, inſignibus gentilitiis, unde Leonis elogium tulit, Commentarius.

Vitembergæ, apud Godofr. Zimmermannum, 1715, 4.
Pl. 12.

TRes in familia Guelforum ſive Catulorum Seculo XII inno-
tuerunt Henrici, Niger, Superbus, & Leo, quorum res geſtæ
p. 4. memoratu non ſunt indignæ. Henricus Superbus, Bajoariæ
Dux, ab Imp. Lothario, cujus filiam Gertrudem in matrimoni-
um duxerat, Saxoniam quoque accepit, &, contra nitentibus
p. 8. licet Alberto Urſo, Marchione, & Conrado III Imp. a ma-
ri tamen usque ad mare, hoc eſt, a Dania usque in Siciliam
dominatus eſt. Filium & ſucceſſorem habuit Henricum Leo-
nem, heroem notiſſimum, ſed cui Bojoariæ poſſeſſionem dubi-
am facere conabatur Henricus Auſtriæ Marchio, adeo ut eam
13. demum ſub Friderico I Imp. recuperaret. Is ergo quum opi-
bus creſceret, facile quorundam ex Epiſcopis odium incurrere
potuit, quam invidiam auxit, quod Friderico I in expeditione
Italica comes ire noluit. Hinc proſcriptus eſt, & in exilium
conjectus, cujus ille ſedem apud Henricum II Britanniæ Re-
gem, ſocerum ſuum, elegerat, ſalvo tamen ipſi manente, quod
modo memoravimus, Saxoniæ & Bojoariæ Ducatus patrimo-
nio.

nio. In Anglia ergo ſubſiſtenti Henricum ſocerum,qui quinque p. 27.
leones ſive pantheras in clypeo geſſerat, binos dediſſe tradunt
Theod. de Niem, Herm. Wolterus, Conr. Botho, Jo. Schipho-
verus, Alb. Crantzius, & C. S. Schurtzfleiſchius. Alii delectan-
tur fabula leonis cum Henrico ex oriente profecti, quem ille in 30.
pugna cum dracone conſervaverat. Autor Clar. de ſingulis
ſcriptoribus judicat, & primum quidem ex illis ducentis demum 33.
annis poſt rem geſtam,quam deſcribit,probat vixiſſe,quo reliqui
longe ſunt juniores. Urget vero Gerardi Præpoſiti Stederbur- 35.
genſis,& Arnoldi Lubecenſis,coævorum ſcriptorum, ſilentium,
quorum prior conſiliorum Henrici Leonis particeps fuit, & le-
gationes quasdam ejus nomine ſuſcepit; poſterior, qui reliqua
ipſius in Anglia enarrat, de hoc ſolo nihil habet. Poſtquam
ergo ſingula ſatis ſecum reputavit Noſter, ipſi hæc traditionis
jam dictæ falſitatem ſatis arguere viſa ſunt: I Saxoniæ Du- 38.
ces ante Henricum Leonem leonis inſignibus uſi deprehen-
duntur. Godebaldus nimirum, Northeimenſium & Gottingen-
ſium Comes, cujus terræ ad Guelfos pervenerunt,jam a.929 iis-
dem gaudebat, & Hermannus Billingus a. 968, circa quæ tem-
pora Billingorum quoque numi leones oſtendebant. II Et hæc 39.
ipſa inſignia non noſtro ſaltem Henrico, ſed & parenti ipſius,
qui alias Superbus audiebat, Leonis cognomen pepererunt. III
Henricus noſter a 1156 adeoque viginti annis ante exilium Bri- 42
tannicum urbem Leoſtadium de nomine ſuo condidit, IV A.
1166 Statuam Leonis publice Brunſuici poſuit, quod quidem 43.
tum temporibus ſolenne Principibus erat & uſitatum. V Urbi-
bus quibusdam eadem inſignia pridem ante exilium conceſſit.
Neque VI poſteri ipſius ab iisdem abſtinuerunt, ſed & ipſi ha- 49.
buerunt, & urbes eo nomine condiderunt. Quæ quidem ſi quis
conſideret, facile traditionem de inſignibus a Friderico Imp.
demtis, ab Angliæ vero Rege Henrico noſtro redditis, negliget,
leonum vero Saxonicorum antiquitatem nullo negotio cogno-
ſcet. Ceterum ſub finem ὡς ἐν παρόδῳ commemorat Autor no- 52.
ſter, titulum *Defenſoris fidei*, quem Henrico VIII Angliæ Regi,
contra Lutherum fortiter pugnanti, conceſſerat Leo X Pontifex,
longe antiquiorem eſſe, quippe quo Richardum, cujus ſororem

in matrimonio habuit Henricus Leo, jam mactaverit eorum temporum ſcriptor, Gervaſius Tilberienſis.

Commentarium excipiunt cogitata JCti cujusdam & Conſiliarii in Luſatis, qui ſententiam utramque de inſignibus leoninis conciliare voluit. Largitur enim, Henricum ante exilium leone fuiſſe uſum, neque tamen narrationem de donatione novorum leonum pro fabula haberi vult, quippe qui Normanniæ partem & Pictavium, quæ ab Angliæ Rege dono acceperat Henricus Leo, indigitaverint.

p. 62. Sub finem exſtat *de Cœnobiis Germaniæ rerum geſtarum tabulariis* diſſertatio, in qua oſtenditur, ante tempora inſtitutarum Academiarum in monaſteriis litterarum ſedem fuiſſe. Neminique proinde mirum eſſe debere, quod Principibus in rebus gerendis & dandis conſiliis præſto fuerint monachi, quos & illorum temporum hiſtoriæ conditores habemus, & priſtina documenta omnium optime in ipſorum tabulariis

72. aſſervata comperimus. Promittit Autor Clariſſimus Commentarium *de origine & progreſſu rei Chriſtianæ ac politioris in Germania doctrina*, inque eo caput de Bibliothecis Germaniæ, quem ſi eodem, quo noſtrum, apparatu, diligentia & judicio elaboratum exhibebit, procul omni dubio virorum eruditorum applauſum merebitur.

Leben und Thaten Friedrich des Erſten, Churfürſtens zu Brandenburg.

i. e.

VITA ET RES GESTÆ FRIDERICI I, ELECtoris Brandenburgici; Autore IACOBO PAULO GUNDLINGIO, Pot. Regis Boruſſiæ Conſiliario Aulico & Hiſtoriographo.

Halæ Magdeb. e Bibliop. Rengeriano, 1715, 8. Alph. 1. pl. 15.

CUm FRIDERICUS I Boruſſiæ Rex glorioſiſſimæ memoriæ Autori noſtro clementiſſime munus injunxiſſet, ut res geſtas Friderici I Electoris Brandenburgici memoriæ traderet, ipſe ſummo labore operi huic incumbens, Vitam tanti Heroïs

is, ex Archivis, Chronicis MSCtis, diplomatibus & fidei probatæ Scriptoribus, quorum mentionem ſub finem paginarum fecit, congeſtam, ab oblivione vindicare conatus eſt. Diplomata autem, & ipſa MSCtorum verba, unde ſua hauſit, addere ſupervacaneum exiſtimavit, qua tamen in re, num illorum, qui nihil fere credunt, quod non vident, deſiderio ſatis fecerit, noſtrum non eſt diſquirere, brevibus tantum Vitam hujus Electoris ex mente Cel. Autoris delineaturi. Fridericus Noribergenſis Burggravius, ex antiquis Alemanniæ Duci- p. 534.
bus, ſatoribus Ducum Zæringiæ, & quidem ſtirpe Zollerana 537.
ortus, poſt Fratris *Johannis mortem* paternarum ditionum ex aſſe hæres, *Wenceslao ob odium Cleri & invidiam Principum in Patrem omnium pene terris inhiantem dignitate Imperatoria* privato, Ruperto poſtea electo fruſtra perſuadere annifus eſt, 5.
ut de nomine Imperatoris cum Wenceslao tranſigeret. Mortuo iſto Sigiſmundum ope & conſiliis adjuvit, ut in ſolium Im- 16.
peratoris eveheretur: ab eodem anno 1411 ob virtutem in bel- 32.
lis Hungaricis inſignem & mutuam pecuniam conſenſu Wenceslai obtinuit, ut Vicarius Marchiæ Brandenburgicæ, adver- 28. 33.
ſantibus incaſſum Nobilibus Quizaviis, conſtitueretur, Electoratu tamen ſibi reſervato. Sed hunc etiam Sigiſmundus, æris e- 36.
gens, ut itinere ad Galliæ, Angliæ & Arragoniæ Reges ſuſcepto quietem Eccleſiæ quovis modo redderet, anno 1415, ac- 65.
ceptis 400000 aureis, Friderico vendidit, & in Concilio Con- 68.
ſtantienſi anno 1417 ſolenni ritu eum inveſtivit. Fridericus 85.
autem, ut tantam auri vim cogeret, a civitate Noribergenſi 240000 aureos mutuatus eſt, eodemque pretio anno 1627 terras & jura quædam Burggraviatus civibus tradidit. Cum 219.
Ludovico Duce Bavariæ Ingolſtadienſi, qui Henricum Bavaro-Landshutanum, Friderici noſtri uxoris fratrem, terris exturbare 99.
machinabatur, & aliquo tempore poſt a Judicio Franconico 300000 auri marcis mulctatus fuerat, perpetuis fere litibus p. 138. 135.
conflictatus eſt, quas Concilium Baſilienſe fruſtra componere 193. 218. 258.
ſtudebat, donec induciis aliquoties cum Ludovico Seniore 402. 490.
factis, & pace cum Ludovico Juniore firmata, iſtæ quodammodo 461. 305.
ſopitæ viderentur. Tanta vero Fridericus apud Sigiſmundum 525.
pollebat autoritate, ut 1418 ſe abſente illum Imperio præ- 117.

119. ficeret. Cum Megalopolitanis quoque diuturnæ lites ipſi inter-
277. ceſſerunt, debitam propter ditiones quasdam fidem denegantibus & Griegnitiam olim ſibi oppignoratam aſſerentibus, quæ
286. pace Perlebergenſi, redditis abſque lytro captivis, fuere finitæ.
468. Joannes III autem anno 1427 demum dimiſſus, juramentum
473. ob terram Venedam præſtitit. Iſtæ controverſiæ, Stargardenſibus 1437 extinctis, acrius recruduerunt, Friderico terras ipſorum ſibi utpote directo Domino vindicante, agnatis e contrario illas ob ſimultaneam inveſtituram ſibimet ipſis deberi dictitantibus. Deficiente Electorum ſtirpe Aſcanio-Saxonica
211. anno 1422, Fridericus Wittebergenſium Ducatum milite ſuo
212. occupavit, Electoralem dignitatem Brunſuico-Lunebergenſibus conciliare conatus. Verum illis inter ſe diſſidentibus, Friderico Bellicoſo, ab Imperatore hoc ſplendore ornato, ſolutis
244. 28000 argenti marcis, ſua reddidit. Duo cum Pommeranis
152. 285. 295. bella geſſit, quos prope Priſwalckiam pulſos, jure in Marchiam Uckeranam & arcibus Poitzenburgo & Zedenicka, pace Neoſtadienſi & Templinenſi cedere coegit. Adverſus Huſſi-
231. tas exercitum Imperii duxit, ſed irrito propemodum eventu; quod ſtatus militem neceſſariis haud inſtructum miſiſſent; aſt Huſſitæ damna illata ulturi, in Marchiam irrumpentes miſere
359. illam vaſtarunt, diruta præſertim a. 1432 Landsberga & Strasberga; ab oppugnatione tamen Francofurti & Pernaviæ re infecta deſtiterunt. Lauenburgici anno 1434 Marchiam, quam jure
418. ſuam eſſe dicebant, infeſto agmine ingreſſi ſunt, ſed gravi cla-
480. 481. de affecti, inducias ſunt pacti, nec meliori fortuna uſi, cum bellum redintegraſſent, easdem denuo impetrarunt. Saluberrimis etiam hujus Friderici conſiliis pacem cum Huſſitis,
445. ſq. Circulorum Imperii, Judicii Cameralis & Pacis publicæ primordia deberi conſtat. Cum Sigiſmundo defuncto ipſe Impe-
487. ſq. rium conſequi potuiſſet, noluit, atque ut Alberto II illud ſuffragiis ſuis mandarent, Electoribus perſuaſit. Sub vitæ finem filium natu majorem Joannem in litteris aſſiduum horta-
p. 482. tu ſuo induxit, ut terris Voitandicis contentus, pateretur, Fratrem Fridericum Electoratus eſſe hæredem, quo facto Poloniam aliquando Marchiæ jungi poſſe ſperabat, tandemque 1440 placida morte obiit.

ELO-

ELOGIUM JACOBI PERIZONII.

INter Viros, qui hac noſtra ætate eruditionis ac doctrinæ fama celebres fuerunt, deplorant Muſæ Batavæ Jacobum Perizonium, eumque lethali morbo extinctum acerbe lugent. Hauſerat is primum vitales auras d. XXVI Novembris anni MDCLI in oppido provinciæ Groningenſis haut ignobili, quod Damum appellatur, Patre natus Antonio, qui initio in Collegio Damenſi Rectoris munere functus erat, poſt in Schola Hamenſi illuſtri, quæ eo tempore recens condita, Philoſophiam & linguas Orientales non ſine audientium emolumento docuerat, donec Groningam evocatus iterum Theologiam, & linguam ſanctiorem tradere juſſus eſt, quam etiam ſpartam ad annum uſque MDCLXXII, utpote qui ipſi emortualis fuit, feliciter ornavit. Atque ita Jacobus noſter non obſcuris natalibus ortus eſt, quippe ex cujus gente complures, & inter hos Gerhardus Perizonius, ICtus, noſtri proavus, & avus Antonius, qui Beza & Caſaubono familialiter uſus eſt, eruditionis laude conſpicui prodierunt. Illud de ipſius majoribus commemoratur, fuiſſe illos olim nomine Belgico *Voorbroeck* inſignitos, factum vero, ut alter ex filiis Gerhardi Johannes, qui Græcis literis leviter tinctus erat, carmini cuidam nuptiali adſcripſerit nomen Perizonii, quod etiamſi non ſatis feliciter, uti Græcæ linguæ peritis apparet, verſum fuerit, ita tamen mirifice placuit poſteris, ut qui poſtea literis operam navarunt, tanquam gentile uſurpaverint, licet reliqui, qui Muſas non ſalutarunt, cognomen Voorbroeck ſibi retinuerint. Ad noſtrum vero Jacobum Perizonium ut redeamus, poſtquam docile & amœnum, quod a natura acceperat, ex eo ingenium eluxit, Daventriam miſſus eſt, ut ibi Theophili Hogerſii & Gisberti Cuperi auſpicio ductuque illis artibus, quibus juvenilis ætas ad humanitatem formari ſolet, animum imbueret, quod laudis plenum propoſitum tam proſpere etiam illi ceſſit, ut deinde ad altiora paulatim aſpirare poſſet, quandoquidem anno MDCLXXI Ultrajectum profectus Grævium exquiſitiſſimum docendi Magiſtrum adeptus eſt, ex cujus inſtitutione haud mediocriter in literarum ſtudiis profecit. Anno MDLXXIV relicto Ultrajecto Lugdunum Batavorum abiit, ac ibi præcipue Theodorum Ryckium Hiſtoriarum Profeſſorem audivit, in cujus familiaritatem admiſſus, multa & luculenta elegantioris ingenii ſpecimina prodidit. Equidem Daventriam aliquanto poſt reverſus magna cum induſtria in literarum ſtudia incubuit, & aliquot diſſertationes, quæ futuræ laudi quaſi præluderent, in publicum emiſit, non tamen diu in ea urbe commoratus eſt, ſed Delphorum Scholæ, ut dicitur, Latinæ moderator extitit, quam provinciam etiam non diu tenuit, ſed anno MDCLXXXI Franequeram accerſitus eſt, ut vice Michaelis Buſchii, qui haut ita pridem mortuus erat, Hiſtoriam & Eloquentiam juventuti inſtillaret, quod tam felici ſucceſſu fecit, ut illuſtres ſtatus Friſiæ, penes quos hujus rei poteſtas erat, magna ideo pecuniæ acceſſione ipſius res augerent. Anno MDCLXXXX Academia Lugdunenſis illum ad capeſſendum Hiſtoriæ & Eloquentiæ Profeſſionis munus invitabat, verum cum rurſus lautioribus rationes ſuas conditionibus ornari conſpiceret, recuſavit hac vice oblatam provinciam, do-

Digitized by Google

donec anno MDCXCIII iterum vocatus obſecutus eſt vocantibus, & Lugdunum conceſſit. Hic anno MDCCI juſſu Curatorum hujus Academiæ ſingulis Veneris diebus Hiſtoriam Belgii fœderati docuit, quamobrem etiam peculiari aliquo ſtipendio ipſum decorarunt. Tanto autem, tamque eximio amore per totam vitam literarum ſtudia dilexit, ut propterea cœlibatum eligeret, & literariam ſolitudinem inquieto mulieris conſortio anteferret. Quæ ſane continua vigilandi legendique conſuetudo vires ejus mirum in modum alteravit, & procul dubio febrim lentam attraxit, qua & præterito anno, & quidem d. VI April. extinctus & in Æde baſilica ad D. Petri honorifice ſepultus eſt, poſt mortem vero Schultingium Juris in Academia Lugdunenſi Profeſſorem virtutum ſuarum Encomiaſten accepit. In ultimis, quas reliquerat, voluntatis ſuæ tabulis inter alia præcepit, ut ex 20000 florenorum reditibus ſtudioſorum elegantiorum literarum par per ſeptem annos aleretur. Codices manu exaratos Bibliothecæ publicæ legavit, quæ & ceteris rarioribus libris illos adjunxit, & in rei memoriam locum ubi illi aſſervantur imagine Perizonii exornavit. Quamvis itaque nullis liberis genus ſuum ad poſteros propagavit, in libris tamen vivit, quibus magnam ſibi nominis gloriam acquiſivit. Primo quidem Daventriæ trigam diſſertationum edidit anno 1679 in 12. 2.) Animadverſiones Hiſtoricas, quibus non ſolum Hiſtoria Romana dextre illuſtratur, ſed & plures antiqui ritus & Autorum loca explicantur & emendantur, Amſtelod. 1684 in 8. 3.) diſſertationem de Auguſtea orbis terrarum deſcriptione - - - - 4.) diſſertationem de origine, ſignificatione & uſu vocum Prætoris & Prætorio, Franequ. 1687, in qua Prætorium non de loco, uti communiter fieri ſolet, ſed per cohortem Prætorianam explicat. Quæ opinio, cum Ulrico Hubero diſpliceret, ſemel iterumque a Perizonio defenſa eſt, primum in diſſert. Philolog. contra Huberi Prælectiones Juris an. 1683 edita, tum an. 1690 contra Huberi librum de Prætorio, & tandem an. 1682 in abſterſione Cenſuræ Huberianæ 4.) Specimen errorum ſupra 120 ex primo Tom. Hiſtor. Civil. Ulrici Huberi Franequ. 1693 in 8, deinde XIII Errores ex 120 Inſtitut. Huberi ab ejus clamoribus liberatos, & novis auctos, Franequ. 1693 in 8. 5.) Sanctii Minervam Scioppii ſuiſque notis auctiorem, quæ vice plus ſimplici prodiit. 6.) Diſſertat. Philolog. de Originibus Babylonicis & Ægyptiacis, Voll. II. Lugd. Batav. 1694, quorum primum Hiſtoriam Babylonicam, alterum Origines Ægyptiacas explicat. 7.) Æliani Sophiſtæ Hiſtorias varias cum ſuis & variorum notis, in 8 Lugd. Batav. 1701. 8.) Cum hac occaſione Gronovius diſſertationem ſuam de Nece Judæ contra notas Perizonii tueretur, aliam Perizonius diſſertationem de morte Judæ & verbo ἀπάγχεσθαι promulgavit, quam poſtea Reſponſio ad Gronovii Notitiam de Æliani locis, & reſponſio ſecunda ſecuta eſt, 1703. 9.) Curtium reſtitutum in integrum & vindicatum adverſus Clerici artem Criticam, Lugd. Bat. 1703. 10.) Comment. Hiſtor. de rebus geſtis ſeculi XVI uſque ad Carol. V, Lugd. Bat. 1709, 8. 11.) Diſſertat. de ære gravi contra Kuſterum, Lugd. Batav. 1713, 12. Ceterum & ſub nomine Valerii Accincti calamum adverſus Franciunı ſtrinxit & Præfationibus ac Orationibus multum nominis apud eruditos conſecutus eſt.

):(o):(

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Martii, Anno M DCC XVI.

HISTOIRE DE L'ACADEMIE ROYALE DES Sciences, Annee M.DCCXII &c.

hoc eſt,

HISTORIA ACADEMIÆ REGIÆ SCIENTIARUM Anni 1712, cum Commentariis Mathematicis & Phyſicis ejusdem Anni.

Amſtelodami, apud Petrum de Coup, 1715, 12 reg. Alph. 1 Plag. 3 Tabb. æn. 18.

IN *Phyſica generali* novis obſervationibus confirmatur, quod maximus æſtus maris contingat duobus aut tribus poſt novilunium & plenilunium diebus, minimus contra duobus aut tribus poſt quadraturas; quod creſcat Lunæ a terra diſtantia decreſcente & contra; quod retardatio ejus diurna minor ſit a ſyzygiis ad quadraturas, quam a quadraturis ad ſyzygias. Præterea per eosdem docetur, aquas marinas lentius deſcendere, quam aſcendere & eo magis deſcendere, quo magis aſcenderant. *Caſſinus* filius iisdem utitur ad regulam condendam, juxta quam fluxus & refluxus tempus in ſcrupulis horariis prædici poſſit. Reperit autem aliquali differentia opus eſſe in portubus diverſis. *De la Hire* Filius conſiderat obſervationes barometricas a *Vallerio* in cupri fodina Sueciæ & monte eidem vicino factas, & inde docet altitudinem & denſitatem aeris verſus polum creſcere, quod idem jam ante per obſervationes *Richerii* in inſula *Cayenna* factas probabile erat. *Maraldi* apum hiſtoriam accuratam tradit, quas per annos complures attente obſervavit, ita ut hic invenias, quæ in amplis Tractatibus de hoc inſecto

Digitized by Google

editis fruſtra quæſiveris. *De Reaumur* aliquot conchyliorum motum progreſſivum deſcribit. *Deliſle* inter ſe comparat obſervationes declinationis acus magneticæ in diverſis Galliæ locis factas: unde apparet, in locis Pariſiis orientalioribus majorem eſſe, in occidentalioribus contra minorem; ab anno 1703 usque ad 1711 incrementum annuum Genevæ idem fuiſſe quod Pariſiis, nempe 15 minutorum, niſi quod utrobique idem ab A. 1710 usque ad 1711 nonniſi 5 minutorum fuerit; ab A. 1706 usque ad 1711 in multis Galliæ urbibus declinationem eadem fere, quæ Pariſiis, decrementa cepiſſe; in terminis Galliæ quoad longitudinem differentiam declinationis gradum unum cum dimidio non exceſſiſſe. Declinationem magnetis primus deprehendiſſe fertur A. 1549 *Cabotus* nauta Venetus; ſed *Deliſle* dicitur poſſidere MSC. naucleri cujusdam Dieppenſis, cui *Crignonii* nomen fuit, A. 1534 *Chaboto* rei maritimæ Præfecto dedicatum, in quo jam ejus mentio fiat. Variationem acus magneticæ primus obſervaſſe perhibetur *Gaſſendus*. Adduntur alia ad hiſtoriam magneticæ declinationis ſpectantia. *Billerez* Anatomiæ & Botanicæ Profeſſor Veſuntinus cavernam in comitatu Burgundiæ ſitam deſcribit, in qua æſtate aer frigidior quam hieme, ita ut æſtate glacies in ea concreſcat, quæ hieme rurſus in aquam reſolvitur: notatuque dignum eſt, quod quo intenſior fuerit calor æſtivus, eo copioſior ſit glaciei proventus. Cauſam inde arcesſit, quod terræ vicinæ ſint ſale quodam nitroſo plenæ. *De la Hire*, qui quantitatem aquæ pluvialis ac nivalis ſingulari cum cura conſtanter obſervat, notat, An. 1711 eandem fuiſſe 25 digitorum cum duabus lineis, cum ordinarie 19 digitos vix excedat. Similiter ſcalam integram, quam Mercurius emenſus eſt, hoc anno deprehendit digiti unius, linearum $7\frac{2}{3}$, quæ ordinarie non ſuperat digitum cum quatuor lineis. D. 30 Decembr. A. 1711 declinationem acus magneticæ obſervavit 10° 50′ verſus occaſum *Scheuchzerus*, quantitatem aquæ pluvialis eodem anno Tiguri æſtimat 45 digitorum & lineæ unius; ſcalam barometricam reperit nonniſi 12 linearum cum dimidia.

In *Anatomia Littre* deſcribit ſectionem hominis 44 annorum anevriſmate exſtincti, variaque inde deducit, quæ cauſas

&

& ſymptomata hujus morbi concernunt. Cum anevriſma in dilatatione extraordinaria aortæ conſiſtat; cauſam conjicit in diminutionem cavitatis duarum arteriarum, nempe axillaris dextræ & ſubclaviæ ſiniſtræ, quæ a defectu virium elaſticarum derivatur. Quæ de glandularum ſtructura a *Winslovvio* detecta in Actis A. 1715 p. 341 recenſuimus, ulterius illuſtrantur. *Godofredus* junior obſervationes quasdam hiſtoricas de lapide bezoardico communicat. Reperitur is paſſim in ventre certorum animantium Indiæ & ex variis cruſtis concentricis nucleum in centro continentibus conſtat. Eſt autem nucleus granum alicujus plantæ, quod animal digerere non potuit; non tamen ſemper ejusdem generis. Ex qua varietate erroris redarguit illos, quibus lapides bezoardici factitii putantur. *Mery* in conſeſſu Academicorum oſtendit, nervum opticum cum retina originem trahere a cerebro, choroidem a pia matre & corneam a dura matre. A nervo optico tam piam, quam duram matrem eodem modo ſeparavit, quo a cerebro ſeparari ſolent & inciſione nervi ſecundum longitudinem facta ſubſtantiam medullosam cerebro ſimilem expreſſit. Retinam eadem repletam eſſe docuit. Negat igitur, quod vulgo creditur, nervum opticum eſſe congeriem filamentorum nerveorum in faſciculum collectorum, nec retinam concedit eſſe membranam ex fibrillis nerveis contextam. His utitur ad confirmandam ſententiam *Mariotti*, quam jam ante aliis argumentis propugnavit, quod ſcilicet choroides, non retina, ſit præcipuum viſus organum. *De Reaumur*, ut certus fieret, utrum, quod vulgo creditur, pedes cancrorum renaſcantur, nec ne, cancros pedibus reſectis vaſis concluſit, nec fallacem eſſe vocem vulgi didicit. *Littre* in cadavere fœminæ 54 annorum cor ſine pericardio reperit, ſiccum, durum, ſuperficiei inæqualis, ſcabrum, pauca pinguedine parumque unctuoſa veſtitum. Valetudinaria fuit & ſterilis in 20 annorum matrimonio. *Mery* in ſcenam producit fœminam, quæ anno ætatis 16 nupta viro juveni & vigoroſo vulvam habebat adeo arctam, ut is penem immittere nequiret, cum vix calamum ſcriptorium admitteret. Cum per undecim integros annos in vagina amplianda fruſtra deſudaſſet maritus, ſua tandem

ſponte amplior evadebat & a quinto geſtationis menſe continuo ampliabatur, ut partum tempore conſueto feliciter ederet fœmina. Jungit idem *Mery* fœtum maſculum, qui, etſi cerebro & medulla ſpinali deſtitutus, per horas tamen viginti & unam vixit.

In *Chymicis* novi phoſphori *Hombergiani*, cujus in Actis annorum proxime ſuperiorum p. 198 & 343 facta eſt mentio, rationes phyſicas reddere conatur *Fontenellius*. Brionniam inter purgantia ad examen revocat *Boulduc*. Infuſionem præfert decoctionibus, & eam, quæ fit in vino albo, potiorem habet altera quæ fit in aqua. Commendat autem ad infuſionem parandam radicis exſiccatæ drachmam unam, viridis vero quatuor. *Lemery* filius rationes comminiſcitur colorum, quos Mercurius in ſpiritu nitri ſolutus & per alcali quoddam præcipitatus acquirit. *Hombergius* variis experimentis chymicis docet, ineſſe quoddam acidum ſanguini animantium. Per fortem nimirum deſtillationem ſanguinis obtinuit liquorem rutilum, qui idem & acidus deprehenditur, cum tincturam heliotropii rubram efficiat, & alcalicus, cum cum ſpiritu ſalis efferveſcat. Dum *Lemery* aurum in aqua regia ſolutum beneficio ſpiritus volatilis ſalis Armoniaci & aliquot guttarum olei Tartari præcipitabat: fumi in fermentatione aſcendentes odorem roris marini ſpirabant. *Hombergius* exponit modum, quo figuræ lapidibus inſculptæ vitro colorato imprimi poſſint. Scilicet maſſæ humidæ ex terra tripolitana, qua ad poliendum vitrum utuntur, figuram lapidis imprimit, & vitrum in fumo vi ignis mollefactum ope ferri modulo huic apprimit.

In *Botanicis* obſervationibus ſuis de fuco in Actis Anno 1715 p. 344 relatis alias nonnullas ſuperaddit. Imprimis autem notabile, quod in quadam fuci ſpecie detexerit plantam quandam paraſitam, quæ ibi naſcitur & inde nutrimentum capit, proprio tamen ſemine gaudet. *De la Hire* junior internam ficus ſtructuram deſcribit & inde oſtendit, quod non minore jure in florum, quam in fructuum numerum referatur. *Chevalier* confirmat, ſe vidiſſe fructus, quorum pars alia mali aurati, alia limonii indolem habet. *Boulduc* obſervat, capita ſive fructus (non flo-

flores, quos vulgo prædicant) papaveris erratici habere bonos opii effectus, ſed non malignos. Extrahit nempe maſſam ſolidam ex capitibus adhuc viridibus & doſi utitur duorum, trium vel quatuor granorum. *Jacobus Scheuchzerus* relationem MSC. itineris, per montes Helvetiæ anno 1709 ſuſcepti, Academiæ Scientiarum ſubmiſit. *De la Hire* junior phænomenon quoddam ſingulare deſcribit, quod accidit *Dracocephalo Americano Breynii*. Flores ſcilicet omnem ſitum intra ſemicirculum horizonti parallelum tuentur, quem ipſis aſſignaveris. Rationem ex ſtructura reddit.

In *Geometria* notavit *Rollius*, artificia analyſeos *Diophanteæ* applicari poſſe ad deſcriptionem Curvarum. Scilicet notum eſt, ductum curvæ innoteſcere ſolere, ſi in ejus æquatione pro abſciſſa ſucceſſive ſubſtituantur numeri naturales o. 1. 2. 3. 4, &c. & inde determinetur valor ordinatorum. Sed cum is hac ratione plerumque irrationalis inveniatur; *Rollius* advertit, per artificia *Diophanti* eum fieri poſſe rationalem. Cum enim veteres numeros irrationales pro veris numeris non haberent; ipſe problemata numerica, nonniſi in rationalibus ſolvit. Præterea cum multæ proprietates notabiles non fiant manifeſtæ, ſi abſciſſæ o. 1. 2. 3. 4. &c. dicantur, cum pendeant ab ordinatis ad abſciſſas iſtis intermedias pertinentibus; Noſter conſultum judicat, ut, ubi æquatio determinata facta fuerit, limites radicum quærantur, quo appareat, intra quod intervallum radices contineantur. Idem judicat, methodum *Carteſii*, ſi generalis eſſe debeat, opus habere vel cautelis, vel ſupplementis. *Varignonius* theoremata nonnulla demonſtrat, quæ indolem circuli oſculatoris manifeſtiorem reddunt. Idem ſine analyſi ſolvit problema, cujus Geometra aliquis ſolutionem per eandem fruſtra tentaverat, *Circulum deſcribere, qui parabolam in puncto dato & tangentem per verticem ejus ductam una tangit.* Addit ſolutionem alterius multo generalioris de inveniendo centro circuli, qui circulum alium poſitione datum & curvam quamcunque datam in dato puncto contingat. *De la Hire* methodum conſtruendi æquationes algebraicas per combinationem locorum adverſus *Rollium*, qui eam impugnaverat, ulte-

Digitized by Google

terius defendit. *Bomie* exhibet demonſtrationes proprietatum tractricis, quas in Hiſtoria Anni 1711 ſine demonſtratione relatas in Actis anni ſuperioris p. 345 indicavimus. Utitur autem in demonſtrationibus iſtis Analyſi *Leibnitiana.*

In *Aſtronomicis* inclinationem quarti Satellitis Jovis ad orbitam ſui primarii ex eclipſi partiali anno 1702 d. 1 Septembr. obſervata eruit *Maraldi* 2° 52', quam *Caſſinus* methodo alia magis perplexa & multum difficiliori (eclipſes enim partiales ſatellitum ſunt phænomena rariſſima) invenerat 2° 55'. Recenſentur quoque *De la Hire* utriuſque, *Caſſini* atque *Maraldi* obſervationes eclipſeos lunaris, quæ d. 23 Jan. anno 1712 accidit. *De la Hire* ſenior obſervationem ſuam comparat cum *VVurtzelbaueriana* Norimbergæ facta & inde elicit differentiam Meridianorum Pariſini & Norimbergenſis 3' 4" 30'''.

In *Opticis* rationem dat *De la Hire*, cur fundus oculi felis ſub aquam demerſæ fortiter illuminatus appareat, qui in aere videri prorſus nequit. Ait ſcilicet, corneam in aere eſſe ſpeculum convexum, quod imaginem intuentis reflectens impediat, quo minus aliquod objectum pone ipſam videri poſſit. Cum vero aqua phyſice homogenea ſit; ſub aqua eam non amplius vicem ſpeculi convexi præſtare, ſed plani potius aquei, adeoque per ipſam videri, quæ per aquam cernuntur.

In *Mechanicis* idem *De la Hire* invenit regulam, ab Architectis hactenus deſideratam, determinandi craſſitiem pilarum, ut ſint fornicibus ferendis pares. Sed cum ea non ſit in ratione conſtante ad altitudinem, vel latitudinem aut etiam ſemidiametrum fornicis; brevibus exponi nequit regula. *Carteſius* docuit, corpora mundi totalia vi vorticum cœleſtium circumagi. Operæ itaque pretium erat conſiderare motum corporum a vorticibus agitatorum. Quare cum nemo hactenus vorticum theoriam geometricam tradiderit; *Saulmon* huic negotio ſe accinxit & nunc primum tentamen publicavit de motu cylindri in vortice cylindrico, cujus axis eſt axi cylindri parallelus. Utitur autem calculo illuſtris *Leibnitii*, qui clavem ad hæc arcana reſeranda dedit. *Parentius* novam ſuam ſtaticam continuat, in qua affrictus ratio habetur.

Hoc

Hoc anno Academia Scientiarum jacturam fecit duorum Sociorum, nempe *Claudii Bergeri* & *Johannis Dominici Caſſini*. Ille natus eſt d. 20 Jan. anno 1679 Pariſiis, Patre *Claudio Bergero*, Medicinæ Doctore. Sub *Tourneſortio* Botanicæ operam dedit, qui ipſum in Academia Scientiarum anno 1699 ſibi adjungi curavit. Poſtea Adjunctus *Hombergii* factus. Medicinæ Doctor creatus per biennium Medicinam non ſine ſucceſſu profeſſus tyronibus artis ſalutaris. Anno 1709 Profeſſionem Chymiæ in horto Regio ipſi ceſſit *Fagonius*. Obiit d. 22 Maji anno 1712 Succeſſit in Academia *Imbertus*, Medicinæ Doctor. *Caſſinus* natus eſt Perinaldi d 8. Junii anno 1625. Pater ejus fuit *Jacobus Caſſinus*, Nobilis Italus. Cum libros aſtrologicos quoſdam accepiſſet, prædictiones Aſtrologicas non ſine ſucceſſu tentavit: ſed ubi *Pici Mirandulæ* librum adverſus Theologos legiſſet, collectanea aſtrologica *Vulcano* immolavit & Aſtronomiæ ſtudio ſe dedit. Tantos in eo mox fecit progreſſus, ut anno 1650, ætatis 25, a Senatu Bononienſi eligeretur Succeſſor *Cavalierii* in Profeſſione Aſtronomiæ. Anno 1652 cum *Malvaſia* ſenatore Bononienſi atque Aſtronomo Cometam per zenith tranſeuntem obſervavit & peculiari Tractatu anno 1653 edito deſcripſit: in quo cometas pro corporibus mundo coævis habet atque Apogæum & eccentricitatem cometæ a ſe obſervati geometrice determinavit, id quod *Keplero* atque *Bullialdo* impoſſibile viſum fuerat. Anno 1575 occaſione reformationis Calendarii Juliani *Ignatius Dantes*, monachus Dominicanus, Profeſſor Aſtronomiæ Bononienſis, in templo S. *Petronii* duxerat lineam meridianam, in qua Solſtitia obſervari poſſent. *Caſſinus* per obſervationes accuratas Solis dijudicaturus, num aliqua inæqualitas phyſica inſit motui Solis, quemadmodum ſupponit *Keplerus*, anno 1653 conſultum judicavit, ut ibi nova linea meridiana duceretur priori & longior, & exactior: quod inſtitutum ita executus eſt, ut variationi diſtantiæ ſolaris a vertice nonniſi unius minuti reſpondeant in pavimento marmoreo, ubi ducta meridiana, 4 lineæ pedis Pariſini. Altitudo gnomonis eſt 1000 digitorum, qui per foramen rotundum atque horizontale, cujus diameter unius digiti, imaginem Solis in meridia-

dia.

Digitized by Google

dianam demittit. *Ricciolus* opus vocat angelicum magis, quam humanum. A 1655 peculiari ſcripto Mathematicos omnes invitavit ad ſolſtitium ejus anni obſervandum & alio uſum Meridianæ ſuæ expoſuit. Invenit autem ope ejus, quod primum quæſiverat, nempe inæqualitatem phyſicam in motu Solis. Mox obſervationibus ejus beneficio inſtitutis novas Tabulas motuum Solis inædificavit, reliquis qui tum proſtabant, accuratiores. *Tycho de Brahe* tradiderat, in gradu altitudinis 45 evaneſcere refractiones. Sed *Caſſinus* accuratius re expenſa deprehendit, eas uſque ad zenith extendi, quamvis a gradu 45 uſque ad zenith nonniſi unius minuti incrementum capere poſſit. Tabulas igitur ſecundas adhuc magis accuratas compoſuit, in quibus nova refractionis theoria uſus & parallaxin Solis 10 ſcrupulis ſecundis non majorem admiſit. *Marchio Malvaſia* anno 1661 in quinque annos Ephemerides motuum Solis ſecundum *Caſſini* Tabulas compoſuit, & *Geminianus Montanarius*, Matheſeos Profeſſor Bononienſis, publice teſtatus, Solem in meridiana S. *Petronii* punctum dato tempore attigiſſe, quod per ephemerides iſtas contingere debebat. Anno 1657 inſpectionem aquarum in ditione Bononienſi & anno 1663 munimenti *S. Urbani* obtinuit. *Clemens* IX Pontifex Maximus ipſum ad dignitates eccleſiaſticas evehere voluit, quas tamen modeſte recuſavit. Anno 1664 præſente Regina Sueciæ Cometam tunc apparentem Romæ obſervavit & prædictionibus ſecundum ſuam theoriam factis reſpondere eventum didicit. Anno 1665 novus apparuit Cometa, de cujus motu mox tabulas edidit & eodem adhuc anno Tractatum de duobus hiſce Cometis edidit, in quo formam calculi publico impertitus. Idem dicitur eodem tempore Pariſiis præſtitiſſe *Picardus*. Anno 1665 umbras ſatellitum Jovis in ejus diſco detexit, quando inter eum atque Solem feruntur, & per maculam in Jove obſervatam motum vertiginis hujus planetæ deprehendit 9h. 56'. Anno 1667 ſimili modo motum vertiginis Martis advertit eſſe 24 horarum & 40 minutorum. Motum vertiginis Veneris, in qua reditus macularum ægre obſervantur, quia plerumque falcata vel cornuta videtur, motui Martis fere æqualem ſuſpicatus eſt, ſed nondum quantitatem determina-

re

Digitized by Google

re auſus. Multas ipſius obſervationes phyſicas de inſectis *Montalbani* imprimi curavit in operibus *Aldrovandi*. Anno 1668 ephemerides ſiderum Mediceorum ſeu ſatellitum Jovis publicavit, in quibus eclipſes certo prædixit, quod fruſtra tentaverunt *Galilæus*, *Marius* atque *Hodierna*, quia ignorabant inclinationem ſatellitum ad orbitam Jovis, quam primus *Caſſinus* detexit. *Colbertus*, cum anno 1666 Academia Regia Scientiarum fundaretur, deſiderabat, ut *Caſſino* commercium literarium cum eadem intercederet, ſed mox in Galliam vocatus, conſenſu Papæ & ſenatus Bononienſis, quo anno 1669 venit. Equidem poſt aliquot annos reverti in Italiam debebat, id quod etiam ſenatus Bononienſis ardenter efflagitabat; ſed reſtitit *Colbertus*. Anno 1673 Pariſiis uxorem duxit. Cum anno 1672 obſervatores in inſulam *Cayenna* æquatori vicinam mitterentur; vera eſſe experti ſunt quæ Caſſinus de refractionibus & parallaxi Solis conjectando aſſecutus fuerat. Iidem parallaxin Martis obſervare debebant, dum *Caſſinus* cum ceteris Aſtronomis eidem obſervationi incumberet Pariſiis: ſed is tum methodum excogitavit, vi cujus unus obſervator eodem in loco eandem ſcrutari poteſt, indeque parallaxin Solis determinavit 10 ſecundorum. A. 1680 nonniſi ſemel obſervaverat Cometam, cum Regi prædiceret, quod eadem via inceſſurus ſit, qua Cometa anno 1577 a *Tychone* obſervatus inceſſit: id quod etiam factum. Anno 1683 primum obſervavit lumen in zodiaco antea non animadverſum. Anno 1674 Saturni ſatellitem tertium & quintum; anno 1684 primum & ſecundum detexit. Anno 1687 excogitavit cyclum Lunæ ſolarem annorum 11600 & anno 1693 novas dedit tabulas motuum ſatellitum Jovis, quibus uſi ſunt ad determinandas longitudines locorum Telluris. Anno 1695 in Italiam profectus & meridianam S. *Petronii* reſtauravit, quam ex parte jam tentaverat *Gulielminus*. Erat illa peripheriæ Telluris $\frac{1}{600000}$; ſed anno 1700 produxit meridianam Pariſiorum, anno 1669 a Picardo inchoatam & anno 1683 continuatam, ut fieret illius pars quadrageſima quinta. Aliis inventis pluribus Aſtronomiam ditavit, e. gr. methodo computandi longitudines locorum ex eclipſibus Solis obſervatis, methodo inveniendi verum ſitum macu-

O larum

larum Solis, modum deſcribendi lineas ſpirales, quæ repræſentant apparentias motuum Planetarum in Tellure, modum explicandi motum librationis Lunæ per combinationem duorum motuum, quorum unus eſt menſtruus, alter eſt motus vertiginis eodem fere tempore abſolvendus. Poſtremis vitæ annis viſu orbatus & anno 1712 d. 14 Sept. ætatis 87 ſine ullo morbo obiit. Succeſſit in ejus locum filius, paternarum dotium hæres.

PHYSICO THEOLOGY, OR A DEMONSTRAtion of the Being and Attributes of God, from his VVorks of Creation &c.

hoc eſt,

THEOLOGIA PHYSICA, SEU DEMONSTRAtio Exiſtentiæ & Attributorum DEI, ab operibus creationis petita a VVILHELMO DERHAM, Rectore in oppido Eſſexiæ, Upminſter dicto, & Societatis Regiæ Sodali.

Londini, apud VVilhelmum Innys, 1714, 8.

Alph. 1, plag. 9 Tab. æn. 1.

CUm Cl. Autor non ignoraret, plures jam Viros doctos de eodem argumento commentatos eſſe, quos inter in præfatione laudat *Merſennum*, *Cockburnium*, *Rayum*, *Bentlejum*, *Fenelonium*, & *Perraltium*, operam dedit, ut, quæ ab aliis pertractata ſunt, nonniſi leviter attingeret, accuratius vero verſaretur in iis, quæ ab illis prætermiſſa. Continetur autem in hoc libro, qui eruditorum applauſu exceptus, ut altera editione a nobis jam recenſenda ſtatim fuerit opus, argumentum ſedecim ſermonum ex fundatione *Boylii* annis 1711 & 1712 ad populum habitorum. Acceſſit ingens notarum farrago, in quibus magno ſtudio congeſſit Autor, quicquid notatu dignum in Philoſophia experimentali & hiſtoria naturali ab excellentiſſimis ævi noſtri ingeniis paſſim memoriæ proditum eſt. Et pro eo, qui viros doctos decet, candore unicuique tribuit, quod ſuum eſt, citatis nem-

nempe Autoribus, unde annotationes ſuas hauſit: ut adeo attenta notarum lectione una deveniatur in notitiam optimorum Autorum, qui res naturales illuſtrarunt. Præmittitur Schema operis analyticum, unde lectori ſtatim obvia ſunt, quæ in eo pertractantur. Nobis ſequentia annotaſſe ſufficiet.

Lib. I Autor de iis agit, quæ globo terraqueo extranea judicat, atmoſphæra nempe, lumine & gravitate. Atmoſphæram dicit maſſam ex aere, vaporibus & nubibus conſtantem, quæ globum noſtrum ambit. Eam conſilio factam probat partim a natura ipſius, quia aer eſt maſſa ſubtilis, apta ad permeandum & animandum corpora reliqua, inſtar animæ mundi inferioris; partim ab uſu inſigni in reſpiratione animalium, ipſorummet piſcium, in vegetatione plantarum, in motu volatilium & piſcium, in propagatione ſoni, in conſtructione machinarum utilium, in generatione crepuſculorum aliiſque caſibus. In ſpecie autem ventos & nubes cum pluvia conſiderat. Ventorum uſus, judice Noſtro, in efficienda ſalubritate aeris, in refrigerando aere tempore æſtivo, in machinis movendis & in navigatione elucet. Nubes & pluvia terram quaſi refocillare videntur, & juxta nonnullos fontibus originem præbent. Progreditur ad lumen, quod ad vitam commode degendam maxime neceſſarium, inſigni DEi beneficio ſtupenda prorſus celeritate propagatur, & per ſpatia vaſtitate admiranda expanditur. Finit diſcurſum libri primi gravitatis contemplatione, cujus uſum in continenda materia corporum mundi totalium, ne motu præſertim vertiginis circa axes ſuos diſſipetur, præ aliis prædicat.

Lib. II ipſum globum terraqueum, ſed nonniſi in genere contemplatur, nempe 1 quoad figuram, quæ propemodum ſphærica, ut ſit capaciſſima, ut ſingula loca a centro æqualiter diſtent, ut calor & lumen, itemque aqua, commode per terram deſtribui, venti vero commodius propagari poſſint: 2 quoad molem, quæ vaſtitate admirationi eſt: 3 quoad motum, tam annuum, quam diurnum, qui adeo conſtans & regularis per ſex annorum myriades perſtitit, & habitatoribus ac fœcunditati Telluris mire reſpondet: 4 quoad ſitum in univerſo, qui decen-

Digitized by Google

tem a Sole, luminis ac caloris fonte, diſtantiam arguit: 5 quoad diſtributionem aquarum & terræ continentis, quæ globo terraqueo æquililbrando, vaporibus & nubibus ſufficientibus ad ſingula loca advehendis, frigori zonarum frigidarum & calori torridæ temperando, aliisque uſibus inſervit: 6 quoad corporum partialium varietatem & abundantiam, quæ munificentiam conditoris loquitur,

Lib. III circa Terram continentem in ſpecie hærens enumerat 1 ſoli diverſitatem, vegetationi plantarum diverſarum commodam: 2 varia ſtrata Telluris, quæ materias in uſum medicum & œconomicum præbent, & fontibus producendis inſerviunt: 3 cavernas ſubterraneas & vulcanos, regionibus, in quibus reperiuntur, ſalutares, tum ad minuendum numerum ac vim terræ motuum, tum ad impediendum exhalationes perniciosas: 4 montes & valles, ad ornatum Telluris, ſalubritatem aeris, vegetationem variarum plantarum, habitationem diverſorum animantium, generationem mineralium & metallorum, motum fluminum & originem fontium neceſſarios.

Lib. IV animalia in ſcenam producit, non tamen alium in finem, quam ut monſtret, quæ ipſis *communia ſunt*. Agit de ſenſibus cum in genere, quos ad cognoſcenda objecta mundana, ad diſtinguendum voluptatem atque dolores, ad conſervandum corporis machinam conducentes judicat; tum in ſpecie de oculo, de aure, de organis olfactus, guſtus & tactus, multa ſingularia annotat, ab aliis præſertim Autoribus, qui de eodem cum Noſtro argumento ſcripſerunt, prætermiſſa. Figura oculi continendis humoribus & recipiendis imagibus objectorum externorum maxime commoda & volubilitatem neceſſariam juvat. Situs ejus in corpore eminens, ut plura objecta in eo repræſententur, & ad damna ab oculo avertenda commodus. Movetur oculus quaquaverſum, ut radios viſorios non nimis oblique recipiat, obliquitate nimia viſioni diſtinctæ officiente. Oculus minimum geminus, ut tanto majore angulo comprehendatur campus viſionis & ne jactura unius animal viſu privetur. Admiratione tamen dignum cenſet, quod, multiplicato oculorum numero non

Digitized by Google

non multiplicetur apparentia objecti. Structura oculi equidem haud levem attentionem in præſenti negotio meretur, quoniam tamen jam alii abunde de eadem dixerunt, Noſtro breviorem eſſe licuit. Muſculi ad oculum quaquaverſum movendum & in quovis ſitu æquilibrandum faciunt. In arachnoide eminet prodigioſa ſubtilitas, in retina ſenſus acutus, in cornea diaphaneitas, in pupilla dilatabilitas, in ſclerotica tenacitas, in humoribus pelluciditas & vis refractiva. Pupillæ in diverſis animantibus figura varia. Simili modo ſtructuram auris ex anatomia repetit, in uſus partium inquirit & una de objecto auditus, nempe ſono, ad pietatem proficua annotat. Pauciora ſunt, quæ de organis olfactus, guſtus & tactus habet, quia non tantus in iisdem apparatus occurrit, quantus in organis viſus & auditus obvius eſt. A ſenſuum œconomia ad reſpirationem progreditur, ad vitam continuandam adeo neceſſariam, ejuſque uſum in promovendo circulo ſanguinis & formanda voce oſtendit, multiplici inſtrumentorum apparatu ad examen revocato. Expendit porro motus animalium, ubi muſculorum, oſſium, tendinum, nervorum fabrica exponitur & diverſi celeritatis in inceſſu diverſorum animantium gradus, modus inceſſus, geometricus & regularis ſitus partium moventium conveniens reſpectu centri gravitatis annotatur. Succedit conſideratio locorum convenientium, in quibus animalia degunt; multiplicationis animantium uſui ac ætati, ad quam pertingunt, proportionalis; proportionis debitæ inter mares & fœminas; pedum, oris, dentium, gulæ, ſtomachi, inteſtinorum, ſagacitatis, curæ fœtuum, veſtitus, habitationis & generationis animalium: de quibus ſingulis plurima notatu digna obſervantur, ſed quæ ſigillatim a nobis recenſeri nequeunt.

Lib: V in ſpecie ſapientiæ ac bonitatis divinæ veſtigia in natura humana obvia monſtrat ſolertiſſimus Autor. Initium fit ab anima, ubi diverſitas geniorum & facultas inveniendi obſervationes non contemnendas ſuppeditant. Succedit corpus, circa quod notatur figura erecta, naturæ humanæ omnium convenientiſſima; ſtatura non minus eidem reſpondens; ſtructura, ſitus & conſenſus partium ſingularium; proviſio Naturæ ad-

miranda de avertendo damno; facierum, vocum & ſcripturarum diſſimilitudo. Similes obſervationes de quadrupedibus libro ſexto; de volatilibus libro ſeptimo; de inſectis & reptilibus libro octavo; de piſcibus libro nono materiam præbent.

Lib. X de vegetabilibus pauca tradit. Miratur varietatem inſignem, ſtructuram artificioſam, florum amœnitatem, ſeminum fertilitatem, uſus multiplices.

Tandem Lib. XI doctrinis in antecedentibus tam operoſe traditis utitur ad ſtabiliendas concluſiones ſequentes: 1 quod opera Dei ſint magna & præſtantia; 2 quod a nobis agnoſcenda & prædicanda; 3 quod manifeſta ſint omnibus, adeoque atheiſmus omni prorſus ratione deſtitutus; 4 quod fidem atque obedientiam excitare & 5 ad gratiarum actionem ac denique 6 ad cultum Numinis, celebrationem inprimis Diei Dominicæ, nos compellere debeant.

Ex his itaque abunde apparet, quodnam ſit ſingulorum librorum argumentum & quo argumentandi genere utatur Noſter, ut Dei exiſtentiam atque attributa ex operibus ipſius oſtendat. Immo liquet, Autorem clariſſimum fidum fore comitem illorum, qui cauſas finales rerum naturalium ſcrutari in animum induxerint. Ut autem porro intelligatur, quales ſint Notæ operi largiter adſperſæ; nonnulla quoque ex iis excerpi conſultum judicamus. P. 5 propria recenſet experimenta de avibus machinæ compreſſoriæ *Hauksbeji* incluſis. Nimirum paſſer in aere nec compreſſo, nec rarefacto, non tamen libero, horæ nondum ſpatio elapſo, tremere cœpit. Poſt ſemihorium ægrotare & vomere viſus. Vix alterum acceſſerat ſemihorium, cum morti vicinus deprehenderetur. Alius in aere compreſſo ultra horam ſanus perſtitit: poſtea tamen invalidus & duabus ab initio experimenti horis præterlapſis ægrotus evaſit, tandemque circa finem tertiæ obiit: quod idem raro accidit. Unde Noſter infert, aerem ad reſpirationem fieri ineptum, ſi exhalationibus ex corpore animalium prodeuntibus oppleatur. P. 7 curioſa eſt methodus, qua Batavi in pinguefaciendis carpionibus uti dicuntur & quam non ſine ſucceſſu in Anglia tentatam teſtatur Noſter. Scilicet muſco humido contectos & reticulo

in-

involutos, ita ut nonniſi caput foras emineat, in cella libere ſuſpendunt & pane ſimilaceo in lacte macerato per aliquot dies paſcunt. P. 9 ex Tranſactionibus Anglicanis repetitur, quod ſemen lactucæ terræ commiſſum in vacuo non progerminaverit cum aliud ſimile in aere libero plantam protruderet intra octiduum ad altitudinem $1\frac{1}{2}$ digiti excreſcentem; aere autem admiſſo intra unius hebdomadis ſpatium ad altitudinem duorum vel trium circiter digitorum excreverit. P. 17 notat, d. 8 Julii Anno 1707, cum omnis ventus prorſus ceſſaret, æſtum fuiſſe tam exceſſivum, ut quidam meſſores in agro & equi in via ſuffocati exſpiraverint. Unde poſtea dies ille ab Anglis *the Hot-Tueſday*, hoc eſt, *Dies Martis calidus* fuit appellatus. P. 17 & 18 autor eſt, cum menſe Julio A. 1709 thermometrum ſub brachio aliquandiu detinuiſſet atque aliis corporis partibus calidioribus applicuiſſet, corpore nullis exercitiis defatigato; ſpiritum ultra globum per intervallum 284 decimarum digiti aſcendiſſe. Cum autem alio die, quo æſtus magis fervebat, corpus exercitiis vehementioribus, quantum ferre poterat, defatigaſſet, thermometro ad easdem corporis partes applicato, ſpiritum nonniſi ad intervallum 288 aſcendiſſe. Notatu dignum eſt, in maximo æſtu ſub æquatore ſpiritum intra hos terminos coerceri: id quod Noſter didicit, graduationem thermometri ſui comparando cum ea, quam in ſuis adhibet *J. Patrick*, in conficiendis thermometris & barometris excellens, qui, ut quosdam gradus determinatos caloris atque frigoris haberet, alterum thermometrum per homines ingenioſos in regiones ſub æquatore ſitas, alterum in regiones boreales latitudinis 81 graduum miſit, ut ibi annotarentur gradus maximi caloris & ſeveriſſimi frigoris. P. 28 ſe expertum ſcribit, quod globus e tormento emiſſus intervallo $5\frac{1}{2}$ ſecundorum confecerit ſpatium 510 perticarum. P. 29 motum luminis definit 264516 milliarium Anglicorum intra unum temporis ſcrupulum ſecundum. P. 30 referuntur experimenta *Hauksbeji* de gravium deſcenſu in præſentia Sociorum Societatis Regiæ facta, globis vitreis tam vacuis, quam Mercurio plenis ex turri ædis *S. Pauli* d. 9 Jun. 1710 demiſſis, ex altitudine 220 pedum, Mercurio in barometro ad altitudinem

29

$29\frac{7}{10}$ digitorum, ſpiritu in thermometro ad gradum 60 ſupra terminum conglaciationis hærente. Deſcenſus primo ſcrupulo ſecundo vix 15 pedum deprehenſus, quem *Gallilæus*, *Hugenius* & *Hallejus* pedum 16 digiti 1 conſtituunt. Reliqua ex Tabula ſequente manifeſta ſunt, ubi - ſignum *minus*, + vero ſignum *plus* denotat.

Globi Mercurio pleni			Globi vitrei vacui		
Pondus	Diameter	Deſc.temp.	Pondus	Diameter.	Deſc. temp.
908 gran.	8 Dec.dig.	8 dim.ſec.	510 gran.	51 Dec. dig.	17 dimid.ſec.
993	8	8 -	642	52	16
806	8	8	599	51	16
747	$7\frac{1}{2}$	8 +	515	5 fere	16^{1}
808	$7\frac{1}{2}$	8	483	5 fere	17
784	$7\frac{1}{2}$	8 +	641	52	16

P. 49 docet, vapores ex aqua calida in camera obſcura emiſſos & per radium Solis intra eandem immiſſum aſcendentes oculis microſcopio armatis apparere ſphærulas. P. 94 obſervat, ſe aliquoties diſſecuiſſe oculos talparum & beneficio microſcopiorum vix diſtinguere potuiſſe humores vitreum & cryſtallinum, immo ligamentum ciliare & mucum atramentaceum. Pupillam tamen eſſe rotundam, & coronam conicam, manifeſto deprehendit. Laudat adeo induſtriam *Galeni* in Anatomicis, qui lib. 14 c. 6 de uſu partium aſſerit, in oculis talparum reperiri humores cryſtallinum & vitreum tunicis involutos. P. 104 exiſtentiam arachnoidis αὐλοψίᾳ defendit & differentem oculorum avium atque piſcium ſtructuram ab oculis reliquorum animantium exponit. P. 105 Humorem cryſtallinum ex multis laminis compingi, obſervationibus *Levvenhoekii* probat, qui a centro usque ad peripheriam 2000 numeravit, & domeſticis contra diſſentientes confirmat. P. 117 anatomiam auris talparum tradit ſingularem, etiam ab auribus avium diverſæ, quibus ſimilem nonnulli pronunciant. P. 121 obſervat, ærumen reperiri in auribus omnium animantium, quorum meatus audito-

Digitized by Google

ditorius eſt longus, ut inſectis ſpatium ibidem concedatur; nullum autem in auribus avium plumis tectarum & in quibus tympanum ab externo foramine non adeo remotum. Ceterum p. 122 negat, ſe in eo quidpiam dulcedinis diſtinguere potuiſſe, quam amaritudini permixtam aſſerit *Schelhammerus*. Tribuit tamen eidem propria experientia fretus vim ſanandi vulnera, a *Plinio* olim aſſertam. P. 126 *VVilliſium* vindicat a ſeverioribus *Schelhammeri* cenſuris, qui aperte pronunciavit, ſe *VVilliſii*, ubi Philoſophum agit, ac vel partium uſum, vel chymicarum rerum naturam ſcrutatur, haud ſemel non modo judicium deſiderare, verum etiam aliquando fidem. Quamvis enim *Schelhammerus* in ſuo de auditu libro ſibi ſolus eruditus ac induſtrius videatur; *VVilliſium* tamen in ſcriptis ſuis ſe oſtendiſſe Anatomicum magis curioſum & ſagacem, Philoſophum majorem, Phyſicum doctiorem & expertum magis, quam omnes ejus cenſores; veracitatis autem & integritatis fama non minore gaudere, quam eruditionis ac induſtriæ. Oſtendit præterea, *Schelhammerum* in nonnullis, quæ præſtingit, non aſſecutum eſſe mentem *VVilliſii*, in aliis vero veritati manifeſtæ contradicere. Falſo nimirum interpretari vocem refractionis radiorum, quam in cornea & tympani membrana fieri aſſerit *VVilliſius*. Et ſine ratione rejicere ſimilitudinem inter tympanum bellicum & auditorium a *VVilliſio* ſtabilitum. P. 127 fide ejuſdem *VVilliſii* refert, fœminam ſurdam, quamdiu intra conclave tympanum pulſaretur, verba quævis clare audiviſſe, ut adeo maritus ejus tympaniſtam pro ſervo domeſtico conduxerit, quo colloquia cum uxore miſcere interdum poſſet. P. 130 inventionem tubi ſtentorophonici, quæ *Samueli Morlando* Anglo adſcribi vulgo ſolet, *Kirchero* vindicat. P. 132 ſe ipſum expertum ſcribit & ante ab *Hauksbejo* oſtenſum, ſonum in aere compreſſo intendi. P. 134 teſtatur, ſe factis ſumma cum cura experimentis didiciſſe, differentiam velocitatis eſſe aliquam, licet exiguam, ſi ſonus adverſo vento propagetur, quæ pro ventorum viribus augeatur vel imminuatur. Ad accelerationem nihil facere differentias diei vel noctis, caloris vel frigoris, æſtatis vel hiemis, cœli nubili vel

P ſere-

ſereni, Mercurii in barometro variationum. Scilicet omnes ſono eadem celeritate propagari, ſive languidi fuerint, ſive clari, & æqualibus temporibus æqualia ſpatia conficere, nempe 1142 pedum intervallo unius ſcrupuli ſecundi. P. 146 narrat, *Croonium*, Profeſſorem olim Greshamenſem, coram Societate Regali pullum ſtrangulaſſe, ita ut nulla vitæ indicia amplius proderet; ſed aere per arteriam aſperam in pulmones inſpirato ad vitam revocaſſe. Addit experimenta gemina *Waltheri Needhami* ex *Thurſtoni* de reſpirationis uſu libro, & *Roberti Hookii*, ex Tranſact. Anglicanis, in cane ſumta. P. 148 *Williſium* inventorem laudat experimenti, quo pulmonis lobo folli incluſo reſpiratio illuſtratur. P. 176 confirmat rationem, quam habet numerus marium ad numerum fœminarum in Anglia, ut 14 ad 13, definitam a *Grauntio*. P. 220 domeſticis obſervationibus microſcopicis confirmat, quod primus detexit *Malpighius*; pilos animalium eſſe fiſtuloſos. P. 246 generationem æquivocam ab Ægyptiis eſſe confictam ait, ut ſalvarent hypotheſin de hominibus & animalibus ex terra productis. P. 278 Perpetuum mobile vocat rem impoſſibilem, ſi non prorſus contradictoriam. P. 285 variationem acus magneticæ detectam eſſe ait a *Sebaſtiano Cabotto*, inclinationem a *Roberto Normanno* Anglo, & variationem variationis demum anno 1634 ab *Henrico Gellibrand*, Profeſſore Aſtronomiæ Greſhamenſi. P. 295 calculo trigonometrico definit diſtantiam, ad quam viſu pertingit oculus in altitudine 6 pedum conſtitutus, ſi ſuperficies ferme ſphærica & æquabilis ſupponatur, 5285 perticarum ſeu 3 milliarium Anglicorum. P. 360 experientia *Colaſii* fretus approbat, quod *Ettmüllerus*, *Ol. Magnus* aliique propria freti aſſeruere, hirundines arcte coacervatas intra piſcinæ cannas, ſub glacie prorſus ad ſenſum exanimes, pulſantes tamen, hieme reperiri. P. 376 obſervat, microſcopia docere, colores papilionum eſſe pennas. Ceterum cum hæc quæ de ſublunaribus annotavit Autor, ita avide a multis lecta comperiſſet, ut intra anni ſpatium ter recudi librum opus fuerit, mox etiam alteram Partem publicavit ſub tit. *Aſtro-Theology*, in qua cœlum contemplatur, bis anno ſuperiori editam, de qua proximo Menſe dicemus.

REFL.

REFLECTIONS UPON THE NATURE OF CONtentment.

h. e.

COGITATIONES DE TRANQUILLITATE & oblectatione animi, & quomodo in ſingulis vitæ humanæ circumſtantiis obtineri poſſit: Autore SAMUELE PYCROFT, Socio Coll. Gonvil. & Caj. in Academia Cantabrigienſi.

Cantabrigiæ, apud Corn. Crovvnfield, 1714, 8.

Plag. 7 ½

MAgnam artem beate vivendi, quam omnes affectant, pauci aſſequuntur, libro hoc tradere conatur Autor. Oſtendit primum (c. 1) officium eſſe hominis ut animum lætum, placidum, ſibique conſtantem conſervet, quoniam tum alacrior, & aptiſſimus rebus agendis eſſe ſolet, deinde quoniam nihil nobis extra conſilium DEI accidit, adeoque vanum foret, inique quicquam ferre. Non excludit tamen moderata rerum, quibus vita jucundior fiat, ſtudia, & cap. 2 monet, ut quilibet neceſſitates, ac ſpes & voluptates ſuas, ex ſtatu proprio & circumſtantiis rite metiatur. Tum in ſequentibus repræſentat conditiones aliquot vitæ, & caſus quam maxime frequentes, quid acerbi habeant, ac quomodo nos adverſus dolorem munire poſſimus. Quibus lautior res obtigit (c. 3) ipſam vanitatem ſuam & luxuriam nimis laborioſam ſæpe experiuntur, aut majora affectant, aut ab aliis rationem ſui non ſatis haberi dolent. Nonnullos obtrectatio inimicorum (c. 4) mordet, ſive æmuli ſint, ſive aliarum partium, ſive naturali quadam prurigine in aliorum irriſionem proclives. Multos affligit amicorum perfidia (c. 5) quos vel levitas, vel privatæ utilitatis ratio a priſca conſuetudine avulſit: alii (c. 8) mortuos lugent. Tum conſolatur adverſa valetudine laborantes & meliori fortuna ad anguſtias redactos & pios divinæque gloriæ ſtudioſos, qui ob juſtum zelum ſuum perſecutioni aliorum obnoxii ſunt. (c. 7, 8, 9.) Ultimo loco conſiderat ſollicitudines, quibus ante alios turbari ſolent ho-

Digitized by Google

mines ingenio culturæ dediti. Qui enim meditationi adſuetus eſt, dum rem quamlibet in omnes partes verſat, facile indignationis atque anxitudinis materiam ſibi fingit, & ſingula acrius perſequitur ſæpe etiam dum nimis ſibi ſpeculationibus & eruditis divitiis placet, negligit res externas, & alios ſacris illis non initiatos, qui multa iterum vexatione contemtum ſuum ulciſcuntur. Hi ſunt quibus medelam afferre voluit Autor eamque ex ſacra plerumque Scriptura depromit. Ceterum apparet, hæc generalia tantum eſſe, & pauca, ſi conferantur cum infinita varietate objectorum, unde in nobis dolor aut voluptas oriuntur. Multa ab ipſa natura, ſed innumera ab opinionibus proficiſcuntur. Poſſunt quidem omnia ad certa revocari principia, unde conſtet, quid ad felicitatem pertineat, quomodo corporis ac fortunæ bonis frui liceat, & quatenus carere iis poſſimus. Unde evidentia ad conſolationem animi argumenta ipſa ſibi relicta ratio deduceret. Sed tandem ubi adverſa ingruunt, nonne videmus apud aliquos plus valere naturalem animi habitum, tempus & neceſſitatem, quam apud alios præcepta ſapientiæ

L' ILIADE POEME AVEC UN DISCOURS SUR HOMERE.

h. e.

ILIAS GALLICE VERSA. PRÆMISSA EST Diſſertatio Critica de Homero; Autore DE LA MOTHE.

Pariſiis, apud Gregorium Dupuys, 1714, 8.
Alph. 1 tabb. æn. 12.

CEleberrima controverſia eſt, quæ aliquo abhinc tempore inter Galliæ eruditos de Homeri auctoritate atque excellentia mota fuit. Clariſſimus Poetarum *Houardus de la* p. 12. *Mothe*, cum alios videret Homerum ad cœlum uſque extollere, alios plagii & errorum illum accuſare; optimum eſſe credidit, ſi accuratius & procul ab opinionibus præconceptis ipſa Homeri ſcripta examinaret, de quibus jam ſententiam in præ-

Digitized by Google

præfatione dicit. Quodnam Homerus Iliadis argumentum in animo habuerit, non certo conſtat. Sunt, qui Trojani p. 17.
belli deſcriptionem ingenioſam illum dediſſe ſibi imaginantur: alii laudes Achillis ſe inveniſſe exiſtimant: alii tandem non niſi doctrinam, & exempla, quam exitioſæ ſint magnatum contentiones, tradi poemate illo credunt. Sed difficultati- 22.
bus harum opinionum nulla caret, unde concludendum eſſe videtur Autori, non poſſe certo aſſeri, quem finem Poeta ſibi propoſuerit. Negat hac occaſione Autor, Iliada perfectum Epici carminis inſtar eſſe, ad quod effingi neceſſario debeat. Tum de methodo agit, qua uſus eſt Homerus, ut lectorem attentum redderet, ut eum commoveret, & admiratione impleret. Hi- 28.
ſtoriæ, quam tractat, gravitas attentum reddit lectorem, dum duorum populorum crudeliſſimum bellum recenſet. Commovetur ſermonibus, quos Poeta perſonis affingit, quibus ſuos affectus produnt. Admirationem vero parit miraculorum, quæ interveniunt, frequentia. Interim Autor Homerum ob duplicem cauſam notat. Eventus enim omnium actionum citius, quam par eſt, prodidit, dum ea ſæpius recitantur ac prædicuntur, quæ poſtea demum accidere debebant, & in ef-
fingendis miraculis ſimilitudinem veri non obſervat. Male 33.
conſervare illum Deorum characterem queritur, quos hominum more natos, morbis & dolori obnoxios producit, quique interdum ab ipſis hominibus vulnerati, ejulatus emittant, & Me- 37.
dicis opus habeant; qui vitiis & ignorantia laborent, quique fato regantur; in quo ipſo tamen deſcribendo Homerus ſibi non conſtet, quum modo nec Jupiter illud evertere valeat, modo eventu careat, atque eludatur. Reſpondet tum illis, qui, ut
omnia Homeri tueantur, illum unum tantum Deum ſummum 38. 40.
credidiſſe putant, & diverſa tantum ejus attributa ſub perſonarum apparatu repræſentaſſe. Boilæum teſtatur aliquando
in ſermone familiari confeſſum ſibi eſſe, quod Homerus ſibi vi- 41.
deretur Deos variandæ tantum ſcenæ cauſa, utque jucundius
audiretur poema, introduxiſſe. Heroes Homerici, quos ma- 44.
gnis eminere virtutibus par erat, ſuperbi, iracundi, impii & crudeles Mothio videntur nec fortitudinis quidem laudem me-

p. 49. reri, utpote qui, ſi quid ſtrenue gerunt, id omne robori corpo-
ris, velocitati equorum, aut curruum, & quod peſſimum
eſt, prodigiis debent. Ipſe Achilles, cui tamen præ aliis ſtu-
duiſſe Homerus videtur, velut imprudens, temerarius & glo-
rioſus notatur. Quodque præterea divinis armis illum in-
ſtruxerit, & nihil adeo laudi ejus reliquerit, niſi quod optione
data, immaturam in bello, ſed cum gloria mortem ignavæ
ſenectuti prætulerit. Plura deinde Helenæ, Hectoris, Diome-
54-56. dis, & Paridis exempla allegat, ex quibus concludit, male ſer-
vaſſe Homerum characteres, & iisdem hominibus contrarios
ſæpe animorum habitus tribuere. Id licet hiſtoriæ facile igno-
veris, quæ homines varios natura & mutabiles nobis ſiſtit,
quales revera fuerunt, aliter tamen rem ſe habere in poemate,
59. ubi idem ſervandus eſt character. In ipſa oratione, qua uſus
eſt Homerus, reprehendit tot narrationes, quibus circumſtan-
tiæ ad propoſitum non ſpectantes, immiſcentur, verborum
repetitionem & deſcriptionum ubertatem, in quibus ad mini-
ma deſcenditur. Laudat quidem, quos ſubinde interſeruit ſer-
73. mones, ſed diſplicet, quod iisdem connexionis formulis utatur,
quod inopportuno tempore inter pugnandum Heroes ejus con-
fabulentur, quod mortuos æque ac vivos prolixius alloquantur,
86. quodque ipſos equos ſuos compoſitis verbis cohortentur. Com-
parationibus inutiles circumſtantiæ miſcentur. Similia a re-
100. bus abjectis ſæpe ſumuntur. Tale exiſtimat Mothius, cum
Poeta Ajacem multitudini hoſtium cedere coactum, cum aſino
comparat, quem pueri prato perpulerunt. Porro in ſimilibus
uniformis admodum, & nimius eſt in comparationibus. Sen-
tentiæ, quibus aut dicta illuſtrare, aut inſtruere mortalium a-
104. nimos voluit Poeta, bonæ quidem ac ſapientes ut plurimum,
importuno tamen loco interdum applicantur; interdum e
trivio petita ad nauſeam uſque inculcantur. Elocutio autem
ipſa ob eam rationem optima & elegans Mothio videtur, quia
temporibus, quibus Homerus vixit, communi ſuffragio appro-
110. bata fuit. Nobis enim haud ſupereſſe tantam veterum lingua-
rum notitiam, ut quid pulcrum ſit & linguæ genio conveniat,
117. judicare ipſi poſſimus. Denique etiam laus Homeri, qua tan-
quam

Digitized by Google

quam præcipuus doctrinæ moralis autor celebratur, in quæſtionem venit. Quos a ſapientia commendat, illi imprudenter nonnunquam agunt. Ut Neſtor, qui cum L. 1 Achilli moderationem erga Agamemnonem exercitus ducem ſuaſiſſet, L. 9 Diomedis approbat factum, qui durius Agamemnonem habuerat, ne a conviitiis quidem abſtinens. p. 118. Ipſi Dii ab injuſtitia & crudelitate non prorſus immanes ſunt. Eaque ſola in re decenter cum iis egit Poeta, quod providentiam aſſeruit. 121. Jam vero in ſummam contracturus, quæ fuſius dixit, dividendam ſententiam, ac aliter de Homero, aliter de Iliade pronuntiandum putat. 123. Et Homerum quidem Poetarum ſui temporis optimum fuiſſe, qui poetico ingenio a natura præditus, & fabularum amans, collectam in peregrinationibus eruditionem variam, & ut tum erant tempora, inſolitam, ad unum argumentum apte contulerit. Latere forte illum ſub Neſtoris imagine, qui longis ſermonibus doctrinam ſuam oſtentat. Nihil ergo obſtare, quin Princeps Poetarum appelletur; 125. licet alii ipſum ſuperaſſe, & multa in Iliade deſiderari dicantur, quæ ipſe, ſi in tempora, qualia noſtra ſunt, incidiſſet, mutaturus fuiſſet. Profuiſſe tamen Iliadi contra Philoſophos obtrectatores, primum 129 122. quidem novitatis gratiam, deinde vero ipſam antiquitatis auctoritatem. Ultimo loco rationem reddit verſionis ſuæ Gallicæ. 139. Tria requiruntur ad perfectam verſionem, ut ordo ſcriptoris retineatur, ut animus ejus, & ipſa etiam verba rite reddantur. Ultimum ob linguæ Gallicæ indolem neglexit, quam Græcæ co- 142. pia, vi & elegantia nihil concedere, adverſus peritiſſimam utriuſque & omnis humanioris literaturæ Daceriam contendit. 145. Itaque imitatus magis eſt Homerum, quam ut verterit. Siquidem & epitheta, & deſcriptiones ſuperflu as repetitiones & 152 ad fin. prædictiones omiſit. Mores ad noſtrorum temporum indolem temperavit, adeoque plebeja Achillis & Agamemnonis jurgia omiſit. Nec hic Jupiter Junonem verberat, nec clypeus Achillis apparet. Et ſic in XII libros, eoſque mediocres, Iliada redegit. Ut autem haberet, quo omnem fabulam referret, R. P. Boſſu ſententiam adoptavit, qui Homero propoſitum hic

fuiſ-

ſuiſſe exiſtimat, ut quam exitioſa ſint magnatum diſſidia, oſtenderet.

I. VIGNOLII DISSERTATIO APOLOGETICA de anno primo imperii Severi Alexandri Aug. qua potiſſimum Programma Cycli Paſchalis S. HIPPOLYTI denuo exponitur & illuſtratur.

Romæ, typis Franciſci Gonzagæ, 1714, 4.

Alph. 1 plag. 3 $\frac{1}{2}$.

CUm Valſechii atque Philippi a Turre, Adrienſis Epiſcopi, Virorum clariſſimorum, ſcripta in cauſſa annorum imperii Antonino Elagabalo aſſignandorum luci publicæ expoſita percurreremus menſe Julio 1714 pag. 303, proxime a Valſechio, qui a Duumviris illis impugnabatur, lucubrationem novam expectabamus. Sed quantum conſtat, adhucdum nihil ille typis commiſit, quo objectionibus Virorum doctorum ſententiam ejus convellentibus occurreret. Ipſi illi communes Valſechii adverſarii inter ſe congrediuntur, docteque ac modeſte pariter de eadem cauſſa diſceptant. Eo ſpectat præſens Cl. Vignolii tractatio, qua diluere conatur, quæ Philippus a Turre in Diſſertatione, Valſechio impugnando deſtinata, ſententiæ, quam ipſe amplectitur, adverſa in medium attulerat. Redeunt ea ad ſeptendecim capita, quæ Vignolius in Præfatione breviter adducit: ceterum agnoſcit gratus, Reverendum Præſulem non tantum relicta priori, quam Vignolius confutarat, Pagii ſententia de annis imperii ab Elagabalo geſti in aliam, quamvis ab eodem Pagio excogitatam, diſceſſiſſe, ſed & eſſe inſuper faſſum, a Vignolii ſe haudquaquam ſententia prorſus abhorrere. Ante autem, quam in controverſiam Virorum doctorum nos immittamus altius, commonendos Lectores ducimus, uti ea, quæ ex Scriptis eorum in hac cauſa editis excerpta dedimus ſuo loco, ob oculos habeant, & quæ eorum de annis imperii ab Elagabalo adminiſtrati ſententiæ ſint, revo-

revocent in memoriam, quod ſine iis dicenda vix ſatis intelligentur. Ut opem recordantibus feramus, tenendum, Vignolium arbitrari, a Die inde decima ſexta menſis Maji Æræ communis CCXVIII imperio præfuiſſe Elagabalum, mortemque ejus in anni CCXXVI menſem Majum ita rejiciendam eſſe, ut poſt Idus Majus e medio ſublatus quintum imperii annum attigiſſe ſtatuatur. Philippus a Turre Pagium ſecutus, initio Elagabalum primum imperii annum a Kalend. Januar. anni CCXVIII communis Æræ numeraſſe, extinctum ante Idus Aprilis anni CCXXII exiſtimarat, Dionis, annos, tres, menſes novem dies quatuor imperio ejus aſſignantis, ſententiam tuiturus. Poſt, ubi rationes Vignolii contra eandem ſententiam latas expendiſſet, aliam ejuſdem Pagii ſententiam adoptavit, quæ initium imperii ab Elagabalo geſti ad diem decimam ſextam Martii revocat, nec tamen finem ejus ulterius protrahit propterea, ratus menſe eum Martio anni CCXXVI occiſum ante, quam imperii quintum eſſet annum ingreſſus, nummos autem quintum imperii annum præferentes ſeptimo ante natalem imperii, ut eo diſtribuerentur, percuſſos eſſe. His præmiſſis jam facilius, & quo tendant Viris doctis diſputata inter ſe, & quid ipſa habeant momenti, nos planum facturos ſperamus.

Primo diſceptant, quonam menſe Elagabalus Nicomedia, ubi hibernarat, Romam venerit. Vignolius circa menſem Novembrem eum veniſſe contenderat, cumque Eutropius una cum aliis Romanæ hiſtoriæ ſcriptoribus tradat, biennium ac menſes octo eum Romæ egiſſe, concluſerat, poſt decimum ſextum diem menſis Maji interemtum eum ſcelerum ſuorum pœnas dediſſe. Philippus a Turre iter illud breviori longe ſpatio temporis ſuperari potuiſſe ratus menſe Julio Romam jam acceſſiſſe credidit Elagabalum. Sed antiquam ſententiam doctis ac firmis in medium allatis rationibus tuetur Cl. Vignolius, erroremque imprimis, qui multis antiquitatum indagatoribus interque eos Cl. Philippo a Turre etiam, Vignolium impugnandi inde occaſionem arripienti, impoſuit, iter militare nempe in ſingulos dies fuiſſe viginti milliarium, aut ſi celeriter eſſet abeundum, quinque

& viginti, penitus labefactat, atque ex Julio Cæſare lib. III de B. C. c. LXXVI lib. VI de B. G. c. XII ac Dione lib. LXIII p. 716 docet, diurnum iter militare 6 milliaribus conſtitiſſe. In hac ſententia Fulvius etiam Urſinus fuit, ex cujus Adverſariis, quæ duobus voluminibus comprehenſa & manu ipſius ſcripta in Bibliotheca Vaticana ſervantur, locum adducit Vignolius, ubi ille, *diurnum*, inquit, *iter militum millia VIII.* Hac igitur ſententia cum tueri ſe facile poſſit Vignolius, docet tamen inſuper, etiam decem millia paſſuum largiri ſe poſſe itineri diurno, neque tamen evinci inde poſſe, maturius Elagabalum Romam veniſſe, quam menſe Novembri; quinque enim menſium itineri dies alios quinquaginta quietis adiungendos eſſe, diesque etiam nonnullos, vel ipſo Reverendo Præſule aſſentiente, novum Principem tranſegiſſe in urbibus, quæ ſolenni illum ritu exceperunt.

Altera diſceptatio de numo Elagabali agit, congiarium ejus ſecundum præferente, quem ad connubium cum Cornelia Paulla initum pertinere cum Vaillantio Rever. Præſul contendit, negat Vignolius non infirmis, ut videtur, rationibus adductus. Corneliæ enim Paullæ vix in matrimonium ductæ nuntium miſit Elegabalus, ut Herodianus teſtatur. At ſi ad nuptias ejus referamus congiarium hoc, quod menſe Novembri anno CCXIX diſtribuiſſe Elagabalum oportet, octo aut novem menſes, neceſſe eſt, conjugio ei juncta fuerit, cum numi proſtent Corneliæ Paullæ anno III & IV imperii Elagabali ſignati. Id vero quo minus credi poſſit, diſerta verba Herodiani & feſtinatio Elagabali ad novas ſubinde nuptias prohibent.

Numus inſuper Corneliæ Paullæ, quem Valſechius ex muſeo Maurocenico protulit, qua ratione explicandus ſit, inter Viros doctos non convenit, obſervatque Vignolius contra doctiſſimum Præſulem, argumentum inde, quod titulus ADVENTUS AUG. non adeſt, peti nullum poſſe, adventum Elagabali eo numo haud deſignari: numis enim Græcis & Ægyptiis utcunque adventum Principis ſignificantibus eos titulos non addi. Docet ulterius, figura nuda, quæ in eo numo deprehenditur, ſtatuam equeſtrem Elagabali haudquaquam innui,

nudas

nudas enim in Græcis atque Ægyptiis numis occurrere Imperatorum imagines, idemque de ſtatuis etiam affirmari poſſe: Plinium equidem lib. XXXIV c. 5 H. N. docere, *Græcam rem eſſe nihil velare*, at vero non ita id capiendum eſſe, quaſi ſtatuas omnes effinxerint nudas, exemplis contrarium oſtendentibus manifeſtum reddi; Globum, quem figura illa tenet, non orbem terrarum, ſed vel pilam triagonalem in ludis Actiis Pythiis adhiberi ſolitam, vel pomum, cujuſmodi in iiſdem ludis una cum coronis dono dabantur, interpretandum eſſe, ut ceteras doctiſſimi Vignolii obſervationes taceamus.

Voluit inſuper Rever. Præſul, librarios apud Herodianum vocem ἕκτος pro τέταρτος ſcripſiſſe, neque inter ſcriptores hiſtoriæ Romanæ quemquam eſſe, qui ſexennium imperio Elagabali tribuat. At ut Vignolius facilius πέντος quam τέταρτος in ἕκτος mutari potuiſſe contenderat, ita eandem tamen ſententiam hac ex parte in præſentia cum doctiſſimo Præſule tuetur. Ceterum præter Herodianum S. Hippolytum apud Ducangium plus etiam quam ſexennium imperio Elagabali tribuere oſtendit. Porro exiſtimat laudatus ſæpe Præſul, conſiſtere ſecum non poſſe ſancti Hippolyti marmor, & inſcriptionem, quam Panvinius affert lib. II Faſtor. p. 49. Hippolyti enim marmor Alexandrum, ſucceſſorem Elagabali, Id. April. Anno CCXXII jam ſiſtit Imperatorem, in Panviniano autem Id. April. ſtatuam dedicans Elagabalus exhibetur. Unde alterutrum horum monumentorum mendax eſſe contendit Præſul Adrienſis, ac lapidis inde, ex quo Panviniana expreſſa eſt inſcriptio, fidem variis modis labefactare conatur. Imprimis fieri non poſſe putat, ut Elagabalus Imperator Serapidi cultum exhibuerit, in uno Elagabalo, DEO ſuo, colendo totus. At erudite Vignolius evincit, præcipue eum quidem coluiſſe Deum illum, ſed non neglectis tamen penitus ceteris Diis ac Serapide cumprimis, cui, rem ipſam ſi ſpectes, cum Elagabalo illo, Deo, parum diſcriminis interceſſit, quemque Septimius Severus & Antoninus Caracalla, quorum filium & nepotem ſe jactavit Elagabalus, Imperator, ſummo ſunt cultu proſecuti.

In ea quoque ſententia eſt Reverendus Præſul, Xiphilinum, qui expreſſis docet verbis, Elagabalum menſe Majo imperium ſuſcepiſſe, literam initialem menſis ſcripſiſſe Martii, eamque a librariis male per Majum expreſſam eſſe. Sed Vignolius docet, ejuſmodi compendium ſcriptionis in numeris quidem at non in nominibus menſium occurrere. Removet inſuper dubium, quod juxta cum Pagio Reverendus Præſul moverat, evicturus, multo ante ſextam decimam diem menſis Maji imperium Elagabalum auſpicatum eſſe, nempe res a tempore, quo milites Elagabalum Imperatorem renuntiarunt, ad prælium cum Macrino commiſſum geſtas, in ſpatium temporis, quod inter ſextam decimam diem Maii & ſeptimam Junii interjectum eſt, cadere non poſſe, id quod aliter habere Vignolius oſtendit. Imprimis convellere videtur Rever. Præſulis ſententiam, qua menſe Martio rerum ſummam Elagabalo delatam exiſtimat, eclipſis, qua Dion ſeditionem militum Elagabalum ſibi Imperatorem deligentium prænunciatam fuiſſe docet, quæque in novilunium Aprilis demum incidit, quemadmodum Vignolius ex tabulis Aſtronomicis ad Romæ meridianum initis uberius commonſtrat.

Neque admittit idem, quod Epiſcopus Adrienſis aſſumſit, numos tribunitiam poteſtatem quintam Elagabali præferentes, aliquot diebus ante inchoatum annum quintum imperii ſignatos eſſe. Res enim ea exemplo, ut patet, deſtituitur, hiſtoriam temporum turbat, ac tanto minus credibilis in Elagabalo eſt, quod Senatus tanto in eum odio flagravit, ut cuſos etiam numos, ſi Elagabalus non ſupervixiſſet, in publicum prodire nullo modo paſſus videatur.

Neque recte Valſechio conceſſiſſe eruditiſſimum Præſulem exiſtimat, proceſſum conſularem in numo Elagabali, cujus eſt inſcriptio P. M. TR. P. V. COS. III. ipſis Calendis Januarii non fuiſſe actum. Lampridium enim, cujus verbis adductus id largitur, diſerte docere potius, utique Calendis Januarii Elagabalum proceſſiſſe. At vero aliam rationem eſſe, cur proceſſus ille ad Calendas Januarias pertinere non poſſit, quam fuſius contra Pagium deductam hic repetere non licet brevitatam.

rem ſectantibus. Id notare non abs re fuerit, Vignolium tabulam Chronologicam p. 72 exhibuiſſe, in qua Tribunitia poteſtas & Conſulatus Imperatorum ab Auguſto ad Alexandrum uſque indicatur, & numi, qui Tribunitiam quamque poteſtatem & Conſulatum deſignantes nondum reperti, aſteriſco notantur, quæ quidem tabula ad numos rariores vel inveſtigandos vel cognoſcendos videtur adhiberi poſſe.

Quæ reliqua ſunt diſſertationis capita, ne Lectorum abutamur patientia, ſpatiumque referendis adhuc aliis præripiamus, non percurremus ſingula, quæ notatu in iis digna deprehendimus, vel verbo endimus, vel verbo monituri. Capite igitur IX mentionem injicit Vignolius fragmenti librorum LXXVIII, LXXIX Dionis, quod in Bibliotheca Vaticana aſſervatum doctiſſ. Leunclavius in lucem edidit. De eo ipſum Vignolium audiamus: *Codex fragmenti hujus*, inquit, *antiqui, de quo alibi forſan mentionem facturi etiam ſumus, membranacius eſt, & grandioribus literis perpetuo ſcriptus: illumque Fulvius Urſinus, cujus erat, tantæ quidem antiquitatis eſſe cenſuit, ut ſibi fere ipſo Dionis ævo exaratus videretur. Ex columnis tribus ſingulæ ipſius paginæ conſtant: quæ vero oræ illius propiores ſunt, injuria hominum dimidiatæ fuere, ſic, ut aſteriſci, qui in editione Leunclavii paſſim occurrunt, non verbum, vel unam atque alteram lineam in codice deficere, ſed ut plurimum duas ſaltem columnas integras in eo deſiderari ſignificant. Atque adeo Leunclavius non ſemper defectus ejuſmodi aſteriſco indicavit. Nam quandoque, ut obſervatum a me eſt, duabus columnis mediis inter ſe remotiora jungit.* Capite X Herodianus ac Lampridius egregie illuſtrantur, docetque cumprimis allata tabula, Herodianum Imperatorum annos non a die ſuſcepti imperii ſed a Calendis Januarii numerare. Capite XVI ad Dionem illuſtrandum multa occurrunt. Sed ex innumeris, quæ e diſſertatione ipſa rectius petentur, pauca hæc deprompſimus ſuffectura, quemadmodum opinamur, ut de tota Vignolii tractatione judicium ferri queat.

Digitized by Google

LA VITA CIVILE, ET L EDUCAZIONE DEL Principe.

h. e.

DE VITA CIVILI ET EDUCATIONE PRINcipis Liber; Autore PAULO MATTHIA DORIA.

Volumina III.

Francofurti, in 12. Alph. 1 ½.

T. I. c. I. AUtor ex natura humana deducit principia, quæ nos ad vitam civilem ducant, ideoque capite primo repræſentat ingenitam omnibus cupidinem ſe conſervandi, ſciendi & defectus ſuos ſupplendi, erroreſque corrigendi, ad quæ omnia obtinenda vita civilis comparata ſit. Dediſſe enim Deum hominibus rationem, qua duce ad felicitatem in hac vita uterentur, eamque exercitio virtutum, quarum capaces ſumus, acquiri, utpote quæ non animi ſolum, ſed & corporis ſenſuumque legitimam rationem habeant. Tum diſquirit de *indole* & *uſu* virtutum moralium, deque actionibus vitioſis, aut ad virtutis ſimulationem compoſitis, ut pateat, qua ratione in vita civili illæ excitari, promoveri, ac ad communem utilitatem combinari, hæ vero corrigi poſſint. Tum ab univerſali hac idea progreditur ad explicandos modos, quibus ortæ ſunt reſpublicæ quæ commoda quælibet forma habeat, & quibus diſtinctionibus diſcernendi ſint cives, ut inclinationes illorum ac facultate tam corporis quam animi in uſum reipublicæ, quæ leges, arma, agriculturam, opificia, commercia requirit, rite convertantur. Ut vero doceat, quantum quiſque prudentia efficere poſſit, examinat ſedulo fortunæ & ſapientiæ limites. Illam conſiſtere ait in combinatione circumſtantiarum, quæ ab infinita cauſarum ſecundarum ſerie pendet, nec mutari pro arbitrio, aut præſciri certo poteſt. Hanc autem in ſagacitate obſervandi diſcernendiq; illas ſeries, ac ſeligendi illam, quæ cujusvis indoli & potentiis quam maxime conveniat. Tomo II magiſtratus public-

[Margin notes: c. 2. (beside "tinenda vita civilis…"); c. 3. (beside "timam rationem habeant…"); c. 4. (beside "mulationem compoſitis…"); c. 5. (beside "aminat ſedulo…"); T. II. c. I. (beside "potentiis quam maxime…")]

blici officium exponitur, & quæ religionis, virtutum ſtudia, quibuſque inſtitutis inſinuare in civium animos debeat. Deinde c. 2. & 3.
eorum, quibus legum & ærarii cuſtodia commiſſa eſt, munia explicat, deque re militari, & cultura ingeniorum, quomodo in
uſum civitatis ordinanda ſint, diſſerit. T. III ſiſtit commoda atq; c. 4.
incommoda, quæ ex cupidine proferendi imperium oriuntur, c. 1.
ac artes, quibus parari firmarique novæ dominationes queant, c. 2.
quiſq; præmiorum & pœnarum uſus moduſq; eſſe debeat. Tum c. 3.
de fide publica, fœderibusque ac ultimo loco de cauſis pereuntium rerumpublicarum, illarumque indiciis agit. c. 4. Non potuimus ſingularia quædam decerpere ex libro, cujus præcipua laus in exacta principiorum concluſionumque compage conſiſtit. Sed erimus paulo prolixiores in libello de educatione Principis, quem ideo adjecit, quod a Principe omnis vigor per totum imperii corpus dimanat, & animi corporiſque virtutes magnam partem ex primis notionibus motibuſque, qui teneræ ætati imprimuntur, dependent. Principum pueris ante ipſam uſque
nativitatem cura ſua obviam quaſi procedit, ac quales ſe matres c. 1.
gravidæ gerere debeant, ſententiam dicit. Improbat ſcilicet delicatulum morem Principum fœminarum, quæ ab omni exercitio corporis, ciboque ſolidiori abſtinent. Utrumque commendat, ac præcipue ut animum, ab omni triſti & meticuloſa cogitatione liberum, nobilioribus ideis detineant, neque tam mulierum formoſarum, angelorumve & tenerorum infantum, ut ſolet fieri, imagines, ſed homines adultos, robuſtos, & quorum vultus animi quandam magnitudinem ſpirent, depictos in interiori ſuo conclavi habeant. Quoniam prout commoti fuerint ſpiritus animales in matre, eundem motum in fœtu exprimunt.
Primæ infantiæ uſque ad annum ſeptimum nulla inſtitutio, quæ c. 2.
contentionem aliquam animi requirit, convenit. Corporis autem magis habenda ratio, & puer ad omnem aerem, victum, cultumque prudenter aſſuefaciendus. Memoria ſimul & phantaſia excoli poſſunt, & primi voluntatis motus, qui jam tum a natura exſeruntur, ad virtutem dirigi. Utendum hic picturis, narrationibusque rerum fortiter & cum laude geſtarum, quæ magnanimitatis, fidei, moderationis, clementiæ, & ſapientiæ ima-

imaginem & amorem excitent, operaque danda eſt, ut ab initio ſtatim virtutum vitiorumque veræ notiones tenello animo imprimantur. Sodalitio nobiliſſimorum optimeque educatorum puerorum utatur, & ſi qua forte in re caſtigatione opus eſt, pudore tantum, aut circumciſa oblectatione continebitur. Prima ſenſim literarum elementa addiſcat, in primis autem amore DEI & religionis imbuendus erit, qui ſparſa virtutum
c. 3. moralium ſemina foveat alatque. Et ita pergendum ad 14 uſque annum, unaque linguarum ſtudia tractanda, inprimis Latinæ, eosque in uſus Livius commendatur. Judicium nunc paulatim exerceri poteſt, inprimis in hiſtoriarum lectione, & propoſitis variis caſibus ad rempublicam pertinentibus, de quibus ſententiam dicat. Exercitationes corporis majorem oblectationis partem facient, omnesque comparatæ eſſe debent ad conciliandum corpori robur, animoque laboris & moleſtiarum patientiam. Domi comœdiis tragœdiiſque, quarum utile ar-
c. 4. gumentum ſit, nonnunquam intererit. Tum vero in creſcente ætate ad meditationem conſiderationemque rerum attentiorem mens erit revocanda. Geometria eo conducit, ac Algebra, quæ ordini & progreſſui rerum attente obſervando animum aſſuefaciant. Iis adjungenda practica Logices inſtitutio, quæ verum a falſo, ſpecioſum a ſolido diſcernere, exemplis ex ipſa aula, & vita civili ſumtis doceat. Metaphyſica deinde commendatur. Sed ne ad id nomen faſtidiant noſtri, qui meminerint, quam macilenta ſit diſciplina, quæ illo nomine plerumque venit, monendi ſunt, Autorem hic eo referre ſcientiam DEi & animæ humanæ, & deinde commendare, ut Princeps juvenis res omnes ad ſuas claſſes, & certum principium, certumque finem, & conſilia ac negotia omnia ad unitatem revocare diſcat. In phyſicis cauſa ac connexiones rerum, omiſſis ſpinoſis & ſubtilibus quæſtionibus, explicari illi debent. Quantum ad eloquentiæ ſtudia attinet, ſuffecerit, ſi recte, perſpicue, & cum dignitate, quid ſentiat, proferre noverit. Majori ſtudio in doctrina morali & civili opus eſt. Illa enim rationem tum reddet virtutum, quarum habitus teneriori ætate ſola conſuetudine erant inculcati. Et vitandæ ſunt multæ pernitioſæ ſen-
ten-

Digitized by Google

entiæ, quibus adulatio & licentia aulæ principum mores corrumpit. Politica autem diſciplina quam vulgo infecta eſt Tiberianis artibus, & quam arduum, ut ſerio perſuadeat Principi, ſalutem populi ſupremam eſſe legem. Ejuſmodi aducationis fructus ut jam clarius appareant, ſubjicit Autor Ideam perfecti Principis & oppoſitis vitioſorum quorundam exemplis illuſtrat. c. 5. Ultimo loco de moribus & apparatu vitæ externo Principis agit, ut hac etiam ex parte ſummæ expectationi ſatis faciat. c. 6. Duo ibi ſupponit, nihil in moribus re vera pulcrum eſſe, niſi ſincerum & ab ipſa natura productum appareat: fruſtra autem ſpeciem illam affectat, ſi interni mentis habitus eo non ſint comparati. Adeoque ſtatim in adoleſcente Principe teneros habitus ita formabit gubernator, ut olim venerationem & amorem ſibi conciliare, actus ſuos & conſilia prudenter celare, & exemplo cives ad virtutem invitare diſcat. Ceterum non alienum forte ab hoc loco eſt monere, quod liber hic, quamvis Francofurti nomen titulus præferat, Italicum prelum facile prodat. Vidimus eundem in 4to, ut vocant, ac anno, ni fallimur, 1710 primum editum. Debemus & eidem ingenioſiſſimo Autori, qui Neapoli ingenii & Mathematum ſcientia clarus agit, librum alium vernaculum: *Riſleſſioni intorno alla meccanica de corpi inſenſibili*, nec ita pridem ab amico accepimus, eundem nobiliſſimum problema *de inveniendis infiniti duabus mediis propoſitionibus inter duas datas*, ſolviſſe.

JODOCI ANDREÆ HILTEBRANDI SCHEdiaſma de vocatione interna.

Berolini, apud Jo. Chriſtoph. Conradi, 1715, 4.
Plag. 10.

QUam ab aliis nondum occupatam adeo R. Auctor credidit materiam, hanc ille hic uberius perſequitur, Theologorum paſſim conſenſu & auctoritate nixus. Vocationem internam ab externa diligenter diſtinguit, modoque inclinationem ad ſtudium Theologicum & Miniſterium, (hanc enim inprimis hic ſibi exponendam ſumſit) modo impetum, ſtimulumque vehementem, II. 24. præeuntibus aliis, immo & aliquando arca-

R num

num & obtundentem DEI tractum, (*GOttes geheimen und*
übertaubenden zug) ex phraſeologia Arnoldi vocat, ean-
p. 11. 31. 47. demque fieri per internam Spiritus S. illuminationem, imo
50. 55. ſeq. ſolis fidelibus, veris illis & vivis Eccleſiæ membris propriam
eſſe contendit, quandoquidem inter alia profectum abnegatio-
nis, mortificationis, cœleſtizationis (ut loqui amat) adſpirati-
15. onis ad cœleſtia, introverſionis &c. aut ad minimum certa initia
ad hanc vocationem requirit, & Spenerum adeo, Arnoldum ali-
p. 16. 17. 20. oſque diligenter & fuſe allegat. Tandem vocationem inter-
ſeqq. nam ita deſcribit, quod ſit actio divina, qua DEUS trin-
unus homines, quos ab æterno ad hoc ſtudium, &, tempore de-
37. inceps ſic ferente, publicam in Eccleſia functionem, ex gra-
tia ſingulari ſapienter deſtinavit, in tempore, ut plurimum a pri-
mis ſtatim unguiculis ad ſingularem ſacrarum literarum amo-
rem pie atque conſtanter inclinat, eundemque in finem donis
neceſſariis, tam naturalibus, quam ſpiritualibus, clementer ex-
ornat, ſatiſque ornatos, extante hora, ad munus publicum
externe, per inſtrumenta ordinaria, recte vocat, vocatoſque
interne monet atque movet, ut hanc ſpecialem vocationem ex-
ternam ad hoc vel illud officium ἑκουσίως καὶ προθύμως
ſuſcipiant ſuſceptoque perpetim ita fungi præſumant, non
ambitione, non avaritia, nec ulla alia cupiditate, ſed ſincero
38. 39. 40. DEi timore & ſtudio ſummo Eccleſiæ ædificandæ. Bene mo-
netur ex Spenero, qui ſenſum internæ vocationis & gaudium
concomitans, utpote quo, vocatus aliquoties, caruerit vel
ille, pro requiſito neceſſario admittere recuſat, ita de hac
vocatione ejuſque neceſſitate loquendum eſſe, ne piis hinc
55. ſeqq. animabus difficiles injiciantur ſcrupuli. In Conſectariis antea
allata uberius novaque adſtruuntur induſtria, ita, ut curren-
tibus & per dolum ſe ingerentibus vocatio interna abjudicetur,
de qua e contrario Chriſtum proximumque diligentes eſſe
ſecuri poſſent. Per pœnitentiam, ſi inique munus ſacrum quis
59. obtinuerit, vocationem vitioſam antea tranſire in legitimam,
belioreſque tum Miniſterii ſequi ſucceſſus, perinde docetur,
dum ſeriis inprimis precibus contenderet reſipiſcens, ut voca-
tio-

Digitized by Google

tionem adhuc internam, poſt impetratam externam, Deus operari velit.

LUDOVICI ROGERII, THEOL. D. PATRIarchal. Eccleſ. Bituricenſ. Decani, Diſſertationes duæ Critico-Theologicæ.

Pariſiis, apud Franciſc. Jouenne, 1715, 12 maj.

Plag. 18 ½.

Diſſertatio I verba Joannis 1 Epiſt. V, 7, de tribus in cœlo teſtibus, fundamenti loco ponit, ubi, licet multi quidem ſint, qui de hoc dicto Joanneo, vel ex inſtituto, vel, occaſione ferente, ut in Commentariis, prolixius jam ſcripſerunt, non incaſſum tamen laboravit aut actum egit doctiſſimus Autor, cum idem molitus fuit, quippe qui ordine optimo & accurate maxime omnia de dicto hoc præcipue dicenda complexus eſt, ſolerter conſultis antea qui de eodem ſcribentes ipſum præceſſerunt, itemque MStis codicibus Græcis & Latinis non paucis. Tractationem omnem in partes duas diſpeſcit, quarum prima veritatem textus authenticam firmo ſuperſtructam fundamento oſtendit, contra intempeſtivos Criticos inter Catholicos, qui verſum illum expungendum eſſe cenſent. Initio fatetur quidem, argumenta eſſe ardua, quæ pro verſus rejectione ex textu afferri ſoleant, quæ ordine, ſimul cum codicibus MStis & verſionibus, in quibus noſtra pericope plane omiſſa deprehenditur, recenſet. Priuſquam autem, quid ſibi de illis videatur, ediſſerat, hunc ubique morem ſervat, ut aliorum reſponſiones ad argumenta proferat, eaſque accuratius perpendat atque examinet. Verſum hunc, de quo agit, controverſum non fuiſſe ſcholium, & ita forte in textum intruſum, ſolide demonſtrat. Neque admittit Grotii opinionem, exiſtimantis, verba iſta non ab Arianis eraſa, ut communis fert ſententia, ſed potius ab iiſdem intruſa eſſe, ut oſtenderent, unitatem perſonarum Trinitatis non in eſſentiæ identitate ſitam, ſed eas ſola conſenſione teſtimonii unum eſſe, quemadmodum teſtium in terra unitas

ſe haberet. In controverſia vero noſtra decidenda; reliquis & codicibus MStis & Verſionibus ſuſque deque habitis, res omnis in Codices Græcos recidit, e quibus antiquiſſimum aliquem Britannicum producit, quondam Eraſmo maxime probatum, in quo verba illa habentur, quem codicem prolixius contra cenſorum ipſius, ſpeciatim Simonii, objectiones defendere ſuſtinet. Tum aſſeruntur æque ac vindicantur teſtimonia Patrum, qui pericopen hanc allegarunt, Tertulliani, Cypriani, Idatii Hiſpani, CCCC Epiſcoporum in Confeſſione Hunerico Regi oblata, cui allegationi poſtremæ præ ceteris pondus maximum Autor ideo ineſſe ratus, quia Confeſſio hæc ab Epiſcopis Arianis, ſub quorum dominatu Confeſſores ingemiſcebant, videnda, expendenda & exagitanda fuerit, ergo debuiſſe ipſos certos fuiſſe, in exemplaribus Biblicis, quæ tum in Africa erant, pericopen hanc extare, quia alias accuſationi mendacii & falſi, quam dubio procul Ariani intentaſſent, ſe obnoxios reddiderint. Poſt hæc ſentit, facilius accidiſſe, ut ex librariorum oſcitantia verſus ille omiſſus, quam forte fortuna intruſus fuerit, hancque ſententiam ſuam evincit, in aliis codicis Biblici exemplaribus ſupinæ hujus *omiſſionis* exempla producendo. Tandem pericopen aſſerit ex textus connexione ac loci ſcopo, qui altera ex parte veræ de Chriſto doctrinæ confirmatio eſt, ad quam Cap. V, dictum hoc palmarium continens, pertinet. In parte altera ſenſum hujus verſus legitimum contra Socinianos firmat, quorum errorem duplicem, alterum, quo diſtinctionem Perſonarum Trinitatis, alterum, ubi earum conſubſtantialitatem negant, proſternit. Diſſertatione II, quam Polemicam Autor inſcribit, ipſa verba Jeſaiæ Cap. VII, 14 a Judæis, mirabilem Chriſti conceptum & nativitatem negantibus, contra, illum Joſephi concurſu factum, ſtatuentibus, vindicat. Cumque Judæi pro argumento afferant vocem עלמה, eamque velint quamcunque puellam, nuptam etiam, denotare; Autor ſolide probat, vocem עלמה, ſingulari emphaſi, maxime inviolatam & vere virginem, ferme nec oculis viri viſam, præcipue hoc

hoc loco, indicare. Argumentum autem Judæorum præcipuum, quod locus hic de Chriſto loqui nequeat, eſt, quoniam Emmanuelis illius partus Achaſo in ſignum liberationis a duobus Regibus datus ſit, cujus complementum demum poſt Sæcula VII futurum fuerit, quod tamen eventum illius, cujus eſt ſignum, præcedere ordinis jure debeat. Ad hoc reſponſiones aliorum varias cum præmiſiſſet æque ac examinaſſet Autor, ſcite reſpondet; Jeſaiam non de ſigno proprie dicto loqui, ſed concludere a majori ad minus: ſi Deus aliquando daturus nobis eſt, quod eſt majus & difficilius, partum virginis, quanto *facilius eſt ipſi, rem faciliorem* efficere, & a duobus Regibus nos liberare. Porro, cum errorem de Achaſi uxore, עלמה, & filio Ezechia Emmanuele, refelliſſet, prolixior eſt in confutanda illa Judæorum objectione, ex collatione Cap. VII Jeſ. cum VIII enata, qua contendunt, filium Jeſaiæ, cujus cap. VIII mentio fit, eſſe eundem, de quo cap. VII dictum. Quod quibus rationibus a Judæis aſſeratur, quibus ab Autore rejiciatur, ex ipſa Diſſertatione cognoſci poteſt. Alia difficultas ex verſ. 16 Cap. VII oritur, quoniam liberatio promittitur, antequam Emmanuel incarnatus ſciat bonum eligere, & malum reprobare; cum tamen hæc nativitas, quæ neceſſario præcedere debebat, poſt aliquot ſecula demum futura fuerit. Ad hæc reſponſionis hæ præcipue rationes placent, quod, ſi concedamus, verſ. 16 de Emmanuele dici, propterea non aliquot ſeculorum ſpatium uſque ad liberationem ab hoſtibus intelligatur, ſed verba ſic etiam explicari poſſint, ut notetur intervallum inter nativitatem & rationis uſus receptionem, quamvis dilata nativitas ipſa ſupponatur: item probabile eſſe, nec textus connexioni repugnare, ut vox Puer hic non individualiter, ſed ſpecifice ſumatur. Tandem Judæorum blaſphemiam de conceptu Jeſu adulterino & partu, itemque ἀντιλογίας quaſdam in Jeſaia & Matthæo ab ipſis quæſitas, argumentis maxime ponderoſis refutat. Ceterum non diſſimulamus, libellum jam antea forte editum, nunc novo tantum titulo adornatum nobis videri.

Digitized by Google

OLAI BORRICHII

DISSERTATIONES, SEU ORATIONES ACAdemicæ, in II Tomos tributæ. Cum Præfatione ſua atque Indice triplici edidit SEVERINUS LINTRUPIUS, P.P.

Hafniæ, apud Hieronym. Chriſt. Pauli, 1715, 8. Alph. 3 plag. 3.

OLAUS BORRICHIUS magnis meritis erga elegantiorem litteraturam humanitatiſque ſtudia abundavit, quæ non ſolum ipſe coluit mirifice, ſed variis quoque ingenii ſui monimentis, quibus multum ſtatuitur pretium, ornare & perpolire laboravit. Cultior inprimis lingua Romanorum ipſi multum debet, cui prælia, quæ cum Cl. Cellario iniit, fructuoſa fuiſſe conſtat: nec parum Latine atque emendate ipſe expreſſit orationem ſuam. Cujus purioris atque elegantis ſtili exempla conſpici poſſunt in his Diſſertationibus, quæ in ſummam redactæ ſuperiori anno prodierunt. Ipſe Borrichius Orationes has conjunctas uno faſciculo proferre deſtinaverat, quo defuncto Paulus Vindingius S. R. M. Conſiliarius Status & Juſtitiæ, Græc. litter. Profeſſor regius, & primus Collegii Borrichiani, quod Mediceum appellari juſſerat, Ephorus, hujus editionis opus in ſe ſuſceperat; facto autem dicti Collegii impenſis ante duo luſtra imprimendi initio, ereptus fuit præmatura morte Vindingius, qui operam hanc ſuo ephoro Mediceo, ſucceſſori Caſparo Bartholino, Conſiliario Status & Juſtitiæ & Profeſſori Philoſophiæ regio, reliquit, cui negotio quum per alias graviores reipublicæ occupationes haud poterat vacare, illud in Celeberrimum & ingenii meritis clariſſimum Severinum Lintrupium, Academiæ Hafnienſis Profeſſorem Eloquentiæ, tranſtulit, qui & illi omnino ſatisfecit. Namque præfamen & copioſum & eruditum conſcripſit & in id collocavit ſtudium, ut Orationes hæ prodirent emendatæ, nec Indicibus uſui libri hujus deſtinatis deeſſe voluit. Quod ad

Præ-

Præfationem attinet, illa attingit tria momenta. Primum eſt prudentia, quæ in ineditis clarorum Virorum monimentis publicæ utilitati tradendis debeat obſervari, quorum aliis prudentius denegatur publica lux ut famæ auctorum conſulatur; alia vero, quibus præcipue autores ultimam impoſuerunt manum, publici uſus facere, eruditos condecet. Secundum eſt index Oratorum Belgarum, Danorum, Gallorum, Germanorum, Hiſpanorum, quo catalogum Oratorum recentiorum Morhofii reddit auctiorem. Angli eruditum orbem orationibus in volumina collectis haud ornarunt, qui de rebus, quam verbis, interioris critices, quam oratoriæ ſtudio, deque eloquentiæ ſacræ, quam Romanæ principatu magis adhuc, ut apparet, ſolliciti fuerunt. Locum inter Danos jure ſuo meritoque vindicat Cel. Borrichio, cujus facundia oris non ſolum fuit fulgens, ſed intellexit quoque, quid ſit bene & copioſe loqui. Tertium de ipſis Orationibus ſeu Diſſertationibus earumque argumentis ſpeciatim commentatur, quæque interea, ex quo illæ ante hos XXX fere annos pœne omnes, ante XL vero etiam nonnullæ conſcriptæ ſunt, ſingulis vel augendis ac locupletandis, vel ornandis atque expoliendis, vel nova experimentorum luce opportune ſervitura recentior produxit ætas, commemorat. Prima differit de *Experimentis Botanicis*, per quæ diſcere promtum eſt, quo diſcrimine oporteat a ſpecie ſpeciem plantarum & herbarum dignoſcere, aliis ad foliorum recurrentibus figuras, aliis ad menſuram radicum, nonnullis ad caulium, acinorum, ſpinarum diverſitates; deinde in ſpeciebus esculentorum declarant, non adeo ambitioſam eſſe famem, ut nequeat niſi triticis aut ſiligineis ſaturari panibus. Porro patens ſe aperit campus quærendi non guſtus duntaxat adminicula, ſed & delitias, ſi per tot fructuum, florum, radicum, conorum, immo & lignorum, genera eatur, nec minus experimenta generationem plantarum oſtendunt, & efficiunt, ut ſciamus plura eſſe, quæ ſeminum vices ſupplent. Namque ſæpenumero eædem plantæ, quæ ſemini natales debent, propagantur viis aliis, jam folio, jam ramo, jam cortice, jam radicibus. Secunda de *Sanguine*, ſeu, ut ipſe in catalogo ſcripto-

ptorum ſuorum paullo plenius argumentum expreſſit, *de natura ſanguinis & transfuſione ejus*, obſervat, quod prima hujus medicationis tentamenta, quantum hodie conſtet, Medea, Ægyptiis fortaſſe uſa magiſtris, in ſcenam videatur propuliſſe, quæ revixerit inter hodierna medentium experimenta. Galli, Angli, Itali rem contenti docuiſſe, de nomine non magnopere laborarunt, transfuſionem vocantes, quoties ex animali in aliud animal, vel hominem derivatur, aperta vena, ſanguis; infuſionem, quoties non ſanguis, ſed alii liquores in apertam venam per ſiphonem artifice manu ingeruntur. Borrichius nuncupat artem Medeanam ab inventrice, vel ſi id fabulam redoleat, Libavianam, quia nihil certius, quam Andreæ Libavio, Medico excellenti, jam ante hos ſeptuaginta annos illam medendi methodum innotuiſſe. Hanc medicandi rationem in majus faſtigium extulere Richardus Lowerus Oxonii; Dionyſius Pariſinus, Emmereſius, Fabricius Dantiſcanus, qui hac arte tres homines perſanavit, arthriticum, apoplecticum, & cum plica Polonica fœdiſque ulceribus luctantem; ex Italis Guilielmus Riva. Cl. Lintrupius commendat in Præfatione Sturmii exercitationem de transfuſione ſanguinis, qua de ipſo autore hujus artis, de methodo transfundendi ſanguinis, de ſanguinis transfuſi phænomenis & admirandis effectis, de variis variorum de transfuſione judiciis & ſua ſententia de transfuſionis uſu diſſerit. Tertiam inſcripſit *de uſu Logices*, re ipſa autem agit de genuina diſputandi ratione. De avtodidactis dicitur, quod quæ in angulo meditentur, velut Sybillæ folia lectoribus obtrudant, offamque nec bene conditam, nec arte diſpoſitam, nec præ cruditate edulem nauſeantibus doctorum ſtomachis, & digni ſint, qui aliquot adhuc annos inter Logicorum plorent cathedras, antequam ſcriptorum titulos inſtituant aucupari. Quarta *de acido & lixivo*; quinta *de venenis* & ſexta de *furore poetico* agit, de quo dicit, quod ſit usque adeo fixa meditatio rei animo in imitationem metricam propoſitæ, ut interea omnium pœne aliarum rerum inducat oblivionem. Inprimis exponit, quo pacto raptus hic poeticus contingat,

an

an a cauſſis in natura rerum ſtabilitis proficiſcatur. Summa diſſertationis eo redit, ut meditatio jungatur multæ lectioni & exporrecto judicio, nec enim meditatio oneri par ſit ſine lectione & arte, nec judicium ſuſtineat hanc molem, niſi longa cum bonis ſcriptoribus familiaritate velut innutritum. In præcipuis autem Poetæ curis illa eſto, ut attollat mentem ſupra dictionis plebejæ humilitatem, utque fictam ſibi imaginem rerum, de quibus dicturus eſt, animo repræſentet, fingatque ſe, in Epico carmine præcipue, geſtis ipſis intereſſe ac videre ſingulorum vultus, conamina, tacitas cogitationes, arcana conſiliorum. Septima de *animalibus hyeme ſopitis* diſpicit: an ullum animal ſalva vita, ad aliquot non modo dies, ſed hebdomadas, ſed menſes, ſed annos, ſomnum poſſit continuare? quod argumentum non ſolum ex hiſtoria naturali probat, ſed doctrina quoque phyſices illuſtrat. Octava *de ſuccino*; nona de *qualitatibus occultis* & decima *de oraculis antiquorum* ſubſequuntur. De primis oraculorum initiis non conſentiunt Scriptores, plures tamen eo inclinant, cœpiſſe eadem centum annis ante bellum Trojanum: hæc lues non ſolum fœdavit Græciam, ſed certavit mox cum ipſa hac parte Ægyptus, illa ſuperſtitionum mater. Apud Italos nihil celebrius Sibyllinis ad Cumas & Tibur oraculis; apud Gallos nihil notius antro Druidarum. Veteres laborant, ſe ſimilitudine veri, ſpecie & colore tueri, ne geniis familiaribus & aſtutiæ Dæmonum debere oraculorum reſponſa videantur. Cauſſam ceſſationis oraculorum Chriſtiani quidam Scriptores in adventum Salvatoris Chriſti derivant, Ariſtoteles, Tullius, Plutarchus in effœtas terræ vaticinæ vires. Suidæ & Nicephori Calliſti teſtimonium de Auguſto, quod de ſucceſſore ſuo ſit percunctatus, haud certum eſt, nec ſolida antiquitate innixum. Neque Suetonius, vitæ Auguſti incorruptiſſimus Scriptor, neque Euſebius Pamphili, qui in oraculis veterum ponderandis multus eſt, hujus peregrinationis Auguſti Delphos meminit. Ducentis propemodum a nato Servatore annis Lebadiæ oraculum adhuc effloruit, & ſane plures Imperatorum Romanorum poſt Tiberium conſuluiſſe ora-

cula deprehendimus. Undecima multa notatu digna de *variis excitandi ignis modis & phoſphoro* exponit, & attingit brevibus hiſtoriam & controverſiam de inexſtinctis veterum Lucernis ſepulcralibus, quæ a multis aliis clariſſimis viris Octavio Ferrario, Fortunio Liceto, Rob. Plot, Guichardo, Sorello & aliis illuſtrata fuit.

Poſterior Tomus harum Diſſertationum ſive Orationum initium ſuum capit a duodecima de *ſpecie ſerpentis, qui Evam decepit*; exiſtimat Autor, quod Diabolus illud genus ſerpentum in habitaculum ſibi elegerit, quod natura benignius, manſuetius & blandius humano generi ſe hodieque repræſentat, neque hæc beſtia ad fraudandum inſtructa advocata fuerit ab Afris & Indis, ſed horto Eden, hoc eſt, Meſopotamico ſolo fuerit inquilina, adeoque ſæpe antea inter innocentiæ exercitia Evæ conſpecta & proinde nullæ ab ejus adventu exſpectatæ ſint inſidiæ. Apud Indos, autore Hugone a Linſchot, circulatores docent ſerpentes varios ad ſonos Muſicos in publico ſaltare & geſticulari. In Malabar non rari ſunt octonum pedum ſerpentes, qui mirifice pueris blandiuntur amantium ſpecie. In Italia ſerpentes Braccianæ ſpeluncæ, teſte Kirchero, & Bartholino, ægros homines in ſpelæum ſuum admiſſos mutuis, ſed innocentibus ſtringunt amplexibus, exſuguntque humores vitioſos adeo, ut qui advenerant ſemianimes, revertantur ſaniſſimi. Alios Joannes Nieuhofius deprehendit in China, veneno omni deſtitutos. Reliqua diſſertationis hujus parte caſtigat Borrichius Nierembergii ſententiam, qui draconem intelligit. Decima tertia de *natura dulcedinis*, & decima quarta *de deperditis Pancirolli* verba facit. Guido Pancirollus cum Henrico Salmuthio oſtendere laboravit, deperdita jam eſſe propemodum innumera, quæ olim etiam in vulgus mechanicorum innotuerant, ita periiſſe antiquorum purpuram, encauſtum, ſpecularia, lapidem Obſidianum, veterum Murrhina vaſa, aurichalcum, azzalum, Muſiva opera, pyropum, electrum, æs Corinthium, vitrum ductile, papyrum, priſcorum Cinnamomum, ſalem Ammoniacum, folium barbaricum, malabathrum, ſtacten, bdellium, balſamum, amomum, coſtum, oleum combu-

buri neſcium, hydraulica, clepſydras, ad ſummam illuſtres illos Romanorum triumphos & magnificentiam Quiritium pace belloque declaratam. Borrichius pluribus oſtendit, quam nihil opum antiquarum perdiderit ſeculum noſtrum & evidentius omnia perſpiciat, ut proinde in ſupervacuis ſe fatigaverit Pancirollus: ſi ſcripto ſuo titulum præfixiſſet, de rebus hodie in deſuetudinem abeuntibus, ſive de rebus antiquorum, quas poſteritas intuitu meliorum abolevit, correxit, jam nomen ſuum juſte tueretur. Decima quinta de *Studio Latinitatis puræ* id agit, ut oſtendat, quam neceſſarium eſſe, ſectari caſtitatem linguæ Latinæ, quæ princeps virtus ſit omnium linguarum; attingit quoque argumentum de jure augendi Latinam linguam. Decima ſexta de *menſtruis Chemicorum*, Septima de *uſu ſtudiorum academicorum in re militari*, & octava *de contagio morborum & vitiorum* non minus jucundæ ſunt. Integro operi præmiſſa eſt Pauli Vindingii oratio Parentalis in exceſſum Olai Borrichii, & extremo illius additur adhuc oratio Jubilæa evangelica anno MDCLXVII dicta & ſermo funebris manibus Oligeri Vind dicatus, quem triplex Index excipit. Cl. Lintrupius erudita Borrichii Opera Philologica omnia emendatiora exſpectare jubet.

EXPERIMENTS AND OBSERVATIONS UPON Bezoar-Stones.

h. e.

EXPERIMENTA ET OBSERVATIONES circa Lapidem Bezoardicum, una cum Vindiciis Sacchari; Autore FRIEDERICO SLARE, Collegii Medici & Societatis Regiæ Socii.

Londini, apud Tim. Goodwin, 1715, 8.

Plag. 9.

EX quo Autor Clariſſimus in Illuſtrem Societatem Regiam fuit receptus, omnem impendit operam in examinanda materia Medica, cujus nunc induſtriæ ſpecimen quoad Lapi-

Digitized by Google

dem Bezoardicum & Saccharum exhibet. Quod lapidem Bezoardicum attinet, hactenus in diverſas abierunt ſententias Medici, de virtute ejus ſermonem facientes. Siquidem Braſſavola eum pro Alexipharmaco contra venena venditat, Amatus Luſitanus trium granorum pondere datum pro magno ſpecifico habet, Lacuna, Fallopius aliique tanquam ſummum Antidotum in peſte propinarunt, Petrus de Albano a veneno, morte, gravi morbo liberare, & quicunque eum geſtarit, ab omni morbo lethali ſecurum pronunciavit, imo Serapio iisdem eum pollere viribus aſſeverat, ſive ſorbeatur, ſive ore detineatur, hinc Cæſalpinus, Garzias ab Horto, Acoſta & Rodericus a Caſtro præter uſum internum in lepra, eryſipelate, & peſtilentialibus tumoribus adſpergere jubent eundem. Fuerunt tamen, qui exilem ſe, vel nullum ab ejus uſu expertos eſſe teſtantur effectus. Sic Hercules Saxonia in ſubſtantia dedit pulverem ejus in ſat larga doſi, nec tamen ſudorem eum prolicuiſſe, nec ullam expectatam edidiſſe operationem, obſervavit; Crato absque ullo ſucceſſu in maligno quodam epidemico morbo eundem datum conqueritur, & Rulandus cornu cervino longe poſtponit. Qua opinionum differentia commotus Clariſſimus Slare, exactius hunc lapidem examinandi, ejusque uſum explorandi animum induxit, quæque abhinc viginti annis obſervavit, in ſchedis hiſce communicare ſuſtinuit. Vario igitur modo Lapidem Bezoardicum tractavit, ut indolem ejus eo melius cognoſcere poſſet. Drachma ſcilicet ejus in retorta igni aperto commiſſa, & ignita per ſemihorulam ſervata, unam obtinuit, ad ſummum duas guttas liquoris ſubacidi, floribus quibusdam collo vaſis adhærentibus, caputque mortuum inſipidum, nigrum & in duram molem concretum invenit. Quo experimento tamen certus fieri non potuit, num ad vegetabile, an animale Naturæ regnum lapis hic ſit referendus; exiſtimat tamen, terreæ eum eſſe indolis, a liquore quodam in ejusmodi maſſam compactum. Affudit pulveri ejus omphacium, acetum forte, oleum vitrioli ſimplex, & cum aqua dilutum, ſpiritum ſalis, ſpiritum nitri, ſed nulla efferveſcentia aut ſolutio fuit ſecuta. Eodem-

demque modo caput mortuum ejus cum iisdem acidis exercuit menſtruis, ſed absque ullo effectu. Quæ experimenta docent, non poſſe hunc lapidem inſtar alius cujuscunque alcali corroſiva venenorum vel humorum ſpicula obtundere & corrigere. Atque cum guſtui ſe inſipidum, odori inodorum exhibeat idem, inter cordialia remedia nullo modo eſſe referendum. Mittimus obſervationes, quas allegat Autor, quibus, nec in variolis, aliisque malignis, nec in benignioribus affectibus ullo ſe lapidem proſpero commendaſſe ſucceſſu, evincit, indeque concludit, eam, quam in morbis de hoc deprædicant Autores quidam, virtutem aliis admiſtis adſcribendam eſſe medicamentis. Sedulo etiam inveſtigavit ortum lapidis hujus Autor, adeoque, quicquid ab amicis in Indiam profectis vel per literas vel oretenus accepit, fideliter communicat: certi tamen quid comperire non potuit, quibusdam eos unice & quidem ſingulos in cervi capris ſexus fœminini Provinciæ Panzar, aliis in diverſis animalibus, capris, puta, vaccis, cercopithecis, hyſtricibus, inveniri referentibus, aliis idem negantibus. Credit igitur certiſſime, factitium eſſe hunc lapidem, tempus aliquando docturum. Nec ſibi perſuadere poteſt, eum in ruminantibus reperiri animalibus, ſiquidem ſtomachus, qui in continuo deprehenditur motu, variasque heterogeneitates, crudas craſſasque ſubſtantias in ſe recipit, lapidem ejusmodi laminatum concreſcere haud ſinit. Suſpicionem artefacti lapidis auget magnus numerus eorum, qui hinc inde apud mercatores proſtant. Accepit enim Noſter a Seplaſiario Londidinenſi, quod ſingulis annis quingentas vendiderit ejus uncias, quarum ſingulæ decem vel duodecim capiebant lapides, ſequeretur inde, ultra quinque millia caprarum. & quidem ſexus tantum fœminini, ad minimum fuiſſe occiſas, pro ſuppeditandis ſoli huic mercatori lapidibus. Pari modo hyſtricis vulgo dictum lapidem pro pilis caprarum cum amaris liquoribus mixtis & in debitam formam ſubactis habet. Quemadmodum igitur a bezoardico lapide nulla vis antacida eſt ſperanda, ita parum æque virtutis pro eodem ſcopo a pulvere in Anglia ad-

Digitized by Google

modum uſitato, vulgò Gaſconico ſeu de chelis cancrorum nominato, quem præter lapidem Bezoardicum ſuccinum album, cornu cervi, margaritæ, lapides cancrorum, corallia rubra & nigri chelarum cancrinarum apices conſtituunt, expectandum venit, ſiquidem experimenta cum ſingulis hiſce ingredientibus pariter ac cum toto compoſito facta & ab Autore allegata ſatis evincunt, nullam vel exilem ab acidis nec hoc nec illa paſſa fuiſſe alterationem. Si quis tamen acidi præternaturalis in corpore humano ferociæ efficax validumque remedium opponere geſtiat, illud a creta alba, firmiorisque texturæ, & ſale abſinthii petere jubet Noſter.

Sed ad Saccharum pergimus, quod ab injuriis quibusdam, quibus illud afficitur, vindicare allaborat Autor. Creditur vulgo, a ſacchari uſu novos morbos Epidemicos, circa mare Balthicum ſcilicet ſcorbutum, & in Luſitania atrophiam, fuiſſe procuſam. Putat tamen Clariſſimus Slare, Scorbutum maris Balthici accolas jam vexaſſe, antequam ſaccharum in Europam fuerit inductum; & cum malum hoc pauperes tantum, qui ſale contenti de cibis ſaccharo condiendis non cogitant, prehendat, ejus originem potius rei anguſtæ domi, pravæ diætæ, frigidis habitationibus ac aeris malignitati in acceptum referendam eſſe. Quod autem in Luſitania atrophia inde irrepſerit, negat, cum nullus Mercatorum vel Medicorum idem teſtetur, D. Morton vero, Medicus navalis, qui Lisbonæ diu commoratus fuerat, conſtanter aſſeveraverit, tabem iſtam Epidemicam luis venereæ progeniem exiſtere, tantumque abeſſe, ut Luſitani a ſacchari abusu in atrophiam incidant, ut ſatius judicet, hoc frequentius, pro illa avertenda, ſed acetum parcius, quo fovetur, uſurpari deberi. Quemadmodum etiam idem Morton potionem ſaccharatam pro vulneribus curandis ſummo cum fructu frequentius propinare conſuevit. Præ reliquis tamen cum Williſio res Autori intercedit, qui ſaccharum ſal acidum ac maxime corroſivum continere per deſtillationem probare ſuſtinuit. Quod vero ab uſu quotidiano Sacchari ſanguis & humores non ſalſi & acres reddan-

dantur, exin probat Noſter in genere, quod neceſſario Colicæ, Vomitus, Affectus convulſivi, & totius œconomiæ animalis ruina a tali acrimonia foret expectanda, cui tamen ſiniſtro eventui quotidiana reclamet experientia. Saccharum per ſe deſtillatum liquorem ſubminiſtrare aqua ſtygia vix inferiorem, retulit Williſius. Experimentum hujus rei facturus Autor, dimidiam Sacchari libram per retortam ex arena deſtillavit valido ſatis igne, & acquiſivit uncias tres cum dimidia ſpiritus ad guſtum acidi, de quo quartam cochlearis partem ore detinuit abſque noxa, cum tamen idem cum tribus tantum aquæ fortis guttis facere non auſus fuerit. Caput mortuum vero inſipidum erat, nec ſalis fixi unicum granum ſuppeditavit. Porro ſi Saccharum e veſica plurima aqua fontana perfuſum deſtillaveris, prodíturum liquorem inſtar aquæ vitæ accerrimum, urentem ac ſumme pungitivum, dixit Williſius. Noſter vero Autor limpidum inſtar aquæ fontanæ liquorem, omni acrimonia expertem, recepit. Nec prævia fermentatione ejusmodi ſpiritum inflammabilem a Saccharo eſſe expectandum, credit. Hinc Sacchari in tribus vel quatuor menſuris aquæ ſoluti libræ uni tantillum fermenti cereviſiæ addidit, factaque fermentatione clarum ſuavemque ſpiritum obtinuit, qualis vix ab optimo vino Canarienſi ſperari poterat. Affudit hunc ſpiritum Sacchari ſupra viperam, ſupra aliam ſpiritum vini, utrasque poſt dimidium anni bene conſervatas, priorem tamen firmiori textura gaudentem præ altera invenit. Et poſtquam a vino albo, pomaceo, cereviſia vetuſta, & Saccharo ſpiritus abſtraxerat, omnes ſuaves erant, quorum neutrum præ altero acrimonia præcelluiſſe, & ipſe & cum eo alii obſervarunt. Dictum hunc ſpiritum ſacchari omni acrimonia carere, vel hoc probat, quod, ſi eum juxta Autoris aſſertum aquæ forti, ſpiritui nitri vel vitrioli ſub juſta proportione affuderis, ſpiritum nitri vel vitrioli dulcem acquiſiturus ſis. Quod autem ex Saccharo vehementiori igne tractato acris, amarus, & fœtidus ſpiritus proliciatur, effectui ignis, qui Sacchari blandam naturam deſtruxit, hoc ipſum adſcribit. Præterea

ſunt

Digitized by Google

ſunt, qui exiſtimant, calcem vivam, quæ pro purificando Saccharo in uſum trahitur, ſuam acrimoniam corroſivam igneamque naturam ei communicare; repellit tamen hunc metum Noſter, dicendo, non calcem vivam, ſed aquam ejus recipi pro hoc ſcopo. Cum igitur aqua calcis vivæ alias ſit naturæ alcalicæ, vulneraria exiſtat, ſordida ſcorbutica ulcera mundificet, & præ aqua communi in potiones contra ſcorbutum, hydropem, diabeten &c. recipiatur, nihil damni ſaccharo ab ejus admiſcela accedere confidit. Nec audiendi ſunt illi, qui ex hoc capite ſaccharo naturam calidam, febres in infantibus potiſſimum accendentem, adſcribunt, quod poſt fermentationem aquam vitæ vel ſpiritum inflammabilem ſuppeditet. Negat enim Noſter, Saccharum, quam diu formam Sacchari obtinet, proprietatesque Sacchari retinet, iisdem qualitatibus præditum eſſe, quas recipit, poſtquam per fermentationem ſuam naturam & qualitates ſuas exuit, & in aliud Ens tranſmutatum fuit. Exempla allegat malorum Armeniorum, & Perſicorum, fragorum, myrtillorum & mororum, quæ omnium conſenſu inter frigidos referuntur fructus, poſt fermentationem autem ſpiritus ardentes, flammamque concipientes ſuppeditant. Quid? quod Saccharum, mala Perſica &c. aquæ vitæ indita calorem ejus & acrimoniam retundant. Quod denique quidam abſtinere jubeant ab iis rebus, quæ acorem facile contrahunt, illis potius curam habere commendat cereviſiæ, ne in acetum abeat, vini, ne corrumpatur, & panis, ne ſitum contrahat; ſimile vero quid a Saccharo non eſſe metuendum addit, modo ſiccum conſervetur, imprimis cum idem vino vel cereviſiæ admiſtum utrosque liquores a corruptione præſervet.

Nova Literaria vernacula ſuperioris Anni, quæ hactenus ſub titulo: Neue Zeitungen von Gelehrten Sachen, *in forma octava, ſingulis ſeptimanis prodiere, cum XII Supplementis, Conſpectu generali Rei literariæ Anni 1715, & Indicibus locupletiſſimis, nunc integra Lipſiæ apud Actorum horum Editores & Theoph. Georgium proſtant; eademque ſimili ratione hoc anno continuantur.*

Digitized by Google

N. IV.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ
Calendis Aprilis, Anno M DCC XVI.

STEPHANI BALUZII MISCELLANEorum Liber Septimus.

Lutetiæ Pariſ. ap. Bibliopol. Societ. 1715, 8.
Alph. 1 plag. 16.

SExto horum Miſcellaneorum libro ante biennium in lucem emiſſo, cujus mentionem Suppl. Tom. VI Sect. 6 faciemus, Septimum hunc memor promiſſi Cel. Autor publicare haud diſtulit, quo varia Scriptorum Eccleſiaſticorum partim dogmatica, partim hiſtorica, Concilia, Pontificum Epiſtolas & alia plura complexus eſt, ex Bibliotheca Regia, Colbertina, Archivis Regiis ac plurimorum Monaſteriorum & Eccleſiarum, & ſchedis Sirmondi, Du Chesnii, Chiffletii, atque Autoris ipſius codicibus collecta. Occurrit p. 1.
primo loco *Epiſtola Liciniani Carthaginenſis ad S. Gregorium Papam, ejusdemque Gregorii Epiſtola ad Leandrum Epi-* 5.
ſcopum Hiſpalenſem, quæ integriores nunc primum prodeunt. Sequitur *Epiſtola Paulini Patriarchæ Aquilejenſis ad* 6.
Karolum M. de geſtis in Synodo Attinenſi, cujus fragmenta in Tomis Conciliorum reperiuntur; *Monachorum Montis Oliveti Epiſtola ad Leonem III Papam*, ob controverſiam de *Spiritus* S. proceſſione, *hujusque Symbolum fidei miſſum ad Eccleſias orientales; Capitulare ſecundum Theodulfi Epiſcopi Aurelia-* 21.
nenſis, & *Hincmari Remenſis epiſtola ad Ludovicum III Re-* 47.
gem Francorum de electione Epiſcopi Belvacenſis. Hiſce ſubjuncta ſunt varia Concilia nondum edita, *Barcinonenſe Anno 906, apud S. Tiberium Anno 907* habitum propter litem de li- 53.

 bra.

53. bra argentea, ab Auſonenſi Eccleſia feudi more Narbonenſi
quotannis ſolvenda, quæ ab hoc cenſu abſoluta fuit; Cæſa-
rii, qui *Archi-Epiſcopum Tarraconenſem* ſe profeſſus, autori-
tate Pontificis ſemet tueri conabatur, *epiſtola ad Joannem XIV*
p. 62. *Papam*; *Concilium Romanum Anno 998* ob controverſiam de
67. 69. Epiſcopatu Auſonenſi celebratum. *Decreta Nicolai II Papæ*;
Romanum Concilium Anni 1081, quo ſancitum, ne res divinæ ad
70 uſus ſeculares oppignorentur; *Claromontani Concilii definitio*
72. *pro Gothofredo Epiſcopo Magalonenſi contra Petrum Abbatem*
Anianenſem, eximere ſe conantem; *Concordia inter Abbatem*
Rivipollentem & Archi-Epiſcopum Tarraconenſem in Concilio
74. *Nemauſenſi Anno 1096*; *Concilium Claromontanum Anni 1130*, un-
79. de apparet, c. 17 qu. 4 can. 29 non in Lateranenſi, ut vulgo
81. inſcribitur, ſed in hoc eſſe ſtatutum; *Concilium Londinenſe*
84. *Anni 1151*; *Turonenſe ſub Alexandro III Papa*, quod nec inte-
grum, nec juſto ordine diſpoſitum extat in Tomis Concili-
90. orum; *Narratio de electione Martini V Pontificis*, a dua-
bus tertiis Cardinalium atque ſex Clericorum ex ſingulis
nationibus nominatorum faciendæ, atque unanimi tandem
97. conſenſu peractæ, & *Balthaſaris Coxæ Epiſtola ad Petrum de*
Luna, *Benedictum XIII* ſe vocantem, qua ipſum hortatur, ut
105. Martino V ſe ſubmittat; *Conventus Cleri Gallicani Anno*
118. *1548 apud Melodunum*; *Acta Concilii Tridentini de conceptio-*
ne immaculata B. Virginis, quod omnibus ſilentium impoſuit.
120. Addidit Cel. Autor aliquot *Epiſtolas Adriani I & ſequentium*
127. *quorundam Pontificum*, inter quas ſunt *literæ Wilhelmi I Re-*
gis Anglorum ad Gregorium VII Papam, qua fidelitatem ipſi
128. negat, & *Comitis Arelatenſis ad eundem*, Abbatem quendam
Sodomiæ crimine convictum, & propterea ſede motum
nunciantis. Notari quoque merentur *Breve Innocen-*
158. 160. *tii VIII & pragmaticæ Gallorum Sanctionis querimonia*;
quæ haud parum ad illius hiſtoriam conducunt; & *Pii V*
Breve adverſus Gilbertum Cognatum, Eraſmi quondam libra-
rium, & ob hæreſin in carcerem detruſum, in eoque mor-
tuum. Subnectuntur porro *Miracula B. Martini*, & *varia*
Præ-

Digitized by Google

Præcepta, Auctoramenta, Donationes, ac Litigia Monaſterio-rum & Eccleſiarum, ex quibus ſe nomina parentum Hildeberti p. 169. 195.
Epiſcopi Cænomanenſis usque huc ignota, Hildeberti nimi- 209.
rum & Herſindis de Lavarzino caſtro, inveniſſe exiſtimat
Cel. Baluzius. Apparent deinde nonnulla de *Iſemburge Re-* 245.
gina Franciæ Philippi, Auguſti uxore, de Comitatu Flandriæ; 294.
Charta Joannæ Comitiſſæ Flandriæ pro monaſterio S. Vedaſti
Atrebatenſis; *Communia Civitatum*, ex quibus Privilegium ha- 263.
bendi ſigillum, Anicienſibus conceſſum, ſilentio haud præter- 287. 237.
eundum eſſe duximus; *Conſuetudines Andegaviæ & Ceno-* 343.
maniæ; *Liber pœnitentialis Roberti Canonici S. Victoris*, & 45.
Cardinalis Alamanni litera de feſto S. Joſephi; *Geſta Johannis*
VIII, excommunicationem Gilberto Epiſcopo Nemauſenſi, 347.
qui Monaſterium S. Ægidii invaſerat, minitantis, quæ Epiſto- 349.
lam 191 ejusdem plurimum illuſtrant. Hæc excipit *Vita In-* 353.
nocentii IV Papæ, ſcripta a Fratre Nicolao de Curbio, ordi-
nis Minorum, Pontificis Capellano & Confeſſario, poſtmo- 364.
dum Epiſcopo Aſſiſinatenſi. Incipit Autor a Gregorio IX,
quo mortuo nonnulli Cardinalium æſtu nimio gravati in
Conclavi expirarunt. Gregorio ſuffectus Cœleſtinus, eique 356.
mox defuncto Innocentius IV. Nimis autem injurius eſt Autor
iſte in Fridericum II Imperatorem, cujus ſimulatione & per-
fidia pacis conſilia fuiſſe ſubverſa tradit, excommunicationem
ejusdem exemplis defendit, atque Papam Wilhelmo Anti- 373.
Cæſari æris egenti 30000 marcarum argenti dono miſiſſe, ho- 377.
norifice prædicat. Sanctio II Luſitaniæ Regi ab eodem Papa 374.
ſacris interdictum fuiſſe refert; & Cardinales primum Capel- 376.
los rubeos in Concilio Lugdunenſi ab ipſo accepiſſe memorat.
Jactat etiam, Tartaros miſſo legato baptizatos; tandemque Pa-
pam a Manfredo pulſum, & febre correptum obiiſſe narrat.
Ibi adjunxit Cel. Editor *Vitam ejusdem Papæ, Autore Bernardo* 405.
Guidonis Epiſcopo Lodovenſi, & *Excerpta ex Regeſto anni ſex-* 407.
ti hujus Pontificis, ex quibus litteræ ad Alexandrum Regem Nou-
gardiæ ſunt notandæ, quem Eccleſiæ Romanæ conciliare ni-
tebatur. Quanta etiam turbidis iſtis temporibus in Germania ſi- 410.
bi ſumſerit Pontifex, vel exinde liquet, quod non tantum Her-

T 2 man-

p. 456. manno Marchioni Badenſi, Wilhelmo Anti Cæſari ob eandem cauſam impenſe commendato, Auſtriam conceſſerit, ſed etiam Salzburgenſem feuda ab Auſtriacis & Bavaris quondam poſ-
424. ſeſſa retinere juſſerit. Sequitur *Vita Eugenii IV Papæ a coætaneo* ſcripta, unde Cardinalem Capranicam, quod pileum Car-
506. dinalitium nondum accepiſſet, ad Electionem Pontificiam non
507. admiſſum fuiſſe, animadvertimus. Agmen denique claudunt *Eugenii bulla adverſus Columnenſes* admodum inimica; *Æneæ Syl-*
513. *vii oratio de morte Eugenii IV & creatione Nicolai V* lectu di-
525. gniſſima, & *Acta Legationis a Carolo VIII Galliarum Rege ad Innocentium VIII Pontificem miſſæ*, Gallico ſermone elaborata, quibus Gallorum jura ſecularia & Eccleſiaſtica contra ſedem Romanam vindicantur.

ATLAS HISTORIQUE. TOME IV.

i. e.

*ATLANTIS HITSORICI TOMUS IV, QUI complectitur Daniam, Sueciam, Poloniam, Moſcoviam ac Turciam, Autore C*** Accedunt Diſſertationes GUEUDEVILLII.*

Amſtelodami, apud Fratres Chatelain, 1714, fol. reg. Alph. 2 plag. $8\frac{1}{2}$. cum Tab. æn. nitidiſſimis plag. 40.

SPlendidiſſimi Operis, cujus alibi mentionem fecimus, Tomum IV producimus, in quo eadem utitur methodo Autor, quam adhibuit in præcedentibus, quibus contra cenſuras quorundam Apologiam in Præfatione ſcribit. Hiſtoriæ Suecicæ peculiaris de Lapponia Diſſertatio accedit, & Moſcoviæ deſcriptio Diſſertationes duas occupat, quarum altera de origine ejus, natura terræ, rebus eccleſiaſticis & actionibus Joannis Baſilowitz; altera de moribus populi, regimine, & Moſqua urbe agit: ſicut & Chronologia Regum Poloniæ duabus partibus repræſentatur, quarum prior Duces atque Re-

ges

ges Poloniæ a Lecho uſque ad Sigismundum III ab Anno 548, ad 1632, poſterior a Ladislao ad noſtra usque tempora tradit. Hanc præcedunt Chronologiæ Regum Daniæ ac Sveciæ, quorum hi antiquiſſimi habentur omnium in Europa Regum: atque hæc ab Erico I, qui primus Sueciæ Rex a plurimis creditur, anno M. 1849 uſque ad Ericum IX anno C. 1150 tanquam incerta quidem deducitur; conſequens autem hæc tempora certior adſeritur. Nec minus Autor Sueciæ Reges, quam Liberatores atque Adminiſtratores ejus Regni a Magno Smeck Rege Sueciæ 1325 uſque ad Guſtavum Erichſon 1520 ad latus invicem ſibi poſuit. Tum exhibentur Chronologiæ Imperatorum Moſcoviæ, Orientis, Regum Hieroſol. Arabum, itemque Turciæ Imperatorum. Præter Chartas inſuper Geographicas Tabulæ quoque Genealogicæ ſedulo & omni cura ſunt adornatæ. Siſtunt autem Genealogias Regum Septentrionalium; ubi Autor in Genealogiis Sueciæ Regum & Gothiæ Pufendorfium, Daniæ vero & Norvagiæ Hübnerum ſecutus eſt: Genealogias porro Principum Palatinorum, Ducum & Regum Poloniæ, Ducum & Regum Bohemiæ ac Hungariæ, quorum Chronologiæ jam Tomo II Atlantis Hiſt. extant, Genealogiæ vero huic loco reſervatæ ſunt, ob connexionem, quam cum Poloniæ Regibus habent, in Tabula quoque Autor indicavit. Sequitur hanc Genealogia Imperatorum Moſcoviæ ac Turcicorum. Præcipue vero de Autoris induſtria teſtatur Genealogia Regum Poloniæ, qui ex Piaſti familia deducuntur, cum plurimis familiis principibus ex hoc ſtipite communi deſcendentibus. Vacua vero in planis Tabularum Genealogicarum adimpleta ſunt obſervationibus, quas Autor de ſuo adjecit, quibus tamen ſæpe continentur, quæ jam in Diſſertationibus dicta ſunt, ita, ut ad ſpatii tantum capacitatem extenſas eſſe cuilibet appareat, ſicut eandem ob cauſam in Charta N. 37, ubi Regnum Ottomannicum delineatur, ſimul inſerta conſpiciuntur, quæ prorſus huc non pertinent, vita ſcilicet Alexandri & geſta, itemque Obſervationes de ſtatu Reipublicæ Romanorum & de tribus bellis Punicis. Quin &, quod modo animad-

Digitized by Google

vertimus, in Diſſertationibus nonnunquam, & iisdem fere verbis, reperitur, quod jam in Chronologiis extat. Tandem, cum notaverimus, unius cujusque Regni Ordines, Civiles, Militares & Eccleſiaſticos, in Tabulis exhiberi, nihil reſtat, quam ut pauca quædam ex Diſſertationibus æque ac Chronologiis ſelecta cum Lectore communicemus. In Tab. No. 4 commemoratur, Parliamentorum inſtitutionem Angliam debere Danis, & ſpeciatim Holſatis, qui ſub Hengiſto Angliam aliquando armis debellabant. In Chronol. Reg. Dan. No. 6 Waldemarum I anno 1164 urbem Dantiſcanam, & hoc imperante, Abſalonem, Epiſcopum Roſchildienſem, Hafniam fundaſſe traditur. In Chronol. Reg. Svec. ſucceſſus iſti, quos arma Suecorum ſub Guſtavo Adolpho, Chriſtina & Carolo Guſtavo experta ſunt, ordine recenſentur, & in Tab. No. 10 repetuntur, adjectis Chartis minoribus, quibus etiam depicta fortiter geſta cernuntur. Diſſert. de Lapponia Cap. 1 refertur, ob climatis frigiditatem incolas plerumque ſteriles eſſe, id quod olim occaſionem dederit iſti conſuetudini, qua, ſi forte exteri, ut mercatores, ipſos inviſerint, eos mariti ſolos cum uxoribus ſuis reliquerint, venatum ad tempus exeuntes. Redeuntes autem peregrinos variis remuneraſſe donis, ſi mulieres hilari & exporrecta fronte inveniſſent; eam vero ſi nubilam & caperatam conſpexiſſent, hoſpites, contumelioſe habitos, domibus ſuis expuliſſe. Cap. XII auſpicia & progreſſus Religionis Chriſtianæ in Lapponia exponuntur, cujus ſacra inſtituit primum Guſtavus Erichſon, ulterius Carolus IX, qui templa primus & ſcholas ædificavit, (ubi antea cultum ſuum gentilem exercuere, vid. Cap. II) ejus filius, Guſtavus Adolphus, & Chriſtina promoverunt, qua cura tandem effectum eſt, ut, quæ rudis antea natio fuit, tantum excoleretur, ut & ex Lapponia Studioſi in Academiam Upſalienſem mitterentur. Diſſert. I de Moſcovia Cap. II p. 2 b. Moſci Biblia Sacra non integra ſecum in templa portare dicuntur, metuentes, hæc ne profanentur, propter aliqua loca in Veteri Teſtam. quæ minus modeſte ſcripta ipſis videntur: quare Novum tantummodo Teſtamentum, & aliquos ex veteri Textus, ut Pſalmos & Prophetas, eo apportant

tant

tant. Pag. 4 a. in ædibus ſacris Organa Pnevmatica non tolerant, quod res illas inanimatas non aptas eſſe dicant, quæ Deum celebrare poſſint. Pag. 5 a. eſſe de eſſentia Sacramenti Cœnæ credunt, ut panis conſecrandus a Sacerdotis alicujus vidua coquatur; ægrotis, quibus tantum non ſupereſt virium, ut manducare poſſint ſacrum panem, vinum conſecratum ſaltem infundunt. Communiter, ſacra coena uſi, dormiunt, ut ne die iſto amplius peccent. Diſſert. II Cap. II ad Duella Moſci non adhibent gladios, neque ſclopeta verſus ſe invicem explodunt, ſed equis inſidentes in campo flagellis ſe invicem concutiunt. Tab. No. 35 Typographiæ inventum demum ab anno 1560 in Moſcovia uſui eſſe cœpit. Diſſert. de Turcia p. 11. b. Sunt inter Turcas, qui, cum moriuntur, pecuniam certam canibus ſuis legant, qua ſuſtentari debeant. In ſpecimine Alcorani, quod exhibitum eſt, hoc quoque figmentum continetur, quod commenti ſint ejus autores, in paradiſo angelos dari, qui habeant 10060 ora, unumquodque os iterum 10060 linguas, quamlibet autem linguam ſingulis diebus Deum 10060 vicibus diſtinctis celebrare, idque 10060 diverſis rationibus. Hæc pauca nobis brevitatis ſtudioſis ſufficiant.

MENAGIANA,

hoc eſt,

ACUTA DICTA, ET OBSERVATIONES Criticæ, Hiſtoricæ, Morales, Litterariæ.

Tomus III & IV.

Amſtelodami, apud Petrum de Coup, 1716, 12.
Alph. 2 plag. ½.

NOn heri demum aut nudius tertius curioſitati eruditæ placuit, acute dicta clarorum virorum, jocoſa æque ac ſeria, ſingularibus complecti libellis. Ut enim taceamus, fuiſſe, qui convivales *Lutheri* ſermones exciperent collectosque publicarent; ut omittamus apophthegmata Philoſophorum alio-

Digitized by Google

aliorumque magnæ famæ hominum ab *Eraſmo* in unum congeſta volumen; longe antiquiori ævo C. Julius Cæſar, teſte Cicerone lib. IX ad Famil. Epiſt. 16, *Volumina* ἀποφθεγμάτων, ſive, ut Suetonius in Vita ejus Cap. 56 vocat, *dictorum collectaneorum* confecerat: Cæſareque antiquior Lynceus Samius, Theophraſti diſcipulus, Corydi, nobilis paraſiti, apophthegmata ſeparato libro comprehenſa vulgaverat, teſte Athenæo lib. VI p. 241, 245 & 248. Noſtra vero ætate ad nauſeam uſque eruditorum hujus generis libri prodierunt in publicum, & quidem eadem plerique inſcriptionis forma in ANA, licet haud paris omnes æſtimentur pretii. Cæterum talia inter ſcripta eminere viſa ſunt *Menagiana*, adeo ut Cl. *VVolfius*, qui de hujusmodi libellis ſingularem edidit diſſertationem. §. XIII judicet, *ex omnibus hujus generis ſcriptis nullum vel lectoribus majorem animi jucunditatem & ampliores doctrinæ acceſſiones, vel autori collectoribusque majorem laudem exiſtimationemque paraſſe.* Nosmet ipſi anno 1694 p. 155 primum *Menagianorum* Tomum recenſuimus. Nec ignoramus, alterum anno 1695 emiſſum eſſe. Duos hoſce tomos annotationibus illuſtrandi & errata ſubinde corrigendi conſilium ceperat Vir omnis elegantiæ peritiſſimus ſtudioſiſſimusque, *de la Monnoye*. Poſtea vero, quam rem aggreſſus eſt, conſtituit annotationibus illis nonnulla ſuis ex ſcriniis adjicere ad exemplum Menagianorum: ut adeo hic lectoribus non tam *Menagiana*, quam *Monnoyana*, ſiſtantur. Miſcellanea hæc joco-ſeria (liceat ita loqui,) quin eruditis ſe probatura ſint, nulli dubitamus, fidemque facile facient ſpecimina, quæ more noſtro lectoribus propinabimus.

Tomi III p. 7 & ſequentibus in carmen illud trochaicum, *Pervigilium Veneris* inſcriptum, quod primus publici juris fecit Lipſius *lib. 1 Electorum Cap. 5*, cujusque poſtrema eademque luculentiſſima editio Hagæ anno 1712 in 8 prodiit, exhibentur notæ Criticæ, eæque melioris notæ; adde & *p. 32. Pag. 38* relatum legimus, *Guarinum* Veronenſem ex Oriente reverſurum in Italiam capſas duas librorum, quorum exempla non erant, duabus navibus locaſſe: cum altera veniſſe, ſed demer-

demerſam alteram: quo audito, perditis tantis theſauris librorum, nocte una canum totum factum eſſe Guarinum præ dolore intolerabili. *Pag. 41 ſqq*, de familia Salmaſiana diſſeritur. *Pag. 62* refutantur Critici illi, qui *libro VI Æneidos* in deſcriptione campi Elyſii omiſſam eſſe Homeri mentionem, non mirantur magis, quam indignantur, ingratique animi vitium Virgilio objiciunt. Reſpondet autem Noſter, Virgilio peccandum fuiſſe in chronologiam, ſi Homerum voluiſſet loco memorato producere: eſſe enim ibi ſermonem de Poetis, ante excidium Trojæ florentibus. *Pag. 92* ſummæ & omnigenæ eruditionis laudes tribuuntur *Huetio*. *Pag. 112* narratur lepida hiſtoriola de Meibomio juniore. Is nimirum, cum in Itinerario quodam Italiæ hæc verba legiſſet: *Petronius Bononiæ integer aſſervatur, egoque ipſum meis oculis non ſine admiratione vidi:* ratus, indicari integrum opus Petronii Satyrici, curioſitate ſtimulante e veſtigio Bononiam petiit ad huncce theſaurum videndum & contemplandum. Sed eo delatus non ſine pudore intellexit, ſignificatum in illo libro fuiſſe corpus S. Petronii, quod Bononiæ aſſervatur integrum. *Pag. 118* Achillis Tatii ætas hactenus definitur, quod vixerit ante Julium Firmicum, quippe a quo laudatus ſit nominatim. *Pag. 165 ſqq*. Latini Latinii cenſura in *Palearium*, qui prænomen *Antonii* in *Aonium* mutarat, ſalſiſſime caſtigatur, additurque, eum anno 1566 Romæ ob hæreſin combuſtum eſſe, ſed non vivum, (quod cum aliis & nos anno 1696 pag. 45 tradidimus,) ſed prius ſtrangulatum. *Pag 212 ſqq*. contra Carmeliticæ hiſtoriæ Scriptores aſſeritur, Baptiſtam Mantuanum omnino natum eſſe ex matre illegitima. *Pag. 221* docetur, effigiem *Balii*, a Catharina du Cheſne æri inciſam, Pariſiis eſſe venalem, ſubjecto hoc diſticho:

Balius hic ille eſt, cujus dum ſcripta vigebunt,
Lis erit, oblectent erudiantne magis.

Additur, Monnoyum hujus Epigrammatis autorem eſſe. Qua occaſione Lectorem docemus, paſſim in hoc opere legi venuſtiſſima epigrammata ab eodem Autore haud dubie confecta:

ex quibus unum adhuc producemus, quod *pag. 377* legitur in famoſum quendam chirurgum, obſtetricis munere functum:

Quas bona pars hominum muliebri condit in antro,
Ex illo Clemens eruit unus opes.

Pag. 228 - 237 Joſephi Scaligeri Græca egigrammata ſub cenſuram vocantur, multorumque peccatorum rea peraguntur. Indicandum præ ceteris duximus, *p. 254-259* ex Codice MS. Bibliothecæ Vaticanæ fideliter deſcripta exhiberi duo loca anecdota, quæ propter obſcœnitatem omiſſa fuerunt in *Procopii Hiſtoria arcana*: exhiberi autem Græce pariter ac Latine, interpretationis Autore haud dubie *Monnoyo. Pag. 297 ſq.* de incommoda Salmaſii uxore lepida leguntur, pluraque de eadem lecturi ablegantur *p. 299* ad *Novam librorum rariorum* (non *variorum*, ut perperam impreſſum eſt) *Collectionem*, non *Magdeburgi*, uti legitur hoc loco, ſed *Halæ Magdeburgicæ*, hoc eſt, in vicina nobis & Academia celebri urbe, *Hala*, editam. *Pag. 366 ſqq.* contra Menagium demonſtratur, etiam priſcis Poetis nota & facta fuiſſe poemata *echo* referentia. *P. 450* indicatur, cur Georgius Valla ſtatuerit, *Muſæum*, Autorem poematis de Hero & Leandro, vixiſſe ævo Veſpaſiani & patriam habuiſſe Siciliam. *P. 502-559* exhibetur Claudii Caſparis Bacheti, Domini Meziriaci, tota Diſſertatio *de Translatione librorum ex una lingua in aliam.* Hic verſio Plutarchi Gallica ab Amioto facta rigidam, ſed doctam juſtamque, ſub cenſuram vocatur, oſtenditurque, peccatorum ibi plena eſſe omnia, ipſumque Amiotum fuiſſe hominem literarum valde mediocriter peritum. *Pag. 559-599*, quæ eadem ultima eſt hujus Tomi pagina, exhibetur Specimen verſionis Gallicæ epiſtolarum Politiani, adjunctis notis doctiſſimis.

Ex *altero Tomo* memorari dignum eſt epigramma, haud dubie Monnoyi, quod *pag. 7* exſtat in Paulum Sarpium:

Et genio & ſcriptis ingentem conſpice Paulum:
Hic etiam Petro reſtitit in faciem.

Pag.

Digitized by Google

Pag. 141 docetur, *Dn. le Bon* eſſe verum Autorem celeberrimæ illius Logicæ, quæ ſub titulo *Artis cogitandi* proſtat. *Pag.* 207 Monnoyus ſequenti epigrammate cauſam exponit, cur natura imberbes voluerit eſſe mulieres:

Quam bene proſpiciens generi natura loquaci
Cavit, ut imberbis femina quaque foret!
Nimirum linguam compeſcere neſcia, radi
Illæſis poſſet femina nulla genis.

Pag. 321 indicatur, in Eugenii, herois hac ætate ſummi, bibliotheca reperiri MS. rariſſimum, *Evangelium S. Barnabæ*, ex Arabico in Italicum ſermonem traductum: de quo multa afferuntur lectu digna. *Pag.* 374-418 epiſtola legitur, qua Monnoyus, librum *de tribus impoſtoribus* nunquam ſcriptum fuiſſe, oſtendit, & objectiones tam docte diluit, ut facile ſuam ſententiam probaturus ſit legentibus, niſi forte obſtent, quæ de hoc libro in Actis Anno 1709 p. 36 obſervavimus.

WILHELMI ERNESTI TENZELII SUPPLEmenta reliqua Hiſtoriæ Gothanæ ab Anno 1440 ad 1700, cum Præfatione ERN. SALOM. CYPRIANI.

Jenæ, apud Ioh. Fel. Bielckium, 1716, 4,
Alph. 3 plag. 13.

QUam Sagittarius, anno 1694 defunctus, (cujus Vitam, a Venerabili Abbate *Schmidio* deſcriptam, *Tom. V Supplem. Sect. XII pag.* 533 recenſuimus,) conſcribere cœperat *Hiſtoriam Gothanæ urbis*, eam diligenter ac feliciter pertexuit Tenzelius, cujus anno 1707 demortui Vitam, ſeparatim a Clarmundo deſcriptam editamque, *Decadi* ſuæ *ſecundæ Vitarum* p. 363 ſeqq. inſeruit Cl. *Rollius*. Ac Sagittarii quidem opus jam Anno 1700 p. 158, itemque Tenzelii *Supplementum primum*, *ſecundique partem primam* Anno 1701 pag. 162 & 433 recenſuimus. Nunc Tenzeliana, quæ ſupererant, prodeunt in lucem omnia, nempe Supplementi II ſectio II & III,

item Supplementum III & IV, obſtetricias adhibente manus Cel. & ſumme Rev. *Cypriano*: qui & Præfationem præmiſit, in qua & Catalogum manu Tenzelii ſcriptorum inque Ducali Bibliotheca Gothæ aſſervatorum monumentorum repræſentat, (ubi obiter notamus, pro opere *de Scriptoribus Eccleſ.* legendum eſſe *de Scriptricibus Eccl.*) & Operi Sagittario-Tenzeliano pauca quædam ſupplementa adjicit. Ceterum etſi facile intelligitur, quæ hic leguntur, pleraque Gothanæ urbi eſſe propria, docteque adeo a ceteris ignorari poſſe; omnino tamen intermixta ſunt, quibus publica quoque hiſtoria, tum civilis, tum eccleſiaſtica, tum literaria, illuſtrari queat. Sic Ducum Saxoniæ illorum, qui Gotham habuere ſedem, hiſtoria copioſe hic deſcripta legitur. Indulgentiarum quoque literæ ſubinde exhibentur. Hiſtoriæ My-
p. 897 ſeqq. conii, Menii, Sim. Muſæi, Strigelii, Stœſſelii, celebrium Theologorum, haud parum hic lucis affunditur. Autores annotationum in Biblia Erneſtina ſive Vinarienſia, quæ vocant, nominatim re-
810 - 835. cenſentur ex Actis Conſiſtorii Gothani. Hiſtoriæ turbarum Grumbachianarum non illuſtratur modo, ſed integer de iis exhi-
834 ſeqq. betur libellus *Huberti Langueti*. Thomæ *Reineſii*, ingenio & doctrina illuſtris viri, Gothæ anno 1587 patre ſartore nati, *Vita*
761 ſeqq. breviter enarratur. Legentibus quoque non mediocri voluptati erit egregia impoſtura, qua anno 1558 femina quædam Saxonico Duci, Joanni Friderico, perſuaſit, ſe eſſe Annam, Angliæ Reginam, natam Ducem Clivenſem, ab Henrico VIII repudiatam: de ſua morte rumorem propterea in vulgus editum eſſe, ut facilius carcere Londinenſi liberaretur: ex eo funibus elapſam navique impoſitam ſe aufugiſſe, theſauro viginti quinque tonnarum auri ablato. Subjungitur exitus hujus comœdiæ, ſimulque oſtenditur, hanc hiſtoriam occaſionem dediſſe *Thuano*, falſam proferendi relationem de meretrice, a Grumbachio eidem Principi adducta pro Eliſabetha, Angliæ Regina.

Ad *Supplementum tertium* ablegamus Lectorem, uberioris notitiæ cupidum de Henrico Frimarienſi, Scriptorum eccleſiaſticorum non poſtremo; item de *Joanne Stigelio*, Poeta eximio. In eodem leguntur ad Myconium epiſtolæ Lutheri, Melanchthonis, Menii, Crucigeri, Bugenhagii, Georgii Majoris, Mœrlini, aliorumque; ipſius quoque Myconii aliquot epi-
ſtolæ.

Digitized by Google

ſtolæ. *Quartum* idemque poſtremum *Supplementum* exhibet *S. Gothardi*, Abbatis Hersfeldenſis, tum Hildeſienſis Epiſcopi, urbis Gothæ adhuc Papææ Patroni, Vitam & Miracula, una cum Henſchenii, Papebrochii & Leibnitii annotationibus. Spes etiam ſupereſt, fore, ut Cl. *Reichartus*, Gymnaſii Gothani Profeſſor, ſingulari libro Vitas clarorum Gothanorum exponat: quemadmodum Catalogus codicum MSS. Bibliothecæ aulicæ jam publicatus eſt a Celeb. *Cypriano*, & celeberrimus quoque aulici Numophylacii præfectus, *Schlegelius*, aliquando prolaturus eſt ex hoc theſauro, quæ & erudire lectores & oblectare poſſint.

Hiſtoriſch-Genealogiſcher Bericht/ ꝛc.
ſive
MISCELLANEA GENTIS SCHAFFGOTSCHIÆ Hiſtorico-Genealogica, collecta a THEODORO KRAUSEN,

Striegoviæ, apud Jo. Gottfr. Weberum, impenſis Autoris, 1715, 4.
1 Alph. 10 plag. 4 Tabb. Geneal. 3 æn.

CUm illud ſit præcipue in cognitione rerum ſalubre ac frugiferum, Gentium Illuſtriſſimarum exempla, incitamenta virtutum, monumento intueri, ſumma induſtria eo incubuit Autor Cl. ut Schaffgottſchiæ Gentis fata atque facta præcipua, quoad in caligine iſta dubiorum Genealogico-Hiſtoricorum ipſi licuit, ob oculos poneret, conquiſitis undique, quæ ad illuſtranda iſta pertinere videbantur. Siſtit primo *Jo. Traller, Hirſchbergenſium Paſtoris, Stemmatographiam Schaffgotſchianam*, Germanico idiomate ſcriptam, Lipſiæ quondam 1611 ipſius Mauſoleo Schaffgotſchiano ſubnexam, nunc vero Editoris noſtri Notis auctam atque perpolitam. Iſte Nobiles de Schoff e Germania oriundos, uti ex nomine apparet, in Sileſiam, una cum S. Hedwige, Meraniæ & Carinthiæ Principe, Henrico Barbato Sileſiæ Duci nupta, fuiſſe delatos exiſtimat, contradicente tamen Curæo; atque arcem Kemnitz primum inſediſſe ſtatuit, licet antea jam plura ab ipſis poſſeſſa Noſter ſibi perſuadeat. Nec certiora ſunt, quæ de vetuſtis hujus Gentis Inſignibus tradit Tralleſius, quamvis veri ſit ſimillimum, initio

pag. 1. 7. 9. 11.

Digitized by Google

tantum ovem in iis fuiſſe conſpectam, cui a Gothardo, arce Kynaſt a Duce Boleslao Parvo ob virtutem bellicam donato, tæda
p 15. ſeu pinus fuit addita, quod hujus arborum generis terra eſſet feraciſſima. Aucti deinde terris Schoffii, omnia fere Gryphiberga
16. Sidnitium usque tenuerunt. Gothardus ille, cujus inter Heroas Sec. XIV nomen memorandum, primus cognomine Schaffgotſch uſus, quem agnatorum plurimi ſunt imitati; atque
18. idem Bulconis liberalitate Kynaſt & Schmidebergam arces, fluvium Iseram & famoſum montem Gigantum accepit. Mor-
dipl. p. 33. tuo Bulcone, Suidnitienſis & Jauravienſis Ducatuum hæreditatem ex tranſactione 1353 inita Carolus IV creverat. Hinc cum
20. 97. 99. Imperator Erfurtum, quorſum ob litem de ſede Moguntina motam ſe receperat Adolfus Comes Naſſovius, obſidione cinxiſſet, Gothardus noſter, (non Ulricus, uti vulgo perhibent) Domino recenti fidem probaturus, excurſu facto hoſtibus cladem miranda virtute intulit. Redeunti igitur atque collaudato Imperator manum propenſi favoris pignus offerebat, quo viſo Gothardus ſubito manum ſuam hoſtium cruore conſperſam in lorica albicante abſtergens, quatuor lineas rubicun-
32. das expreſſerat, quas Imperator impoſterum, ovi in *galeam* translata, ipſi Inſignis loco eſſe juſſit, eidemque arcem Greiffenſtein & civitates Greiffenberg & Frideberg donum addidit. Auxit etiam patrimonium Gierſchdorffio anno 1560 Hans Schaffgotſchius, matrimonio cum Magdalena Zedlizia contracto, & Adamus Schaffgotſchius, emta a Kurzbachiis anno 1592 Lib. Dynaſtia Trachenbergenſi, ut plura, quorum p. 42 mentionem fecit Autor, nunc brevitatis ergo taceamus, id ſolum notantes, terras ipſorum metallis, lignis, frumento & reliquis naturæ bonis eſſe uberrimas. Verum non Marte tantum, ſed Arte etiam celebritatem nominis conſecuti ſunt Schaffgotſchii, cum hæreditario jure diu tenuerint munia Judicis
47. Aulæ & Cancellarii in Jauravienſi & Suidnitienſi Ducatu, & alia
77. plura, ſumma cum laude geſſerint. Nec ſilenda Chriſtophori
104 107 51. virtus Udalrici eruditio, itinera Bernhardi, quæ levi penicillo adumbrata aliorum induſtriæ relinquit Cl. *Krauſius.* Quod Genealogiam attinet, equidem Gothardus Franciſcus

Schaff-

Digitized by Google

Schaffgotſchius, teſte Gryphio, opus conſignavit, quo Gentem
ſuam ex matre, Duciſſa Lignizii & Brigæ, cum omnibus Euro-
pæ Principibus cognatione junctam probaverat, ſed cum pa-
rum de opere iſto conſtare Noſtro videatur, Tralleſii ve-
ſtigia ſecutus ſiſtit in *Tabb. Geneal. No. 8* Genealogiam hanc
a Jo. Schoff ſec. 13 deductam, emendatam atque continuatam.
Sequuntur varia *Additamenta*; uti fundatio Præpoſituræ p. 97.
Warmbrunnenſis anno 1403 a Schaffgotſchiis facta, *Inſignia* 98.
Schaffgotſchiana ære expreſſa, *Georgii Schoenborneri*, & *Chri-* 118. 132.
ſtiani Gryphii Panegyrici, *Tabulæ Genealogicæ ad ſucceſſiones* 47.
& *lites gentis Illuſtriſſimæ explicandas*, quas inter eminent *Ta-*
bulæ 64 Majorum Schaffgotſchianorum ex Seifferti Opere Gene-
alogico petitæ; tandem *Diplomata*, unde videre eſt, Schaff-
gotſchios ab Auguſtis, præſertim autem a Rudolfo II Baronum
dignitatem, titulum Semper-Frey und Hochwohlgebohren 210.
a Ferdinando II, a Leopoldo titulum Illuſtris, haud addito 221.
Magnifici, atque a Joſepho Comitum dignitatem cum titulo 224.
Hochgebohren fuiſſe adeptos.

THE WISDOM OF LOOKING BACKWARD.

i. e.

PRUDENTIA RETROSPICIENDI.

Londini, apud Joh. Robertum, 1715, 8.
Alph. 1 plag. 3.

UT iſta, quæ proximis hiſce quatuor annis apud Britannos evenerunt, in compendio quaſi ob oculos poneret Anonymus Autor, ab omni partium ſtudio ſemotus, omnium factorum, orationum, ſcriptorumque, quæ a Rigidioribus eorumque Adverſariis fuere publicata, ordine Chronologico diſpoſitorum breve Schediaſma compoſuit, in duas columnas diviſum, quarum alteram alterutri partium vindicavit, integros ſcriptorum titulos adjecit, atque ex iisdem verba notatu digniora, vel præcipua ſaltem capita annotavit, ut de rebus hinc inde agitatis ſincerum judicium ferre queant Lectores. Inde quæ cir-

ca

p. 1. ca motus Sacheverellianos, mutationem Miniſtrorum, ſucceſ-
65. 74.161. ſionem in Regno Britannico, Exules Palatinos, numum a Du-
378. ciſſa Gordonia Advocatis Scotiæ dono miſſum, Tractatus Pa-
298. cis, Whiſtonum Arrianiſmi ſuſpectum, Uxorem quandam ve-
116. 134 neficii damnatam, Laicorum baptiſmum, quem invalidum &
144. 160. propterea iterandum dicebant Rigidiores, & plures Religio-
103.227. ſq. nis controverſias, expeditionem Ducis Ormondii, traditionem
235. Dunquercæ, inducias Anglos inter Gallosque, Hamiltonii &
244. 253. Mohunii certamen ſingulare, memoriam Wilhelmi III læ-
261. 315. ſam, mortem Ducis Metina Celi, cujus autorem nominat Pa-
306. tricium Lawleſs, natione Hibernum, religione Pontificium,
379. & obitum Annæ Reginæ, litibus perpetuis inter Comitem Oxo-
nienſem & Bullingbrockium nimium laſſatæ, ultro citroque fuerint tentata, paucis expedit. Sed iſta cum ſatis aliunde innotuerint, nec methodus tractationis ferat, ut ſpeciminis loco quædam proponendo, diutius illis inhæreamus, hoc ſolum monuiſſe ſufficiet, libellum huncce eſſe utiliſſimum iis, qui notitiam Scriptorum turbulentiſſimis iſtis temporibus, quibus Britannia fuit divexata, ab utraque parte editorum comparare ſibi velint.

ASTRO-THEOLOGY, OR A DEMONSTRATION of the Being and Attributes of God from a Survey of the Heavens.

hoc eſt,

THEOLOGIA ASTRONOMICA, SEU DEMONſtratio Exiſtentiæ & attributorum Dei a contemplatione cœlorum petita. Autore W. DERHAM, Rectore Upminſteri in Eſſexia & Regiæ Societatis Socio.

Londini, apud W. Innys, 1715, 8.

Plag. 20 Tab. æn. 3.

SCopus Cl. Autoris ex ipſo titulo manifeſtus. Populari nimirum diſcurſu recenſet, quæ recentius ab Aſtronomis de vero mundi ſyſtemate atque corporibus totalibus fuere detecta, ſimulque

mulus oſtendit, quænam ſapientiæ, quæ potentiæ, bonitatis aliorumq; attributorum divinorum veſtigia inde eluceant. Præmittit adeo diſcurſum præliminarem de mundi ſyſtematibus, ubi *Copernicanum* præfert *Tychonico*, quia 1 genio Naturæ via breviſſima ſemper agentis convenientius, 2 phænomenis rectius ſatisfacit, 3 nimiam in motu ſtellarum rapiditatem evitat, 4 motus planetarum proprii Solem, non Terram reſpiciunt, ipſo *Tychone* non diſſentiente, præſertim cum *Keplerus* repererit, quadrata temporum periodicorum eſſe ut cubos diſtantiarum a Sole, 5 motu vertiginis Telluris admiſſo, quo planetæ reliqui cientur, pulchre omnia conſentiunt in univerſo. Satisfacit deinde objectionibus, quas cum ex Scriptura ſacra tum ex Philoſophia vulgo proferunt. Omnibus autem Syſtematibus anteponit *Novum*, quod vocat, *Syſtema*, quod *Copernicanum* pro numero fixarum multiplicat, quia creatore maxime dignum ceteriſque Syſtematibus magnificentius. Probat inde, quod ſtellæ fixæ ſint totidem Soles, quemadmodum docuit *Brunus*, & quædam nunc apparentes, nunc iterum diſparentes planetæ circa eos lati. Candorem galaxiæ non a multiplici fixarum numero, ſed partim a lumine fixarum, partim a lumine planetarum circa eas latorum deducit, quod utrumque invicem permiſceri ſtatuit.

In ipſo opere ante omnia magnitudinem univerſi admiratur. Lib. 1. Computat ex obſervationibus recentioribus, cum veras diametros, tum ſoliditatem planetarum in milliaribus, qualium 7900 eſt diameter Telluris, aſſumens ſcilicet numeros medios inter *Flamſtadianos*, a *VVhiſtono* in Lectionibus Aſtronomicis publicatos, & *Hugenianos* in Syſtemate Saturnino atque Coſmotheoro. Definit porro planetarum diſtantias a Sole orbiumque, Lib. 2. quos circa eum deſcribunt, diametro, ſuppoſitis diſtantia Solis a Terra *Caſſiniana* 21600 ſemidiametrorum terreſtrium ex parallaxi $9\frac{1}{2}$ ſecundorum deducta & rationibus diſtantiarum Planetarum a Sole, quas ex motibus periodicis in Principiis Philoſophiæ Naturalis Mathematicis lib. 4 phæn. 4 eruit *Newtonus*. Fixarum vero a Sole diſtantiam methodo *Hugeniana* in Coſmotheoro pag. 137 conjicit. Progreditur ad numerum ſtellarum, ubi fixas probat totidem eſſe Soles, quia Sole noſtro non minores

& nativo lumine ſplendent, tum quia a Sole majori intervallo diſtant, quam ut ab eo illuminari poſſint, tum quia lumen eorum lumine planetarum fortius. Singulisque ſuos tribuit planetas, quos illuminant & calefaciunt, quia hic uſus excellentior, quam ſi tantummodo in globum noſtrum terraqueum influere ſupponerentur, qui ſane influxus tanto minus probabilis cenſetur, quanto major fixarum copia oculorum aciem fugit, tum quia hoc uſu admiſſo opera Naturæ ſibi mutuo magis reſpondent, Deumque infinitum maxime decent. Stellas novas in erronum numerum conjicit, tum quia nonnullæ locum mutant ſeu diſtantiam a fixis, quod ſibi obſervaſſe videtur, tum quia luminis notantur incrementa & decrementa, tum denique quia motu periodico gaudent, quo potiſſimum refert obſervationes *Kirchii* ex Miſcellaneis Berolinenſibus, quarum in Actis Anno 1711 pag. 7 facta eſt mentio. Expendit deinde
Lib. 3. convenientem ſtellarum ſitum, ita ut una in alteram incurrere nequeat, nec præter rationem una alteram obſcurare valeat. In ſpecie autem diſtantiarum Planetarum a Sole rationem, quam pro ſagacitate ſua *Keplerus* detexit, ſapientia divina dignam ju-
Lib. 4. dicat. De motu corporum cœleſtium dum agit, periodum fixarum 25920 annorum probat, quam *Ricciolus* obſervationum fide aſſignavit & *Flamſtædius* iisdem convenientem confirmavit. Miratur motuum cœleſtium regularitatem, e. gr. quod planetæ omnes moveantur ab occaſu verſus ortum & plana orbitarum ſub exiguis tantum angulis ad ſe invicem inclinentur. Motum vertiginis corporum cœleſtium more conſueto per obſervationes macularum ſtabilit, ubi inter alia citat epiſtolas MSC. *Gaſcoignii* & *Crabtrii*, in quibus de natura macularum diſceptatur, illo *Tardii* atque *Malapertii* exemplo in planetarum numerum eas referente. Statuit autem vertiginem Solis dierum 25, Jovis 3 h. 56' cum *Caſſino*, Martis 24 h. 40' cum *Hugenio*; in reliquis nihil determinat, ſed quænam commoda incolis inde proficiſcantur, exponit. Quemadmodum hinc præcipue viciſſitudo dierum atque noctium, ita a motu periodico viciſſitudo tempeſtatum pendet. Aſſentitur autem *Wolfio*, quod in actione radiorum Solarium, qua corpora calefacit, ratio ha-

habenda ſit & denſitatis, & ictus pro diverſa incidentiæ obliquitate variantis, quodque ea legibus Geometriæ ſubſit, quamvis memoriæ lapſu loco Diſſertationis de hieme Anno 1709. Elementa Aerometriæ eum in finem lectori commendet, una cum diſcurſu celeberrimi *Halleji* de proportionali calore Solis in omnibus latitudinibus, qui in his Actis Supplementorum Tom. II pag. 333 legitur. Dum de motu periodico Planetarum ſecundariorum agit, ex *Caſſini* obſervationibus latitudinem maximam Circumjovialium a polis Jovis definit in intimo $\frac{1}{3}$, in ſecundo $\frac{1}{4}$, in tertio $\frac{1}{4}$, in quarto $\frac{1}{3}$ ſemidiametri Jovis. Notat tamen, ſe ipſum in tertio evagationem multo majorem obſervaſſe: quo ipſo factum, ut eclipſes hujus ſatellitis brevioris fuerint durationis, quam per Tabulas *Caſſini* eſſe debebant. Lib. 5.
Circa figuram corporum cœleſtium notatu dignum ipſi videtur, quod ſphærica ſit omnibus communis. In ſpecie autem de montibus lunaribus atque terreſtribus diſſerit, ubi variorum montium altitudines commemorat. Huc etiam refert commodam partium in ſingulis globis diſtributionem, aquarum præſertim, terræ continentis & montium; uti aquarum in Luna & Jove exiſtentiam probat & ſphæricam figuram huic diſtributioni maxime convenire docet. Monſtrat uſum gravitatis in conſervanda figura ſphærica, in ſuperanda vi centrifuga ex motu vertiginis orta, in retinendis planetis in orbitis curvilineis. Lib. 6.
Modum computandi rationem inter gravitatem planetæ & vim centrifugam tradidit *Newtonus* lib. 3 prop. 8 & 19. Sed Noſter affert regulam ab *Hallejo* ipſi communicatam, quæ quidem ad eum caſum reſtringitur, ubi planeta primarius ſatellites habet, facilior tamen exiſtit. Ita nimirum habet: Ratio vis centrifugæ eſt ad gravitatem in ſuperficie planetæ in ratione compoſita ex ea, quam habet cubus ſemidiametri planetæ ad cubum diſtantiæ alicujus Satellitis ab ejus centro, & ex altera, quam habet quadratum temporis periodici ſatellitis ad quadratum temporis periodici planetæ. E. gr. Cum ſatellitis extimi Jovis diſtantia a centro Jovis ſit 253 ſemidiametrorum Jovis, periodus 24032 minutorum, revolutio Jovis 596 minutorum; reperietur gravitas in ſuperficie Jovis ad vim centrifugam ſub æquatore Lib. 7.

 toro

Digitized by Google

Lib. 7. tore ut 100 ad 996. Tandem lumen atque calorem contemplatur Cl. Autor, ubi mentionem injicit ſpeculorum cauſticorum *Villetanorum* & *Tſchirnhuſianorum*, quibus tamen præfert *Newtonianum*, quod ex ſeptem ſpeculis concavis (eſt autem diameter uniuscujusque 12 digitorum) ita compoſitum, ut omnium ſit idem focus communis, a Societate Regia aſſervatur. Ante plures annos idem conſilium agitaſſe R. P. *Heinrich* meminimus; ſed quid perfecerit, nobis non conſtat. Notat vero Noſter, eam eſſe planetarum a Sole diſtantiam, ut radiorum beneficorum copia ſufficiente foveri queant. Oſtendit etiam, quam neceſſarium ſit Planetis ac in ſpecie Telluri noſtræ lumen, & quodnam commodum Planetæ ſecundarii ſive Lunæ primariis ſive Lib. 8. Terris præſtent, diſquirit. Agit adeo cum de Luna, quæ Tellurem noſtram ambit, tum de Jovis atque Saturni ſatellitibus hujusque annulo. Quamvis autem ſingulorum librorum ſingulis capitibus adjecerit quasdam meditationes, quibus mens ab operibus creationis in Deum aſcendit, placuit tamen ipſi integro libro ultimo exiſtentiam Numinis atque præfatione ejusdem ſapientiam præſertim ac bonitatem ulterius inde confirmare. Immo ex eodem fonte noſtra erga Deum officia derivat.

NAVIGATION NEW MODELLD, OR A TREATISE of Geometrical, Trigonometrical, Arithmetical, inſtrumental and practical Navigation.

hoc eſt,

NAVIGATIO IN NOVAM FORMAM REDacta, ſive Tractatus de navigatione geometrica, trigonometrica, arithmetica, inſtrumentali & practica, Autore HENRICO WILSON, *Philo-Mathem.*

Londini, apud Eben. Tracey, Benjamin. Pickard & Wilhelm. Meadows, 1715, 8.


Alph. 1 plag. 12.

CL. Autor variis modis ſolvit problemata nautica, quæ apud Scriptores, qui de navigatione commentati ſunt, occur-

currere ſolent. Utitur itaque primum conſtructionibus geometricis triangulorum, quem in finem aliquot problemata Geometriæ elementaris de lineis perpendicularibus & parallelis præmittit ſimulque oſtendit, quomodo problematibus, quæ vulgo per Trigonometriam planam ſolvuntur, per triangulorum conſtructionem ſatisfiat. Mox eadem problemata nautica ope trigonometriæ planæ ſolvit & in hunc uſum triangulorum planorum doctrinam ſeu communia Trigonometriæ planæ præcepta præmittit. Monſtrat porro, quomodo iisdem ſatisfiat ope peculiarium Tabularum, quæ a p. 270 uſque ad p. 300 exhibentur, ita, ut nullo calculo opus ſit, ſed nuda inſpectio ſufficiat. Quoniam in calculo Trigonometrico, quem more recepto ad navigationem applicavit, opus eſt Canone Sinuum, Tangentium, Secantium atque Logarithmorum, qui non ſine aliqua moleſtia per maria circumfertur; ideo alium adhuc calculum tradit, qui Canone iſto non habet opus ſed paucis tantummodo numeris in exiguam Tabellam puro redactis, quorum ope per multiplicationem vel diviſionem quodvis problema facile ſolvitur. Et hanc navigationis ſpeciem *Arithmeticam* appellat. Quodſi calculus moleſtus fuerit, problemata nautica reſolvere quoque docet ope circini & ſcalæ geometricæ peculiaris in hunc uſum conſtructæ, quam ab inventore *Gunteri* ſcalam appellat. Poſtquam adeo expoſuit, quæ ab aliis Autoribus in uſum navigationis communiter tradi ſolent, novam tandem ſubjicit methodum, quæ libri conſcribendi occaſio fuit. Conſiſtit autem in eo, ut problemata Trigonometriæ planæ ſine Tabulis ac inſtrumentis ſolvantur. Quorundam ſolutio pendet a theoremate Pythagorico, nec nova eſt, ſcilicet quando in triangulo rectangulo datis cruribus invenitur hypothenuſa, vel data hypothenuſa cum crure uno crus alterum; in priori enim caſu ex ſumma quadratorum crurum, in poſteriori ex facto ſummæ ex hypothenuſa atque crure in differentiam eorundem radix quadrata extrahitur. Sed artis erat, ex datis lateribus in triangulo rectangulo invenire angulos obliquos & ex dato angulo uno & latere oppoſito invenire latus aliud. In caſu priori hanc regulam præſcribit: *Ut aggregatum ex hypothenuſa & cruris ma-*

c. 2.
c. 3.
c. 4.
c. 5.
c. 6.

joris dimidio ad 86, ita crus minus ad angulum ipſi oppoſitum. In poſteriori ſic argumentatur: *Ut radius naturalis ad hypothenuſam, ita angulus ad latus eidem oppoſitum.* Vocat enim *radium naturalem* numerum, qui ad hypothenuſam in triangulo dato eam rationem habet, quam angulus unus ex obliquis ad latus oppoſitum eumque ſic invenire jubet. *Quadruplum quadrati complementi anguli dati ad rectum dividatur per aggregatum ex hujus complementi triplo atque 300: quotus addatur angulo dato.* Quod ſi angulus fuerit minor quam 45 graduum, compendii gratia alteram hanc regulam commendat: *Triplum quadrati anguli cujus oppoſitum datur latus, dividatur per 1000 & quoto addatur* $57\frac{3}{10}$. E. gr. Sit in triangulo rectangulo



A B C hypothenuſa A C 2'4, angulus C 3°6: *radius naturalis ita reperitur.* Quadratum anguli dati 1296 multiplicatur per 3 & factum 3888 dividitur per 1000, quotus erit $3\frac{888}{1000}$ ſeu $3\frac{9}{10}$: cui ſi addatur $57\frac{3}{10}$, prodibit radius naturalis $61\frac{2}{10}$ ſeu 61. Inferatur: ut 61 ad 24 ita 36 ad crus A B, quod adeo per regulam trium reperitur $14\frac{1}{10}$ ſeu 1'4 1'', quantum etiam calculus Trigonometricus communis producit. De-

c. 7. monſtrationes Autor omittit. Eandem methodum ſi ad triangula obliquangula transferre volueris, in omni caſu in duo rectangula reſolvi debent. Poſtquam tot diverſis methodis problemata nautica ſolvere docuit Noſter, ad praxin navigationis deſcendit: ubi primum proponit methodum variationem acus magneticæ ſine azimutho Solis ſeu amplitudine ejus vel ortiva, vel occidua inveniendi: quæ coincidit cum ea, quam pro invenienda linea meridiana commendant Aſtronomi, ſcilicet ut

ut ante & poſt meridiem obſervetur, in quanam plaga pyxidis in eadem altitudine conſtituatur, ſpatiumque inter binas obſervationes intermedium bifariam ſecetur. Quamvis enim navis in eodem ſpatio quieta non perſiſtat, qui tamen ex ejus motu oritur error, in præſenti negotio, Noſtro judice, non attendi meretur. Deinde, ut æſtimatio itineris exacta fieri poſſit, unde longitudo maris elicienda, docet, quomodo clepſydra fieri debeat, quæ temporis ſcrupulum unum indicet & quomodo funiculus per nodos diſtinguendus, quo itineris quantitas exploratur. Oſtendit præterea modum conficiendi mappam planam, tum etiam reductam *Mercatoris*, (cujus tamen inventionem Noſter *Eduardo Wright* Anglo tribuit, citans ejus de correctione errorum in navigatione librum.) Declarat modum obſervandi latitudinem loci, ad quem navis pervenit, & computandi tempus affluxus maris, aliaque huc ſpectantia tradit. Ultimo tandem capite orthographicam ſphæræ projectionem explanat, quæ vulgo *Analemma* vocatur, & quomodo ejus ope problemata primi mobilis ſine calculo Trigonometrico ſolvantur, monſtrat. Sequuntur Tabulæ in uſum Nautarum, quarum jam ſupra facta eſt mentio, una cum appendice, quæ quæſtiones varias, jucundas pariter atque utiles, ad rem nauticam apprime ſpectantes enodat. Ultimo inter eas loco comparet quæſtio de invenienda longitudine maris: quem in finem commendat horologium exactum, ſed ita ut tempus, quod indicat, quotidie ope æquationis temporis corrigat. Quod enim hactenus credatur, horologiorum motum motu navis turbari, id inde eſſe arbitratur, quod temporis æquatio negligatur. Hujus æquationis indolem & cauſas explorat, utque facile reperiatur quovis anni die, Tabulam condidit, quam pag. 370 & 371. exhibet. Sub finem Canon Logarithmorum & Sinuum, Tangentium atque Secantium cum naturalium, tum artificialium extat. Id ſingulare habet præ aliis editionibus, quod etiam Logarithmi Secantium in eo contineantur.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆLECTIONES POETICÆ IN SCHOLA Naturalis Philoſophiæ Oxonii habitæ ; Autore IOSEPHO TRAPP , A. M. Prælectore Publico Lecturæ Poeticæ, a Viro Inſigniſſimo D. HENRICO BIRKHEAD, Colleg. Omnium Animarum olim ſocio , in Celeberrima Univerſitate Oxonienſi nuper fundatæ.

Volumen II.

Oxonii , e Theatro Sheldoniano , impenſis Henr. Clements Bibl. Londin. 1715, 8.

Plag. 10.

ALterum hic Prælectionum ſuarum Poeticarum (primum in Actis Menſe Decembri Anno MDCCXIII recenſuimus,) Volumen Clariſſ. Autor publicæ exponit luci; eandem, quam in præcedenti, obſervans ſcribendi rationem, eandemque ſeriem , & methodum cogitandi. In quo quidem opere nihil eorum prætermiſit, quæ diu atque impenſe cogitanti adnotatu digna videbantur. De cetero autem brevitati, quantum fieri potuit , operam navans, multa quæ in mentem venerunt, rejecit; quæ ſcilicet inutilia , inamœna , & ſupervacanea judicavit , Lectori faſtidium potius factura , quam voluptatem. Multa etiam , quæ in ſe pulchra licet ac laudabilia, jam ſatis nota ab aliis diſcutiuntur. . Nihilo ſecius ultro fatetur, ſæpenumero ſe fuiſſe miratum, quo pacto tot argumenta , tam variam materiæ copiam , tam paucis complecti paginis potuerit. Id quod tamen neminem vitio ſibi verſurum confidit; quippe cum brevitas in ſe ſpectata neutiquam vituperanda ſit: ſi modo argumento propoſito faciamus ſatis , & obſcuritatem evitemus.

Prælectione Octava, Nona , Decima , atque Undecima , quæ in fronte ſecundi hujus Voluminis conſpiciuntur. de conceptuum venuſtate ſive elegantia & ſublimitate , id eſt, de pulchre cogitandi ratione verba facere inſtituit; natura & indole

dole Styli Poetici, artisve pulchre ſcribendi Volumine præcedenti expoſita. Ubi initio quidem de accurata *ingenii* (qua voce hic *illud, quod ingenioſe concipitur*, denotat) definitione ſolicitus, rejecta aliorum, qui perfecte definiri *ingenioſe conceptum* non poſſe, aperte declarant, ac ſpeciatim *Couleji*, qui ingenium non aliter quam negativis definiendum eſſe, diſerte aſſerit, ſententia; *ingenium* ambitu latiſſimo ſumtum dicit
eſſe *Conceptum ita ad naturæ & rectæ rationis normam effor-* pag. 3.
matum, ita lucide, acute, vivide, vel magnifice animo impreſſum, ut voluptatem vel admirationem eliciat. Cujus definitionis ſingula dum evolvit momenta, multa uſu non caritura ſubinde inſpergit, agens e. g. de diſcrimine veri falſique ingenii; quorum illud iis demum tribuit, quibus hæcce Horatiana oraculi loco habentur:

Scribendi recte ſapere eſt & principium & fons;

quantumque falſitates, ex ingenio falſo profluentes, a fictionibus, verum ingenium non excludentibus, diſtinguantur, erudite oſtendit. Quibus nonnulla falſi ingenii, (quo nomine Noſtro cogitationes rerum veritati, naturæ & rationi non congruentes veniunt) ſpecimina ſubjungit, quorum unum atque alterum hic
allegaſſe juvabit. Ridet nimirum Autor ejus inſaniam, qui 5.
Pyrami & Thisbes fatum miſere decantans, enſem dicit infelicis amatoris cruore tinctum, tanquam culpæ ſuæ conſcium erubuiſſe. Qua occaſione neotericorum atque antiquiorum varias ineptias, tenuesque facetias, quæ fictis Numinum Ethnicorum nominibus & adjunctis originem debent, quæque e. g. de puellarum oculis effunduntur, perſtringit. Inter falſi ingenii ſpecimina illud etiam Senecæ in Troade refert, quo Hecubam dolentem, quod Trojæ excidio Priami jaceret inhumatum cadaver, ita luctum ſuum exprimentem facit:

Ille tot Regum parens
Caret ſepulchro Priamus, & flamma indiget 6.
Ardente Troja.

nimis frigide in materia tam grandi & ſublimi verſatum eſſe Senecam ratus. Veri e contrario ingenii documentum eſſe eam hujus materiæ deſcriptionem, quam Virgilius exhibet:

 Hæc

Digitized by Google

Hæc finis Priami fatorum, hic exitus illum
p. 7. *Sorte tulit; Trojam incenſam & prolapſa videntem*
Pergama, tot quondam populis, terrisque ſuperbum
Regnatorem Aſiæ; jacet ingens littore truncus
Avulſumque humeris caput, & ſine nomine corpus.

Unde colligit, quædam extare carmina, non merito, ſed ſuf-
9. fragiis ſolummodo & famæ populari omne ſuum, quod re-
vera nullum eſt, pretium debentia; quo celeberimum iſtud
Sanazarii in urbem Venetiarum Epigramma refert, cujus quam
exiguum ſit artificium, Autor noſter luculenter oſtendit. Cete-
rum *primam ac principem ingenii ſpeciem* eam eſſe exiſtimat, quæ
10. *ſine fictionum Poeticarum ſubſidio ipſi rerum veritati penitus*
innititur; licet fictiones poeticas, conceptibus veris & eleganti-
bus accedentes, laude ſua non defraudandas putet. Hiſce ta-
14. men aliquod ſaltem veri fundamentum ſubſternendum, ne-
que fas eſſe, ut fictio fictioni ſuperſtructa innitatur. Hoc autem
eos facere, qui de Diis Græcis & Romanis, ceterisque fabu-
lis antiquis tot & tam bella venditent figmenta. Iſti ſolum-
modo uſui hodie inſervire debere exauctorata Ethnicorum nu-
mina, ut comparationibus interdum aliisve alluſionibus mate-
riam ſuppeditent. Imprimis operam venuſtati eſſe dandam,
18. quæ in *duas ſpecies* diſpertienda Autori Clariſſ. videtur: com-
plecti ſcil. illam & *τὸ elegans* & *τὸ ſublime*. Sæpiſſime enim e-
legans eſſe, quod ſublime nullo modo dicendum ſit, nec omne
ſublime elegans eſſe, licet pulchrum eſſe, quod ſublime, non
inficias eat. *Enthuſiaſmi* deinceps *Poetici* indolem variis ex Vir-
19. gilio petitis exemplis illuſtrat, hincque propullulanti affectuum
nativæ & accuratæ expreſſioni atque commotioni aliquantisper
immoratur. Quo nomine felicem *Ovidii* indolem prædicat,
21. qui paſſionum conflictus ac naturam ipſam eleganter expreſſe-
rit, quamvis ſublimitas ei plerumque deſit. Hæc conjunxiſſe *Vir-*
22. *gilium*, atque idcirco cum omni bene ſcribendi genere tum af-
fectibus præcipue deſcribendis & commovendis cunctos facile
26. ſuperare aſſerit; id quod nonnullis in medium prolatis exem-
plis, præſertim ex Libro quarto Æneidos luculenter probat.
32. Ejusdem Autoris illud etiam miratur artificium, quo res in-
ter-

Digitized by Google

terdum ex parte tantum exprimit, quorſum ſpeciminis loco inter alia *αὐτοχειρίας* Didonis deſcriptionem refert, hunc in modum exhibitam:

> *Dixerat, atque illam medio inter talia ferro*
> *Collapſam aſpiciunt comites, enſemque cruore*
> *Spumantem ſparſaſque manu.*

Ad *tranſitiones* Noſter dum calamum convertit, Virgiliani p. 34.
itidem extollit ingenii felicitatem; artis eſſe non mediocris, a factis ad facta in narrationibus eleganter tranſire, aſſerens; multaque eſſe ſpecimina in *Naſonis Metamorphoſeon* Libris, 37.
ratione operis id exigente, quorum partim *concinna*, partim dura & *coacta*, imo vel *ridicula* inveniantur. In *comparationibus* concinnandis noſtri temporis Scriptores antiquos longe 38.
antecellere Noſtro videntur; niſi quando nimium ingenii ſui luſibus illi indulgeant, taliaque aſſerant ſimilia, quæ a re propoſita longo excurſu evagentur. Cujus generis nonnulla ab 40.
Homero & ex recentioribus Miltono adhibita, laudari non poſſe, imo nec defendi exiſtimat. Deinceps, quid *de conceptibus delicatis & fortibus* ſibi videatur, exponit; illorum nomine intelligens ejusmodi conceptus, qui non ſint acuti, ſed concini & exquiſitiſſimo artificio contexti; nec mentem ſubita admiratione feriunt, ſed æquabili voluptate tardius permulcent. Laudat ex hoc capite illud Phædræ apud Ovidium, juvenem perdite amatum ſuaviſſimis verſibus Epiſtolæ initio ita aggredientis: 43.

> *Quæ niſi tu dederis, caritura eſt, ipſa ſalutem*
> *Mittit Amazonio Creſſa puella viro.*

Mirifica etiam voluptate Autorem Clariſſ. perfundunt illa Helenæ apud eundem verba:

> *Diſce meo exemplo formoſis poſſe carere.*

Fortes conceptus Noſtro ſunt, qui, licet nec acuti ſint, nec improviſi, nec delicati, ſolidi ſunt tamen, rebus pleni, magno cum pondere breviter expreſſi, & in mentem penitiſſimam adacti. Quorſum pertinet illud Virgilii: 45.

Digitized by Google

Diſce, Puer, virtutem ex me, verumque laborem,
Fortunam ex aliis.

Errantque de ſententia Autoris, qui *grave & ſeverum, id eſt,*
p. 49. *conceptus fortes cum ingenioſo ſtare non poſſe* exiſtimant. Circa
doctrinam *de ſublimitate* ex Longino quæſtionem, qua de
cauſa iſthæc mentes tam vehementer afficiat, atque delectet,
52. diſcutit; deque objecto ejus disquirens falli eos obſervat, qui
ſublimitatem exultationi, triumphis & magnificis deſcriptionibus
præſertim, etſi non unice, convenire exiſtiment, cum revera
nihil ſæpe ſit ſublimius iis conceptibus; qui miſericordiam
& terrorem incutiant. Cujus obſervationis veritatem exemplis
Virgilianis, brevitatis ſtudio hic quidem prætermittendis,
comprobat.

55. Prælectione Duodecima doctrinam de *Epigrammate*,
aliiſque levioris Poeticæ ſpeciebus complectitur Autor, de cujus
origine obſervat, conſueſſe antiquos ſtatuis Deorum atque
56. Heroum inſcriptiones quaſdam breves inſculpere, quæ Ἐπιγραφαὶ
& Ἐπιγράμματα ſint nominata. Hinc factos eſſe in iſtas
Inſcriptiones tanquam *lemmata* ſive argumenta & breves quosdam
luſus Poeticos, qui & ipſi demum *Epigrammata* dicti fuerint.
Progrediente tempore alia iſtius generis poemata in quamlibet
materiam conſcripta, Epigrammata tandem nuncupata
eſſe propter eorum naturam, iis affinem, quibus iſtud nomen
primitus imponebatur. Ex variis Epigrammatum ſpeciebus
præcipuam atque optimam eſſe putat Noſter *Satyricam*,
57. cum in *acumine* præſertim conſiſtat *ingenium Epigrammatis*;
Acutum autem ſit ſemper, quod ſatyricum. De natura
Epigrammatis agens, hanc imprimis Regulam monet eſſe
obſervandam: *ſi ultimum carmen ſit languidum, obtuſum, vel
ullo modo vitioſum, damnandum eſſe integrum Epigramma,
ſint reliqua omnia quantumvis venuſta. Brevitatis* in-
60. ſuper ſtudium Epigrammata ſcripturis commendat; cum opti-
63. ma forſan ſint, quæ *verſum octavum* non excedant, nimis autem
brevia nunquam illa eſſe poſſint.

Elegiarum, quæ Prælectionis Decimæ Tertiæ argumentum
conſtituunt, naturam pauci fuſe tractandam ſuſcaperunt.

Bre-

Brevibus mentionem ejus faciunt *Scaliger*, aliique. Sed nemo eſt, ſi Voſſium excipiamus, melioris famæ ſcriptorum, qui de hac Poetices ſpecie juſtam diſſertationem adornaverit. Noſter pro inſtituti ratione de *inventore* hujus carminum generis hoſce Horatii allegat verſus: 66.

Quis tamen exiguos elegos emiſerit autor
Grammatici certant, & adhuc ſub judice lis eſt.

Elegiam ipſam definit *carmen eſſe lugubre mortem deflens vita recens functi*, a potiori ſcil. deſumta ejus deſcriptione; cum ceteroquin conſtet, *læta etiam imo vel exultantia elegiis depingi.* Quale eſt illud Ovidii:

Ite triumphales circum mea tempora lauri.

De *Etymologia* vocis hujus, rejecta eorum, qui ab εὖ λέγειν, quia, 69.
quorum mortem lugemus, eos laudibus & elegiis plerumque honeſtemus, nomen elegiæ derivant, ſententia, obſervat, vel ab ἔλεος vel rectius ab ἒ particula dolentis, & λέγειν originem trahere iſtud vocabulum. Certe *funeribus* antiquiſſime & a prima ejus origine adhibitum fuiſſe hoc poematis genus. Poſtea vero alia, eaque longe diverſiſſimi generis argumenta huc fuiſſe reducta, quod hiſce Horatii de Arte Poetica verbis illuſtrat;

Verſibus impariter junctis querimonia primum, 8.
Poſt etiam incluſa eſt voti ſententia compos.

De *Scriptoribus Elegiacis* ubi tractationem inſtituit, *intolerabile ac vix ignoſcendum eſſe Ovidii crimen* exiſtimat *perpetuam & faſtidioſiſſimam repetitionem vocum, mei, tui & ſui, ultimo pede carminum pentametrorum*, quorum vel ſexta pars ad minimum languidis iſtis pronominibus terminetur. Atque ex hoc capite Tibullum Propertiumque Ovidio anteferendos cenſet, licet illi alio vitio, Ovidio minus famililiari, laborent: *Verſum ſcil. pentametrum verbis trium vel plurium ſyllabarum finiendo.* 74.

Circa *Poema Paſtorale* ſeu Bucolicum, quod Veterum nemo, Recentiorum pauci ex profeſſo diſcutiendum ſuſceperunt, Prælectio Decima Quarta verſatur. Originem iſtius ad tempora a noſtris remotiſſima Autor Clariſſ. refert. Ante urbes ſcil. conditas & elaboratiores vivendi artes inventas cum non 76.

 ſe-

Digitized by Google

ſolum rure, ſed caſulis potius quam domibus uterentur, atque
oves, aliaque pecora indiſcrete paſcerent viri & fœminæ, amori
hinc præcipue atque carminibus materiem eſſe natam. Op-
pidis deinde extructis, in maximo honore habitos fuiſſe Agri-
78. colas & Paſtores, quippe cum vel ipſi Principes rebus ruſticis
operam impenderint, uti ex Hiſtoria Sacra conſtet, ipſiusque
Ethnicorum ſcriptis. Exempli loco Virgilii referuntur verba:

Nec te pœniteat pecoris, divine Poeta:
Et formoſus oves ad flumina pavit Adonis.

Nihilo ſecius a *Scaligero*, hanc carminum ſpeciem eſſe antiquiſſi-
mam, affirmante, Noſter diſſentit, nec eorum adſtipulatur ſen-
tentiæ, qui Virgilium redarguunt, quod Philoſophiam interdum,
79. imo & ſublimitatem, Bucolicis his interſperſerit. Cum enim ex
antiquis paſtoribus multi melioris, nonnulli ſupremæ condi-
tionis extiterint, mirum nemini debere videri, fuiſſe ex illis
quosdam doctos & Philoſophos. Neque etiam alienum eſſe a
paſtoribus, rerum nonnunquam bellicarum mentionem face-
re. Quo nomine male nonnullis audientem Virgilium purgat,
80. unico hocce Eclogæ Decimæ loco excepto:

Nunc inſanus amor duri me Martis in armis
Tela inter media atque adverſos detinet hoſtes.

quamvis hic perſona loquens miles inducatur, qui rebus bellicis
ex inſtituto quaſi verſatur. Circa finem hujus Prælectionis quæ-
ſtionem diſcutit Autor Clariſſ. *unde oriatur delectatio miri-*
86. *fica cum hoc Poeſeos genere conjuncta*? eamque amœniſſimis
ruralium ſcenarum deſcriptionibus deberi exiſtimat. Tan-
demque collatis inter ſe Virgilio & Theocrito, conceſſaque
88. illi palma, quatenus noſtræ ætatis ſcriptoribus hocce poematis
89. genus conveniat, diſquirit.

De *Poemate Didactico* ſeu *Præceptivo*, cujus ex-
91 plicatio Prælectionem Decimam Quintam occupat, Autor
Clariſſ. obſervat, ne unum quidem hac in materia ſcripto-
rem ſe unquam vidiſſe, præter elegantiſſimum Autorem
Tentaminis in Georgica Virgilii, Drydenianæ eorum Verſioni
præmiſſi & lingua Anglica exarati. Aptiſſimum porro eſſe
Poeſeos ingenium præceptis concinnandis, quæ verſibus invo-
luta

lu a, & animo jucundius ingerantur, & memoriæ felicius mandentur. *Didacticorum Poematum* quatuor conſtituit genera, ea nimirum, quæ ad mores; ad Philoſphiam Naturalem; ad vitæ humanæ negotia & oblectamenta; ad ipſam denique Poeſin, ſive artem Poeticam ſpectant; ac primum quidem genus, præter carminum menſuras, nihil habere Poetici affirmat, præterquam quod vita ad virtutis normam exacta optimum referat atque elegantiſſimum poema. Rerum vero naturalium indagatione nihil magis nitere in carmine; quo ſcribendi genere inſtar omnium ſit *Lucretius*, ſuis tamen non carens nævis. Imprimis vitio illi vertitur, quod Creatorem adeo non celebret, ut e medio tollat, quod in verſificando plerumque aſper ſit, & durus, licet hocce poſterius ſeculi potius vitio (cum Ennium inter & Virgilium medius floruerit) quam argumenti, quod tractandum ſuſcepit, tribuendum ſit: denique quod in digreſſiones fabuloſas & figmenta Poetica nunquam excurrat. Noſtrum porro hocce genus temporibus longe felicius procedere potuiſſe experimentorum ſubſidio, ſi eadem ætas, quæ inter Anglos Boylæum tulit & Newtonum, tuliſſet etiam Virgilium, Autor putat.

p. 92. 94. 95.

Sed *Georgicorum Scriptores* Neotericos nullos extare, præter *Rapinum* de hortis, & Autorem Poematis de *vino Ariconiano*. De oblectaminibus vitæ ruſticæ, venatione &c. tantum quædam tentamina a recentioribus nonnullis fuiſſe compoſita. Ex antiquis unicum extare *Gratium*, de cujus Cynegetico Noſter judicat, fortunæ potius quam naturæ vel artis beneficio multum Gratium debere. Scilicet, quod vixerit Auguſti temporibus, & quod dixerit Ovidius: 96.

Aptaque venanti Gratius arma dabit.

Sub finem hujus Prælectionis Autor Clariſſ. argumentorum huc ſpectantium amplam ſatis ſylvam ſuppeditat; ad quæ expolienda artis Poeticæ peritos iſto Virgiliano ſtimulat: 104.

Tentanda via eſt, qua me quoque poſſim
Tollere humo, victorque virum volitare per ora.

Originem *Poeſeos Lyricæ*, de qua Prælectione Decima ſexta agitur, ad antiquiſſima ſecula Autor Clariſſ. refert, cum nul-

lum

lum ſit dubium, quin inſtrumentis Muſicæ a Jubale inventis car-
mina fuerint adjuncta. Ab Autore enim Judæo antiquitate
venerabili, eosdem, qui Muſicam primi excogitaverunt, verſus
etiam in ſcriptis recitaſſe, nos edoceri: et, ſi internos motus
mentis humanæ attendamus, ab ipſa rerum natura veriſimil-
limum videri, *Poeticam gaudium eliciendo, & res vel perſonas*
107 *celebrando, primo erupiſſe, atque adeo Muſicæ fuiſſe conjun-
ctam*, id quod vel ex celeberrimo *Moſis cantico ſive ode, qua ni-
hil antiquius extat Poeticum*, conſtet. Quantum ad indolem
carminis Lyrici, *dictio* illi eſt penitus *peculiaris*, *conceptus* ſunt
audaciſſimi, *ἐνθουσιαστικώτατοι* & a vulgaribus cogitatis remo-
tiſſimi. Sunt etiam Lyrica laxa, libera; tranſitiones af-
fectant, quæ nulla arte fieri videntur, ſententiarum nexus &
copulas negligere amant. Exclamationibus gaudent, & fre-
quenti Muſarum invocatione modo abrupto atque improviſo
Poema incipiunt ac finiunt, aliaque hujus generis. Qua tamen
licentia non obſtante, omnium eſſe difficillimum hoc carmen
110. aſſerit Noſter, quia *ingenii flamma paucis conceſſa, atque fulgore,
ſpiritu, ſublimitate atque elegantia, ad inſolitos ejus conceptus
eliciendos opus ſit*, ac præter *ingenii vim judicium* etiam *caſti-
gatiſſimum requiratur.* Ex *digreſſionibus* in Lyrico carmine
111. locum invenientibus eæ maxime laudabiles Autori videntur, quæ
*arrepta occaſione ab adjuncto aliquo vel circumſtantia rei propo-
ſitæ ad aliam tranſeunt*, non tamen a principe materia prorſus
alienam; qua aliquantisper ludunt, deinde arrepta ſimiliter ab
aliquo illius adjuncto occaſione ad primum inſtitutum ex ino-
pinato revertuntur.

Argumenta *Odis* tractanda quod attinet, hiſce Horatii
verſibus ea complectitur:

115. *Muſa dedit fidibus divos, pueroſque Deorum,*
Et pugilem victorem, & equum certamine primum,
Et Juvenum curas, & libera vina referre.

De cetero non minus ad *ſublimia*, quam *leviora & humiliora*
119. compoſitam eſſe *Odam* docet, idque Horatii quibusdam exem-
plis demonſtrat. Quantum ad *recentiores Odarum ſcriptores*,
nullum eſſe ſcribendi genus, quo ab Antiquis magis ſuperentur,
No-

Noſter cenſet. *Caſimirium*, ſæpe *felicem* ſæpius tamen *durum & inaniter grandiloquum*; *Hamneſio id unum deeſſe, quo minus Horatio ſoli ſecundus poſteris traderetur, quod plura non ſcripſerit*. Quæ autem Lyrica Neoterici linguis vernaculis componant, Odarum veterum ingenium atque elegantiam neutiquam aſſequi. p. 121.

Satirarum, quas Prælectione Decima Septima & Octava Autor tractat, originem multi non a *Græcorum Poeſi ſatirica* derivant, ſed prorſus *Romanas* eſſe contendunt, ideoque vocem ſatira litera *i*, non *y* ſcribendam volunt; atque etymon illius non eſſe *ſatyrus*, ſed *ſatur*, ut ſit Satira, quaſi *Satura*, ſicut Maximus, quod olim Maxumus. Significare autem *ſatur* idem ajunt, quod varia materie repletus, ut Lanx ſatura, i. e. *omne genus frugibus & obſoniis referta*. Synonymum vocis iſtius eſſe *miſcellaneus aut varius*, quia *Satira ſit argumenti miſcellanei, res multas & diverſas complectens*. Noſter veriſimilem potius quam prorſus veram iſtam eſſe opinionem cenſet; nec ullam ſatis conſtare cauſam, quo minus Satyrus potius quam Satur huic originem voci dederit; cum nonnulla Horatii, Juvenalis & Perſii a *Satyrorum* moribus & conſuetudine deſumi videantur. Hanc igitur litem in medio potius relinquendam, quam fidenter dirimendam eſſe. Nec tantum inter Poeſin ſatyricam Græcorum & Romanam diſcriminis intercedere, quantum nonnulli arbitrentur. *Laſcivam* enim fuiſſe, *ridiculam, mordacem*, hominum vitia carpentem riſumque populo ſcommatibus cientem, *ſatiram Græcorum*. Hec aliter *Romanam* ſe habuiſſe. Quantum ad *naturam ſatiræ*, duplicem Noſter ſtatuit ejus ſpeciem, *jocoſam & ſeriam*, illam *Horatio*, hanc *Juvenali* tribuit, quam contra Voſſium præſtantiorem Noſter judicat. *Stylum* etiam ſatyricum non excludere *ornatum*, contra eundem, idque iisdem Horatii, quæ Voſſius pro ſua ſententia allegarat, verbis demonſtrat. Nec ſui temporis tantum vitia, ſed præteriti etiam ſeculi, idque tam generatim, quam ſpeciatim ſatiris reprehendi atque perſtringi poſſe, adverſus Voſſium, Perſium hoc ex capite inique taxantem, probatum it Noſter. *Nominatim homines mordere* quod veræ ſatiræ de eſſentia eſſe, Voſſius 124. 125. 126. 130. 133. 134. 135.

exiſtimavit, Noſtro libellis famoſis potius quam ſatiris conve-
p. 136. nire videtur. *Perſium Philoſophum* potuis agere, quam *Satiri-*
141. *cum* largitur, ac denique nonnullos ſatirarum ſcriptores modernos, præſertim *Drydenum* & *Boilavium*, collaudat, quorum poſterior *Horatium & Juvenalem* ita miſcuerit, ut mediam eamque elegantiſſimam inter eorum ſcripta viam inveniſſe videatur.

DES CAUSES DE LA CORRUPTION DU GOUT.

h. e.

ANNÆ DACERIÆ DE CAUSIS PERVERSI de artibus atque ſcientiis judicii liber.

Amſtelodami, apud Petrum Humbertum, 1715, 8.

Plag. 18.

Miſeret Homeri Cl. Daceriam, ſexus ſui & literarum ornamentum, queriturque cum indignatione, homines literarum Græcarum prorſus ignaros a quinquaginta annis gloriam in illo impugnando temerario auſu quæſiviſſe. Sed inprimis male excepit Homerum Houdartus de la Motte.

> Quis tam crudeles optavit ſumere poenas
> Cui tantum de te licuit?

exclamat Daceria, ubi Deiphobi inſtar laceratum miſere truncatumque in verſione nupera Gallica Homerum videt. Laudat ingenium Mottii, delectatur laudibus, quibus illam
p. 7. ornavit, ſed Homeri cauſa prævaluit, ac metus, ne lenocinia orationis incautæ juventuti imponant. Rationes enim non novas eſſe ait, ſed expoſitas jam libello Gallico: *La comparaiſon de la Langue & de la Poeſie Francoiſe, avec la Grecque & Latine.* Imitatura ergo antiquum dialogi de cauſis corruptæ eloquentiæ ſcriptorem, ſive is Quintiliano, ſive Tacito tribuendus ſit, inquirere voluit, unde ſiniſtra illa judicia ſeculi noſtri de indole & præſtantia artium ac diſciplinarum promanave-
11. 12. rint. Putat autem apud gentes orientales, cœli & naturæ beneficio vivaciores felicioribusque ingeniis præditas, primum re-

gnas-

gnaſſe rectum illum pulchri ſenſum, (*bon gout* appellant Galli.) Ægyptios & Græcos miratur; inter hos clariſſimum Homeri ingenium illuxit ſine exemplo maximi, quod neque ante illum quem imitaretur, neque poſt illum, qui imitari poſſet, inventus eſt. Alios Europæ populos tam altæ caliginis damnaſſe naturam, ut non niſi imitatione Græcorum ſapere & craſſum ingenium expolire poſſint. Quod Romanorum & Gallorum exemplis probat. Quodſi jam imitatio ſcriptorum Græcorum & Romanorum negligatur, artium liberalium jacturam minatur, imo magna ex parte jam accidiſſe queritur. Inculat partim perverſam educationem, magiſtrorum ignorantiam, & juvenum ignaviam, partim & ludos comicos & fabulas Romanenſes, quibus boni mores corrumpuntur & animus a feriis ad nugas & mollitiem avocatur. Græci ergo & p 20.21.
Latini Scriptores formabunt in nobis illam ſenſus rectitudinem guſtumque ſubtiliorem. A quibus qui abierint, quam turpiter hallucinentur, cum de liberali arte ferendum eſt judicium, ipſum Mottium in exemplum proponit. Impugnat primum diſſertationem de Homero. Indignatur, fabularum patrem ap- 29.
pellari, cum Dii, quorum meminit, diu ante ipſum in cultu mortalibus fuerint. Urget, ex antiquis non niſi Protagoram, Zoilum & nonnullos alios, quorum nomina ne quidem ad nos pervenerint, ex recentioribus tres quatuorve malos Poetas & pejores Criticos debitas Homero laudes denegaſſe. Nihil Epicureorum aliquot auctoritatem valere, quibus Poeta Græcus ob providentiam, quam laudat, exemplisque confirmat, illi vero in dubium vocabant, non potuit non diſplicuiſſe. Et ſi vel par 33.
utrinque numerus ſtaret, minime tamen Mottium decere, ut Homerum accuſet, qui cauſam apud illum, utpote linguæ Græcæ rudem, dicere nequeat. Jam vero ſapientiſſimorum omnis ævi Virorum & rerum, de quibus agitur, intelligentium ſuffragio comprobatam ſententiam, an prudenter ſollicitaverit quis, niſi omnibus præſidiis inſtructus & victoriæ jam certus? quod tamen nemo de ſe niſi arroganter crediderit.

Tum argumentum Iliados examinat, ac ſolide probat ex Ariſtotele & Horatio, fabulam nobis canere Homerum, in

Digitized by Google

qua mira ingeniorum, affectuum, virtutumque & vitiorum varietas ad vivum depingitur.
p. 43 ſeq. Argumentum eſſe præcipuum iram Achillis, idque totum exhauriri. Initium enim & finem habet. Belli Trojani hiſtoriam fruſtra apud illum quæri. Nec id præcipue egiſſe Homerum, ut Achillem laudet, ut Mottio viſum eſt, qui vocem Græcam, quæ iram obſtinatam & longam ſignificat, de generoſa indignatione falſo interpretatur. Concedit, quod poema epicum Iliada imitari neceſſario non debet, ſuadet tamen, ut imitetur, eaque occaſione gravem dicam Adverſario non intellecti poematis epici ſcribit. Reſpondet deinde ad ſingula, quæ Mottius Homero objecerat.
59. Sæpe initio ſtatim eventus negotiorum prædicit, quod attentionem Lectoris refrigerare poſſit, ſed tamen media, quibus eventus conciliantur, prudenter premit: & ſic quoque inopinatæ veniunt rerum commutationes, novitatisque gratiam retinent. Deos in ſcenam produxit, nec ſemper cum dignitate, ſed erant tum in opinione
172. omnium Dii inferiores corporei & infirmitatibus obnoxii. Quod Boilavii dictum attulerat pro ſe Mottius, prorſus non agnoſcit Cl. Fœmina, & hanc a Manibus etiam ejus injuriam de-
77. pellit, quem vivum Homeri ſtudioſiſſimum novit. Aſt ambitioſi ſunt Heroes Homerici, & proprias laudes amant. Quid tum? Licet nonnunquam Viro bene de Republ. merito honorificam ſui mentionem facere, quando calumniis aliorum reſpondendum eſt, quando magni in adverſis animi & nullius mali ſibi conſcii edenda documenta ſunt, quando cum in-
83. gratis agitur, aut alii excitari ad imitationem aut confirmari rebus dubiis debent. Iracundi ſunt, crudeles, interdum & impii.
85. Sed Homerus non panegyricum illis ſcribere voluit, ſed homines, quales revera ſunt, exhibere. Fortitudinis laus non denegandа illis eſt, licet Dii in ſubſidium veniant. Quis Davidi eam gloriam non tribueret, & tamen omnia Dei, cui confidebat, auxi-
86. lio perpetravit. Characteres animorum ſibi non conſtare ajunt. Affirmat Daceria, & ſimplicitatem narrationum, verborum
101-117. repetitionem & circumſtantiarum minutias partim exemplo
117. Scripturæ ſacræ, & teſtimonio Longini, partim rationibus defendit. Quod Deis & Heroibus eadem epitheta tribuit, id

Græ-

Græcorum mori imputandum eſt, apud quos cognominum vicem illæ a corpore aut animo ſumtæ denominationes ſuſtinebant. Tum connectendi formulas excuſat, & orationes, quibus 120.
mortuis inſultari ægre tulit Mottius. Aſſurgere eo usque affectus 124.
violentiam poſſe, vel Antonii nos exemplum, & uxoris Fulviæ docet. Sed apud Homerum fere non tam mortuis, quam morituris inſultatur. Quod vero equos etiam ſuos alloquantur, 126.
plane intolerabile obtrectatoribus Homeri videtur, & ſoli Æſopi Seculo, ubi beſtiis ſermonis uſus eſt, convenire. Jubentur ergo epici carminis naturam explorare, quæ talia omnino patitur. Facile colliget Lector, nec, quæ pro ſimilibus ac ſen- 146.
tentiis Homeri afferat, ingenioſiſſimæ Daceriæ deeſſe. Sed 157.
ad examen dictionis Homericæ properamus. Negat illa & pernegat, exilem adeo ſupereſſe nobis linguæ Græcæ notitiam, ut judicari de genio & elegantiis illius nequeat. Provocat ad tot Autores Græcos ſuperſtites, qui ad formandum in nobis illud judicium ſufficiant. Ubi deinde moralis ſcientiæ laudem Homero vindicavit & ſecuritati Poetæ ubique proſpexit, excurrit in verſionem Gallicam, & levi velitatione, in quæcunque loca negligentius habita impetum facit. Nos defendenti Homerum adſtitiſſe contenti, inimica etiam arma inferentem non ſequimur, & belli, quod tam ſtrenue utrinque geritur, ſpectatores tantum ſumus. Forte in hac turba unus alterve fluctuans, illud Lucani ſecum muſſitat:

Quis juſtius induit arma
Scire nefas, magno ſe judice quiſque tuetur.

Et Homeri cauſæ quidem multum proderit, quod Daceriæ placuit, quæ, ſi continuare licet allegoriam, in hac gigantomachia velut Pallas altera, ſuppetias Homero, ut altera Jovi, magno animo & nobili ira tulit. Sed qui momenta cauſæ tranquillus excuſſerit, modo hanc modo illam partem nunc mutare, nunc dividere ſententiam volet.

REFLEXIONS SUR LA CRITIQUE

h. e.

COGITATIONES DE ARTE CRITICA; Autore HOUTARDO DE LA MOTTE.

Partes II.

Pariſiis & Hagæ Comitum, ap Henr. du Sauzet, 1715, 12.

Plag. 8.

INgenioſiſſimus Autor reſponſurus Daceriæ ad ea, quæ tum ipſi, tum operi ejus objecerat, nonnulla artis criticæ momenta in genere primum explicat, quæ deinde ad controverſiam ſuam applicat. Inprimis autoritatem veterum expendit, quos magni facit, non tamen tanti, ut neminem credat poſterioribus temporibus editum, qui cum illis comparari poſſit. Tum & de uſu teſtimoniorum agit, ibique oſtendit, parum illis momenti ineſſe, ubi de re agitur, quæ judicio & rationibus diſceptari debet. Daceria enim ſæpe Platonis, Ariſtotelis, Horatii, Euſtathii, Longini aliorumque nomina ſententiæ Mottii oppoſuerat. Tum & exiſtimationi ſuæ proſpicit, quam paſſim vellicavit Daceria. Inter alia negat, viſum ſibi libellum: *Comparaiſon de la Langve & de la Poeſie Grecque avec la Franceiſe*, unde illum ſua hauſiſſe dixerat Adverſaria. P. II ſpecialius jam examinat, quæ pro Homero Daceria attulit. Sed præſtat diſſertationem integram legere, quæ & brevis, & truncanda foret, ſi in compendium mittere vellemus. Jubet Autor expectare & tertiam Partem, quæ poematis proprii vindicias continebit: atque hæc nuperrime Pariſiis pariter & Hagæ prodiit.

APOLOGIE D' HOMERE ET BOUCLIER D' Achille.

i. e.

APOLOGIA HOMERI ET CLYPEI ACHILLIS.

Pariſiis, apud Franciſcum Jovenne, 1715, 8.

Alph. 1 plag. 2.

Cla-

CLariſſimo Autori, quem Boivinum ajunt eſſe, variæ ſunt cauſæ defendendi Homerum, tantumque debere videtur antiquitati, ut ingrati foret illam non defendere. Cenſuram Mottii in Homerum preſſo pede ſequitur, unde hinc inde quædam decerpemus. Inquirit p. 11 in cauſas contemti a multis ſeculo noſtro Homeri, alios eum non lectum, imo ne deguſtatum quidem damnare ait, alios legiſſe quidem, ſed non ea liberalis doctrinæ copia inſtructos fuiſſe, ut judicare rite de illo poſſint, magiſtros ſæpe ingenio quam minime ad illas delicias facto eſſe, & ludibrio diſcipulorum Homerum exponere. Verſiones, etiam exactiſſimas, infra tamen linguæ Græcæ gratias eſſe. Multosque literarum, conſuetudinumque Græcarum rudes, nihil rectum putare, quod cum moribus ipſorum non convenit. Ubi de argumento Iliados agitur, veretur, ne confuderit Mottius argumentum poematis, & applicationem ejus moralem. Illud eſſe indignationem Achillis, hanc probare, vitiis & diſcordia Principum labefactari Rempublicam. Conveniſſe præterea dignitati operis, ut modo admiratione quadam excitaretur lector, modo deſcriptionibus vivis detineretur, modo ira, miſericordia, indignatio in illo moveretur, quæ Poetæ artificia diſtinguenda ſunt ab univerſi operis argumento. Laudat Homerum p. 17, quod Diomedem, Ajacem, Patroclum, & Hectorem produxit, qui partitis vicibus fortitudinis admiranda documenta edant, qui tamen omnes Achilli cedant, & ſic gloriæ ejus ſerviant. Negat p. 29, contra poematis epici regulas fieri, quod Jupiter Diis eventum belli Trojani prædicit. Si enim illi vaticinia, apparitiones, ſomnia, prodigia demas, fertiliſſimam pulcherrimamque materiem demſeris. Homerus autem tam prudenter hæc temperavit, ut illa eventus ſcientia lectoris curioſitas minime refrigeſcat. Excuſat p. 33 fabulas, quas de Diis immiſcuit, & ſingula, quæ exprobrata erant, expendit. Sed utut nova nonnulla, ita multa, quæ jam Nobiliſſimæ Daceriæ obſervata ſunt, in hoc libello occurrunt, & ſic lectori illa relinquimus. Præcipua Noſtri cura eſt, clypeum Achillis vindicare, quem ante alia ſpecioſe oppugnare Homeromaſtiges ſolent, cum riſu quærentes, quibus ſpatiis tot ac tanta contineri potuerint.

Digitized by Google

erint. Magnos illo tempore clypeos in uſu fuiſſe, paſſim ex Homero patet. Dat jam clypeo Achillis quatuor pedes in diametrum: & quod ſic exprimi omnia potuerint, ingenioſus pictor ſpeciminis loco in multum minori tabula exhibuit. Utinam elegantiam cæli illius imitari noſtrum potuiſſet. Addimus ei deſcriptionem Latinam clypei, ex verſione Barneſii, ἰλ Σ v. 478-607, quæ lucem, quam figuræ dabit, viciſſim ab illa accipiet.

TAB. II.

Fecit igitur primum ſcutum magnumque ſolidumque, undiquaque artificio vario exornans, orbemque extimum circumdedit fulgidum, triplicem, candentem, & ab eo nexuit argenteum lorum: Quinque autem ipſius erant ſcuti plicæ; & in eo fecit artificio varia multa peritis præcordiis.

In eo quidem terram finxit, finxit & cœlum, finxit & mare; Solemque indefeſſum, Lunamque plenam: finxit & Sydera omnia, quibus cœlum redimitum ornatur, Plejadasque, Orcadasque, roburque Orionis, Urſamque, quam & Plauſtrum vulgo vocant, quæ ibidem vertitur, & Oriona obſervat; ſola autem exors eſt lavacrorum Oceani.

Fecit in eo & duas urbes articulate loquentium hominum pulchras.

In una quidem nuptiæque erant, conviviaque ſolennia; ſponſas etiam ex thalamis, tædis adlucentibus, ducebant per urbem, crebroque hymenæus excitabatur clamore: Adoleſcentes etiam ſaltatores in orbem agebant ſe, interque eos tibiæ citharæque ſonum edebant; mulieres vero ſtantes admirabantur in veſtibulis unaquæque.

Populi autem ex alia parte in foro erant frequentes: ibi etenim lis orta erat; duo enim viri contendebant gratia mulctæ, propter virum interfectum; alter quidem affirmabat, omnia reddidiſſe, populo declarans, alter vero negabat, quicquam accepiſſe. Ambo itaque cupiebant teſtibus datis litem ad exitum perducere. Cives autem utriſque acclamabant, hinc inde fautores.

Præcones vero populum ſedabant. At ſeniores ſedebant ſuper politos lapides, ſacro in circulo: ſceptra vero præconum in manibus habebant vocibus aerem replentium. His deinde ſumptis exurgebant, & per vices ſententias ferebant. Jacebant interim

in

TAB.



Digitized by Google

Digitized by Google

in medio duo auri talenta, ei danda, qui inter hos ſententiam rectiſſime diceret.

Alteram vero urbem duo exercitus obſidebant copiarum, armis fulgentes: bifariam autem ipſis placebat conſilium, aut evertere, aut in duas partes omnia dividere, opes ſcilicet, quantas oppidum amœnum intus continet. Illi vero nequaquam parebant, ad inſidias autem clam armabantur. Murum quidem conjugesque dilectæ & parvi liberi cuſtodiebant ſupra ſtantes, interque viri, quos tenebat ſenectus. Ipſi vero profecti ſunt: Dux autem erat iis Mars & Pallas Minerva, ambo aurei, aureas & veſtes induti erant, pulchri & magni cum armis, ſicut Dii ſcilicet, utrinque perinſignes: populi enim humiliores erant.

Ii igitur cum jam pervenerant, ubi illis videbatur inſidiari, apud fluvium, ubi & aquatio erat omni pecori, ibi hi conſederunt, tecti coruſco ære. His vero deinde ſeorſum duo ſpeculatores ſedebant a copiis, obſervantes, ſiquando oves viderent & nigros boves. Illi vero ſtatim progrediebantur, duoque una ſequebantur paſtores, oblectantes ſe fiſtulis: inſidias enim neutiquam præſenſerant.

Ii quidem his proſpectis incurrerunt, & continuo prædantes abducebant boum armenta & greges pulchros candidarum ovium; interficiebantque inſuper paſtores. Illi vero ut audierunt magnum tumultum apud boves, pro concione ſedentes, confeſtim equos aſcendentes pedes in altum attollentes inſecuti ſunt; moxque pervenerunt. Conſiſtentes vero pugnabant pugnam fluvii præter ripas, feriebantque alii alios æratis haſtis. Inter eos igitur agebat Diſcordia, agebat & Tumultus & exitiale Fatum, alium vivum tenens recens vulneratum, alium illæſum; alium interfectum per prælium trahebat pedibus: veſtemque habebat circum humeros admodum cruentatam ſangvine humano. Agebant vero tanquam vivi homines, atque pugnabant, cadaveraque mutuo trahebant interempta.

Poſuit in eo & novale molle, pingue arvum, latum, tertiatum: multi itidem aratores in ipſo juga convertentes agebant huc & illuc. Ii quoties reverſi pervenirent ad finem arvi, iis tunc in manus poculum prædulcis vini dabat vir obiens: illi itaque con-

Digitized by Google

vertebant ſe ad ſuos quiſque ſulcos, cupidi novalis profundi ad terminum perveniendi. Ipſum novale nigricabat a tergo, verſoque aratris ſimile erat, aureum licet eſſet: hoc ſane ingens miraculum effictum erat.

Poſuit in eo & ſeparatum agrum profundæ ſegetis: in quo operarii metebant acutas falces in manibus tenentes: manipuli autem alii quidem recta ſerie denſi cadebant in terram, alios vero manipulorum ligatores vinculis conſtringebant: Tres etenim manipulorum ligatores ſequentes inſtabant: at pone pueri manipulos colligentes in ulnis ferentes, uſque porrigebant. Rex vero inter hos ſilentio ſceptrum tenens ſtabat ſuper manipulorum ſerie lætus corde. Præcones autem ſeorſim ſub quercu in convivio parando occupati erant; bovem etenim mactatum magnum hinc inde curabant: mulieres autem cœnam operariis, albas farinas multas immiſcebant.

Poſuit in eo & uvis gravatam vineam, pulchram, auream: nigri etiam per eam racemi erant. Stabat etenim innixa palis ex ordine argenteis. Circum autem, cyaneam foſſam, circum & ſeptum duxit ſtanni: una autem ſola ſemita erat ad eam, qua ibant bajuli, quando vindemiarent vineam. Virgunculæ etenim & adoleſcentuli teneris animis, textilibus in qualis portabant prædulcem fructum. His vero in mediis puer cithara arguta ſuaviter perſonabat; chordaque eleganter ſuccinebat tenella voce. Hi autem ferientes terram ſimul cum cantuque ſibiloque pedibus tripudiantes ſequebantur.

In eo & armentum fecit boum capita alte ferentium. Ipſæ autem boves ex auro effictæ erant ſtannoque, cumque mugitu e ſtabulo ruebant ad paſcua præter fluvium reſonantem, admodum rapidum, cannis abundantem. Aurei autem paſtores una ibant cum bobus quatuor, novemque illos canes pedibus celeres ſequebantur. Terribiles vero leones duo inter primas boves taurum graves gemitus edentem tenebant: is autem alte mugiens trahebatur; cumque canes recepturi ſequebantur & juvenes illi quidem diſcerpta bovis magni pelle, viſcera & nigrum ſanguinem hauriebant: paſtores vero fruſtra inſequebantur, veloces canes hortatibus incitantes. Illi enim mordere quidem recuſabant averſi

Digitized by Google

ſi a leonibus, ſtantes autem admodum prope latrabant & evitabant.

Fecit in eo & paſcuum inclytus Vulcanus amœno in ſaltu magnum ovium candidarum, ſtabulaque, tuguriaque tecta, & caulas.

In eo & chorum vario effinxit artificio inclytus Vulcanus, ei ſimilem, qualem olim in Cnoſſo lata Dædalus concinnavit comas-pulchræ Ariadnæ. Ibi quidem adoleſcentes, & virgines formoſæ tripudiabant, alter alterius ad carpum manus tenentes. Horum illæ quidem tenues linteas veſtes habebant, illi vero tunicas induti erant bene textas, leniter nitentes oleo: & hæ quidem pulchras coronas gerebant, illi vero gladios habebant aureos pendentes ab argenteis balteis. Hi quandoque quidem in orbem diſcurrebant doctis pedibus agiliter admodum, veluti cum aliquis rotam aptatam manibus ſedens figulus tentaverit, ſi currat: quandoque autem rurſus diſcurrebant per ordines invicem: multa vero pulchram choream circumſtabat turba, oblectantes ſe. Duo item ſaltantes in caput inter ipſos cantum exordientes agebant ſe per medios.

Poſuit in eo & fluvii magnum robur Oceani, orbem præter extremum ſcuti affabre facti.

HOMERE VENGÉ PAR L. P. S. F.

i. e.

HOMERUS VINDICATUS, SEU RESPONSIO ad Mottii cenſuram Homeri; Autore L. P. S. F.

Pariſiis, apud Autorem, 1615, 12.

Plag. 20.

Libelli hujus mentionem facimus, non quod illi ad hanc cauſam momenti aliquid inſit; ſed ne quid prætermiſiſſe videamur. Notum eſt ingenium Poetæ ſine fuco (*le Poete ſans fard*) cui hic tam impotenter ſervit, ut modeſtus ſit Therſites Homericus, ſi cum hoc componatur. Invehitur paſſim in clariſſima ingenia, Fontenellium, Mottium, Da-

cerios conjuges & Joh. Clericum, ſed ita, ut qui libellum forte, aut iconem, quæ in fronte eſt, aut verſiculos ſubinde interſperſos inſpexerit,

furias Ajacis Oilei

recordetur.

Non tali auxilio, nec defenſoribus illis
Res eget.

AN ESSAY ON EXTERNAL REMEDIES.

i. e.

TENTAMEN CIRCA REMEDIA EXTERNA; Autore P. KENNEDY, Chirurgo-Medico.

Londini, apud Andream Bell, 1715, 8.

Plag. 13.

VAriæ ſunt cauſæ, ob quas Medicamenta interne ſumta, ab indicantibus ſuis rite licet indicata, ſuo fruſtrantur effectu. Ut enim de nauſea nihil dicamus, quam plerique concipiunt ægri a pharmacis ore hauriendis, ſæpe ſubeſt ventriculi debilitas, vel acidi vitioſique ſtabulantur in primis viis humores, vel ductus, canaliculi, vaſa lactea, glandulæ obſtructionem patiuntur; hinc certe medicamenta propinata vel multum alterantur, antequam ad maſſam ſanguineam pertingant, aut penitus in ſuo curſu ſiſtuntur. His vero obſtaculis cum topica Medicamenta non ſint ſubjecta, recte hæc in omnibus internis ſubſtitui, autumat Clariſſimus Kennedy, imprimis cum apta ſint, omnibus ſatisfacere indicantibus. Cum enim corpus humanum totum pervium, perforatum & poroſum ſit, medicamentorum particulas libere per foraminula ejus in illud penetrare & immediate cum humoribus & maſſa ſanguinea permiſceri poſſe credit. Efficacem itaque maximeque ſecuram eſſe methodum per poros cutis medicamentorum vires ægro communicandi, multis probat Noſter. Ante omnia enim varios humores allegat, qui Medicamentis occurrunt ore aſſumptis, antequam in vena ſubclavia ſanguini commit-

mittantur. In ore enim ſaliva, in œſophago humor ex glandulis ejus expreſſus, in ventriculo liquor gaſtricus, in inteſtinis bilis, ſuccus pancreaticus, & glandularum earum humor, in vaſis lacteis, glandulis meſenterii, cyſterna chyli & ductu thoracico lympha ſemper præſto eſt, quibuscum conflictari opus ſit medicamentis; quibus accedit calor, concoctio & mutatio iisdem a motu continuo ventriculi ac diaphragmatis pariter ac muſculorum abdominis preſſura expectanda. Unde neceſſario ſequitur, alcalica non minus ac acida inſignem experiri alterationem; & quanquam quæ ex minerali regno petuntur, huic non adeo promte ſubjaceant, nihilominus nec hæc penitus ab omni mutatione eſſe libera, ferrum evincit, quod in ſtruthionum ventriculis digeritur. Quam tamen inverſionem texturæ neceſſariam eſſe, pertinaciter negat Noſter, cum obſervationes doceant, felicius ſuos effectus ſortiri pharmaca, ſi immediate ſanguinem contingunt. Poſito vero, eam adeo neceſſariam eſſe, hoc tamen ſibi concedi expetit, in omnibus morbis modo hunc modo illum humorem præter naturam ſe habere, vimque hinc ſuam perdere, medicamenta alterandi. Et ſi vel maxime nobis conſtet, quo modo iſta ab hoc illove humore immutari queant, imo notum etiam ſit, quis humorum præternaturaliter conſtitutus ſit, ſæpe tamen veram latere rationem, dicit, qua medicamenta ſuam edere ſolita ſint operationem. Iam vero ſi perſpecta nobis ſit natura medicamenti cujusdam, ut & ſanguinis, ſanam dictitare confidit rationem, illud in hunc mechanicos ſuos motus melius exercere poſſe, ſi absque ambagibus ad eum feratur. Nec eſt, cur quis credat, medicamenta ore aſſumta in ventriculo venas intrare, antequam ab aliis humoribus pervadantur & in textura ſua alterentur, cum glanduloſa tunicarum ventriculi interiorum ſtructura magnam humorum aliorum copiam continuo exprimat, nec liberum effluviis medicamentoſis tranſitum concedat. Ut igitur probet Autor, omnes in toto corpore glandulas a topicis ſuas impreſſiones pati, ſingula rimatur emunctoria, & qua ratione præter cutaneas glandulæ renales, proſtatarum, inteſtinales, ſalivales, narium, aurium, &c. ad reddendos humores ſuos a topicis ſollicitari

Digitized by Google

queant, docet. Nec objici debet, ſecretione aucta non ſemper opus eſſe in curandis affectibus, ſed pollere quandoque Medicamenta quædam ſpecifica aliqua virtute ſtatum præternaturalem absque ulla manifeſta evacuatione tollendi, e.g. corticem Peruvianum in febribus; ſiquidem omnes vel ſolis topicis corrigi poſſunt, & cortex hic ab extra admotus eundem præſtat effectum. Quoniam igitur ſupponitur, morbos oriri ab uno alterove humore, ſi non ab omnibus vitiato, topica vero glandularum omnium in corpore obſtructiones tollere poſſe, exinde patet, topicorum uſum eſſe præſtantisſimum, modo ſub legitima doſi adhibeantur. Nec neceſſe eſſe putat, omnes inveſtigare morbos, docereque, quomodo per externa remedia vel tolli vel mitigari debeant, eos ſolummodo allegat, quorum cura præ reliquis difficilis eſſe alias dicitur: Poſtquam igitur modum injunxit, quo vomitus & ſeceſſus moveri externorum remediorum ope queat, ut apoplexia, arthritici affectus, aſthma, febres inflammatoriæ, lentæ, acutæ, vel intermittentes, catarrhus, cholera, colica, calculus, diarrhœa, dyſenteria, menſium obſtructiones, epilepſia, fluor albus, hyſtericæ vel hypochondriacæ affectiones, iliaca paſſio, mania, paralyſis, phthiſis, pleuritis, rheumatiſmus, ſcorbutus, ſcrophulæ, lumbrici infantum, gonorrhœa, cancer penis, bubones, lues venerea, variolæ, per topica ſint curandæ, inculcat. Imo methodum illam, Conſtantinopoli nunc uſitatam, variolas per traducem ab extra communicandi, quam nos in Actis his Anno 1714 menſe Auguſto pag. 382 commendavimus, deſcribit & confirmat. Mittimus obſervationem Anatomicam, quam in viro, ex gonorrhœa virulenta intempeſtive ſuppreſſa denato, fecit, prolixeque deſcribit, ad quam lectu digniſſimam Lectorem benevolum ablegamus.

MATERIÆ MEDICÆ IDEA NOVA TRIpartita, cura & ſtudio JOHANNIS CASPARI MANGOLDI, Phil. & Med. Doctor Baſil.

Baſileæ,

Digitized by Google

Baſileæ, ſumtibus Joh. Jac. Mangold, Chir. Baſil. 1715, 8.
Alphab. 1. plag. 2.

QUod feliciſſimus ſuo tempore & perſpicaciſſimus apud Belgas Practicus, Franciſcus de le Boe Sylvius, olim anxie optavit, ut ſcilicet quis expertus ac peritus de ſaporum ac odorum differentiis exactum conſcriberet tractatum, in Medicina pariter ac ſcientia naturali utilem eum futurum ratus, id exequi conatu haud vano in ſe ſuſcepit Autor Clariſſimus. Inter deſiderata enim hactenus hanc methodum referendam fuiſſe, ex eo patet, quod tantam remediorum abundantiam dum Autores ſat multi prudenter ſeligere & ad manum prompte collocare ſeu diſponere ſategerunt, verius medicamenta congeſſerint, quam digeſſerint, hinc amara dulcibus, acriora inſipidis, acida alcalinis, fixis volatilia, oleoſa macris, vehementiſſima blandiſſimis intermiſcuerint, quo pacto inſtrumentum idoneum, id eſt, voto reſpondens auxilium quamplurimi quidem inveſtigarunt, pauci vero invenire, vel ſeligere valuerunt. Hinc operi ſeſe accinxit Autor, atque Materiæ Medicæ Claſſes alio atque alio ordine diſpoſuit ac compoſuit. In tres autem Partes hunc tractatum diviſit, in quarum I ſingula medicamenta ſapore, odore, & textura differentia in Claſſes certas & Capita digeſſit, quæque iſtis qualitatibus conveniunt, ſingula in unam contulit claſſem. In II in tabulas eadem diſpoſuit, ſecundum methodum medendi, ſive Indicata & Indicantia, vel virtutes generales, quæ fundamentum ſunt ſingularium. In III texturam & vires certiores ac conſtantiores, qua licuit experientia & ratiocinio, itidem explanavit. Quo ſtudio id effeciſſe ſe confidit, ut Medicus ex hoc tractatu cito, tuto & jucunde curare diſcat, id quod uberius in præfatione explicat. Triplicem tandem addidit Indicem, Claſſium ſcilicet, Tabularum, & Medicaminum ſingulorum, ita quidem ut cuilibet ſimplici ex eo parata ſubjiciantur. Hæc monuiſſe ſufficiat: ipſius vero libri frequentiorem evolutionem Tyronibus Medicinæ etiam atque etiam commendamus, non exilem inde eos percepturos eſſe fructum credentes.

LUDERI

Digitized by Google

LUDERI MENCKENII JC. THEORIA ET Praxis Pandectarum, opera & ſtudio D. GOTTFR. LUDOV. MENCKENII publici juris facta.

Partes II.

Lipſiæ, in Officina Groſchuffiana, 1715, 8.
Alph. 5 plag. 5.

PRodiit ante viginti circiter annos Tractatio Synoptica Pandectarum Theoretico-Practica a Viro ill. D. Ludero Menckenio, JCto conſummatiſſimo, Conſil. Reg. & El. Canon. Martisburg. Supr. Curiæ Provinc. Lipſ. Aſſeſſore, Facultatis Jurid. Ordinario & Juris Canon. P. P. in tabulas redacta, cujus libri mentionem fecimus in Actis Anno 1697 p. 23 ſſ. Ille ipſe igitur, magno applauſu hactenus in Academiis receptus, nunc dignus viſus fuit, qui denuo prelo ſubjiceretur, & ita quidem, ut mutata methodo, quæ antea in Tabulis propoſita erant, jam
p. 128. ſerie haud interrupta & naturali quaſi nexu fluentia proponerentur; allegatis ſubinde noviſſimis tum Saxon. Curiæ Pro-
307. vincialis, tum Facultatis Juridicæ Lipſienſis Judicatis, nonnunquam etiam Reſponſis. Quo ipſo tædioſa Tabellarum evolutione inſuper habita, libellus hic nunc magis portatilis
1451. minusque ſumtuoſus ſiſtitur. Nos ex noviter additis Judi-
1493. catis pauca quædam ſpeciminis loco hic addimus. Sic enim
1569. Facultas Juridica Lipſienſis M. Martio 1706 pronunciavit; Opiliones levis notæ macula non laborare, adeoque ad opificium merito eſſe admittendos. Et M. Sept. 1703 pollice a Piscatore amiſſo, triginta aureos loco Emendæ lædenti dictavit eadem Facultas. Porro ob gallinæ furtum formata inquiſitione carcerem 14 dierum adjudicavit M. Mart. 1712. Et ob ſtuprum Puellæ 6 annorum intentatum pœnam fuſtigationis dictavit M. Febr. 1703. Item in Crimine Veneficii, cum quis gallinis vicini venenum poſuiſſet & ex eo periiſſent æſtimatæ quatuor Joachimicis cum ſedecim groſſis præter reſtitutionem damni reo impoſita eſt relegationis decennalis pœna M. Sept. 1707.

* *

Digitized by Google

N. V.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Maji, Anno MDCCXVI.

HERODOTI HALICARNASSEI HISTORIARUM Libri IX, Gr & Lat. cum Interpr. Laur. Vallæ; ex MSS. membrana Medicea, &c. induſtria JACOBI GRONOVII, cujus accedunt Notæ.

Lugd. Batav. apud Samuelem Luchtmans, 1716, fol. Alph. II.

IAm olim in eam ſententiam Principes eruditorum convenerunt, Herodotum inter profanos Hiſtoriæ conditores primum obtinere locum, nec quenquam temere anteponendum eſſe. Ipſe vero Herodotus non tam vetuſtatis privilegio eam ſibi gloriam ſtrenue vindicavit, quam rerum pondere, dictionisque ineffabili elegantia, quorum quodque adeo in illo Sene exuberat, ut, & qui guſtu ſuavitatis pollent, & quorum labra primum iſto melle tinguntur, ad laudis concordiam unanimes abripiantur. Exinde vero factum, ut a tribus prope ſeculis, ſi qui humanas literas amarent, easque propagatas vellent, Herodotum legerent, legendumque aliis commendarent, omni adhibita opera, ne pura Hymettiosque liquores longe ſuperans ſuavitas ullis pravarum interpretationum falſarumque lectionum fæcibus inſipida redderetur. Et magni ſane Viri in ea re elaborarunt, Aldi nimirum, Camerarii, Vallæ, Stephani, Porti, Jungermanni, Friderici, quibus poſtremo acceſſit Th. Gale Anglus, ut alios taceamus, qui occaſione oblata argenteis Halicarnaſſei tabulis ſitum & pulve-

Digitized by Google

rem deterſerunt. Atque id ipſum Viri inſignes ita præſtitere, ut maxima & potior doctorum pars non ſolum putaverit eos pro virili Herodoto vacaſſe, ſed etiam laudibus mactatos & floribus Herodoteis redimitos ad excellentius Parnaſſo faſtigium dimiſerit.

Sed non eadem mens ſententiaque fuit Viro Cl. *Jacobo Gronovio*, qui, quum ad Herodoteam lectionem ſe cœlitus vocatum crederet, jam ab eo usque tempore, quo in puerorum ſubſelliis deſudabat, ſeſe adverſus inſignes illos Viros, quaſi minus idoneos Explanatores, indignatione ſuccenſum profesſus, eandem adoleſcens tam diu aluit, quoad per Italiam vagari & Italo Colax fieri (verbis illius utimur) decreviſſet. Contigit tum, eum in Bibliothecam Mediceam, noſtro quidem præconio majorem, admitti, in qua membranam Muſas Halicarnaſſei continentem deprehendit, caſtam ex laudatoris judicio, & ab ipſius Autoris autographo vix diſcernendam. E qua, quum aliquot lectiones, receptis hactenus paullo commodiores, deprehendiſſet, lymphatorum more exultare cœpit. *Si ruminando circumagar*, inquit, *& revertar ad illos dies, quibus inter pluteos Mediceos ſpatians Herodoteum iſtud exemplar palmaria prædicatione dignum in complexu & manibus habendi volvendique poteſtate fruens exultabam ad veritatem antiquæ ſcripturæ, vix mei compos maneo.* Licet vero prudentius facturum putemus, ſi, quam ipſe prudentiam in Codicibus Palatinis Gallicis p. 641 adhibuerat, eadem in Codice Florentino uſus eſſet, aut ab Apotheoſi ſaltem ſibi temperaſſet, veruntamen quum ſemel lætitia ipſum ad faſcinationem mentis compuliſſet, Lambinum imitatus, quem ὁμοτεχνῖται in talibus Stultividiſſimum dixere, prorſus in illius membranæ amplexum ruit, quodque de Antonio Cicero olim dixerat, mentum & mentem in ea depoſuit. Quæ quamvis non ſine intimo doloris ſenſu & commiſeratione dicamus, aliter tamen facere non potuimus, quum ipſemet de illa mentis cataſtrophe teſtatus fuerit inque omnibus prope libri verſibus palam fecerit, eam jam octo luſtris decoctam ac miſere deperditam eſſe. Equidem aliquando

quando ſpem facit ſeſe ad ſobrietatem rediturum, agnoſcitque ſe nimio ſtudio in membranas illas abreptum & quaſi præ amore excœcatum, neque ſe rationes dare poſſe, cur obſequatur, p. 808, 994, mox tamen tenebræ denuo offunduntur, ut non niſi divinitatem & ſanctitatem crepet p. 822, in omnes alios aliter legentes interpretantesve tanquam Ajax flagellifer ſæviat ac debacchetur. Quod ne fruſtra dixiſſe videamur, noſtrum erit vel exclamationes nonnullas, quibus vel ſibi vel membranæ ſuæ applaudit, in medium proferre. *Qui poſſem*, inquit, *temperare lætitiæ, deprehendens, ab hoc ineſtimabili monumento Herodotum dari adjutorem illis quæ ad Stephanum dixi p. 832. Ne mihi invidiæ ſit, ſi diſcurrenti, inquirenti & ſedulo laboranti aliquid occurrerit in ſermone Græco usque ad hanc ætatem noſtram ignoratum, etiam illis qui nuper jactantiſſime eo uſi fuerunt: augeo enim ejus notitiam reparatione hujus incogniti adhuc vocabuli.* Si quæram, docte Jacobe, quale eſt illud vocabulum, quod publica humani generis commoditate aucta (ſic enim Conſules Leidenſes affaris) & cum fortuna publica inveniſti? reſpondebis, illud eſſe adverbium μυνόθεν, quod in membrana tua extitit, quam ſi quis contemnat, fortuna publica ſuo certo augmento carebit. Pag 814 pergit: *Mene igitur oportuit primum eſſe, qui lectionem ſcriptam ſed in oras relegatam auſus fuerim repetere, auctoritate inductus Codicis Medicei?* nihilque reſpondet, ut per ἀποσιώπησιν Lectorem ad talem exclamationem perpellat: Utique, magne imo ter maxime Jacobe, te oportebat primum eſſe, tibi cœlitus datum erat, ut quadraginta annos apud Herodotum deſideres, & ſupplicationes domeſticas (tua verba ſunt) inſtitueres. Sic p. 984, quum vocem ὑπεζεύγαν reſtituiſſet, Thraſonis perſonam induens canit: *Merebatur gloria temporis noſtri, ne iſtud decompoſitum porro lateret, plane ignoratum huc usque & nulli ſcriptum niſi nunc mihi præſertim, quum Græcam gloriam adeo circumferat.* Pag. 797 ex illa ταραχῇ mentis ſaltare incipit: *Hic Rhodus hic ſalta. Id eſt manifeſtum indicium præſtantiæ Codicis Medicei ſuper omnes alios in deliciis Herodoti non ſupprimendis.* Paulloque poſt ſaltationis oblitus inque Scoparium Augiæ mutatus

Digitized by Google

ait: *repurgavi manum Herodoti, & exemplari Mediceo ob ſidem laudes gratiasque egi.* Mox ex Scopario πυργοτεχνήτης factus, *quod*, inquit, *caſtellum poteſt munitius exſtrui?* Etſi vero raro ſui obliviſcatur, ſed perpetuo ſibi applaudat, aliquando tamen per frigidiſſimam Apoſtrophen alloquitur alios, imprimis Herodotum p. 889, cum ſcripſiſſet Palæſtinos ab Ægyptiis circumciſionem didiciſſe. *Quanto*, ait, *beatior fores, ſi quo momento has & antecedentes voces commiſiſti albæ Melonis paginæ, ita ungues, mi Herodote, momordiſſes, ut extremum digitum, qui continebat calamum, ſimul penitus abſtuliſſes, ut neque ſcribere potuiſſes. Quia ſecus feciſti, nomen nunc tuum per omnia ſecula delatum fuit, nec ceſſabit deſerri, quia irritaſti nationem, cui & tacere non placet, eademque ſemper iterat, & te non minus conculcat, quam tu pro nullis habuiſti, Hieroſolyma.* Sunt ſane illa Jacobi verba Scythica glacie frigidiora, & Claudii recitationibus magis incondita, quibus non niſi nauſeam auditoribus afflabat, nec minus tamen illa imperata digitorum unguiumque præſciſſio hominem non magis ſui compotem arguit, atque Cleomenes ille Herodoteus fuit, qui ſeſe κατακορδεύων membra in fruſta concidit. Hinc ad Uraniam ſeu L. VIII Herodoti verſus & quaſi cum amica aliqua confabulans ait: *Vranie, Vranie Herodotea, qualis fuiſti antehac? & qualis fores poſthac, niſi a Florentia puram tibi aquam afferrem?* Pulchella ſunt. Ita enim Jacobus ille Leidenſis, Patriarcham Jacobum imitatus, Florentiam Meſopotamiam, Bibliothecam Mediceam puteum, Vraniam ſuam Rahelem imaginatus, lapide remoto, puram aquam protulit, qua illa Urania ante hac conſpurcata lavaretur. Pag. 992 Uraniam ſuam veſte nudans quærit: *Caſtiſſima Vrania, quid deinde in tuo gremio geſtaſti? an ex Herodoti manibus accepiſti? Hoc enim eſt, quod monſtras accedentibus.* Certe cæcus ſit qui non viderit, eum in illa ecſtaſi ſua Uraniam veluti attrectaſſe, & labellorum morſiunculas & papillarum horridularum compreſſiunculas meditatum eſſe, &, modo in carneam compagem illa ſucceviſſet, ipſum etiam ſtuprum, quod ab aliis metuebat p. 808, tentaturum fuiſſe. Jam Equites

Ama-

Amadiſiacos atque rotundæ Tabulæ milites imitatus, non niſi monſtra & dracones ſibi & Labyrinthos inexplicabiles fingit, quale quidpiam occurrit p. 846: *Ea verba nitida ſed ardua intellectu, quem ingredior forſan inſtar Labyrinthi, unde vix exitus ſperandus.* Nonnunquam in talem triſtitiam rapitur, ut ex Heroe in Artemiſiam converſus plus quam muliebres lacrymas fundat, quod fecit quum Bochartus ab Herodoto errorem commiſſum putaret, loquente de fluviis Euphrate & Tigri, illo urbem Ninum ingrediente, altero allabente tantum: tum enim liqueſcit corculum Jacobi, inque lacrymas ſolvitur, quum ante ad Rhodum ſaltaſſet. *Mihi præ dolore exciderunt lacrymæ. At vos doctiſſimi Viri, tu Sarravi, tu Grentesmenili, qui cum Bocharto vixiſtis & Herodotum legeratis, potuiſtis concoquere, ut tot editionibus tam magna manus conſpurcaretur. Debuit viventi Bocharto id indicari, ut verteret manum ſtylumque, ac meliora ſciens, deſiſteret a tam calumnioſa dica ſcribenda. Quicunque proximus ſanguine ſuperſtes es, cura, ut hujus nævi memoria univerſa deleatur.*

Jam in omnes prope Interpretes Herodoti profeſſos pariter & alios, caſu in eum delatos, ſævit eosque execratur. Atque de univerſis quidem profitetur, eos fruſtra ſudaſſe p. 829, belle nugatos eſſe, & ne odorari quidem potuiſſe emendationem Herodoteam, homines fuiſſe futiles, falſarios, p. 926, in Camerina Herodoti ſordide volutatos p. 939, laſcivos, inſipidos, p. 988. nihil intellexiſſe p. 828, omnes ſtoliditatem ſuam exercuiſſe p. 8[illegible]2, credidiſſe Herodotum a ſe legi, ineptos fuiſſe, p. 802, in parvis acutos fuiſſe, in majoribus cæcutiiſſe p. 810. Saturnalia luſiſſe p. 841, acriter in eum graſſatos p. 830, regiam licentiam exercuiſſe p. 911. Hancque eorundem infelicitatem adſcribit defectui Membranæ Florentinæ p. 846. *Nocuit Viris doctis*, inquit, *quod nec viderint antiquos Codices, unde didiciſſent reverentiam antiquitati debitam præſtare, nec mutare, quod ſanctum eſt*: eaque propter ſperat, Lectorem ſuas emendationes exoſculaturum eſſe, p. 811, ideo quod præſtantiſſimæ ſint p. 813, & poſt ſeros tandem annos exclamaturum eſſe: *Ma-*

Et e fide iſtum Codicem, qui teſtabitur quid Herodotus ſcripſerit, p. 861. Hinc vero ſigillatim Interpretes aggreditur & ad Vallam converſus nunc flagellat, nunc mitius intuetur, cenſetque, eum largiorem fuiſſe ad verba quam ad ſenſum p. 861, propiorem a Herodoto quam reliquos p. 911; mox oblitus ſui rudiorem cenſet p. 887, ridiculum p. 914, nugaciſſimum p. 961, in tenebris micaſſe p. 929, ineptiiſſe, nec penetraſſe, quid noxæ verbis ſuis ſubeſſet, p. 839, putidi fuiſſe oris, graſſari ſolitum, p. 827. A quo ad *Æmylium Portum* abiens, cujus tamen collectionibus Commentarios replevit, ei ignorantiam p. 830, nimiamque diligentiam objicit p. 827, nil ſani & ad auxilium Herodoti ab eo eſſe dictum p. 832, luxuriatum eſſe, acuta congesſiſſe verba & nihil aliud, p. 735, inſanum, p. 837, in abſurda auſteritate fuiſſe verſatum p. 838, infeliciſſimas horas illi illuxiſſe p. 845, clauſos oculos habuiſſe p. 853, abſynthia ſua mire commendaſſe. Cum *Henrico Stephano* inclementius agit, qui ipſi Faber pravitatis p. 863, infami violentia præditus p. 832, ultra fidem puerilis & imperitus p. 838, faſtidio fatuo plenus, naſutus, p. 955. monſtroſe audax, cujus dicta pro abſurdis rejicienda, p. 837, quæ quum evomuiſſet, aliquoties tamen laudat & excuſari poſſe agnoſcit, p. 820. A Stephano gladium in Stephani approbatores ſtringit, *Holſtenium*, *Berkelium*, *Küſterum*, omnesque pro inſulſis habet p. 931. Clementior paullo in *Jungermannum*, nec tamen a ſe impetrare poterat, quo minus ipſi ineptias, providentiæ neglectum, p. 835, impotentiam medendi p. 842 & imprudentiam objiceret. *Thomæ Gale*, nupero Editori, non parum infeſtus ait, eum non animum habuiſſe emendandi Herodoti p. 882, inſtar feræ occluſum occæcari p. 819, quibus verbis forte ad γαλεάγραν reſpexit, pro tenebris obtuliſſe caliginem p. 846, nihil propterea boni præſtitiſſe. *Fridericum Lipſienſem*, etſi aliquoties ſequatur, fœde hallucinatum p. 812, ſublimia ſed lutoſa dixiſſe cenſet p. 842. Ab his ad alios deſcendit, qui caſu aliquid ex Herodoteis delitiis decerpſerunt, interque eos Ill. *Ez. Spanhemium* ſibi exagitandum ſumſit, Puteolanum Vectorem appellans, qui nil niſi vitio fœdum poſſit ſcribere, p. 818 & 835, eum alios præ

aliis

Digitized by Google

aliis hominibus oculos habuiſſe, nec fuiſſe bonæ memoriæ, p. 841. Imprimis notat multitudinem citationum, eaque propter eum omnium Citatorem vocat p. 912, facinus ejus in Republica litteraria ſordere p. 923, ſua ex Leopardo, p. 924, & Caſaubono, p. 999, ſuffurari ſolitum, exiguam rem præſtitiſſe, quod tantos Commentarios nullo inſpecto Codice ſcripſerit, p. 938. Tandem intemperantisſima ratione exagitat, eum per omnem Europam vagatum eſſe, quum nemini dubium, ſit Ill. Virum in ſplendidiſſimis Legationibus diu maxima cum laude verſatum, optimeque hoc ipſo meritum fuiſſe. Hinc oculis in *Clericum* verſis, mendacii poſtulat, idque pervulgandum eſſe cenſet, quantum mendacium commiſerit, p. 836, venenis truculentis eſſe obſitum & fatalem ſcabiem ad perdendas Muſas, p. 885, ſummum apud Muſas ſimium & veſpertilionem, in cujus nugis innumera anomala occurrant, p. 939. *Salmaſium* præcipitem & furentem in citando, & ab omni attentione alienum dicit. *Iſaacum Voſſium* eſſe monſtrum, Salmaſio Colacem, p. 938, ludere per ignorantiam, non niſi ſervile capiſtrum mereri, p. 999. *Tanaquillus Faber* ex ejus judicio fumum captat p. 983, ſcurriliter jocatur p. 846, ingenium habet in quo nil bonum nil felix, ſed quod deliret, p. 868, operamq; ludat p. 882, Vir incertus, ſuſpenſus, præcipitans ad inſulſas conjecturas & ad credendum nimis facilis, p. 907. Unica tantum vice laudat, quod mentem & peritiam adhibuerit. *Küſtero* non parum acerbus extitit, ſed ad abſurditatem illius ſtupet p. 808, & abſurdam negligentiam exprobrat p. 873, vanitatem agnoſcit p. 845, imparato animo ad Suidæ editionem acceſſiſſe p. 847, miſerrime conſpurcaſſe p. 879, infamia & vituperio maximo dignum eſſe cenſet p. 940. Cantabrigienſes hanc ovem ſuam (Suidam) lupo commiſiſſe, eum per ſummam ignorantiam, quæ Menagius ante XL annos in eo emendarat, neglexiſſe: unde ad cineres Menagianos verſus ait: *Vos, Menagiani manes, agitate illum turbatorem quietis Suidæ, illum nugacem in tot ſacris locis & vaniſſimum impiumque antiſtitem furiis meritis, præcipitate in iſtam voraginem, ubi ære gravi preſſus anhelet.* Quæſo Lecto-

ctores, an Eumolpidæ Sacerdotes, ſi res ſerio agatur, pejores diras recitare potuerint, an vero, ſi per jocum adhibuerit, quicquam minus dignum Viro gravi fingi queat? Præter illos vero inſignes Viros, quos ſagittis creberrime inſectatus eſt, ſunt adhuc alii non minus fama gloriaque inſignes, quos parcius dilaceravit: interque eos *Raphael Fabrottus*, quem, ſine examine, ſua eaque vitio exſcripſiſſe clamat p. 873, *Bochartus*, cui maximam audaciam objicit p. 962, *Seldenus*, cui πολυπραγμοσύνην & impotentiam ſeſe ex locis arduis extricandi p. 836, 837 exprobrat, *Grævius*, qui macilenta ſcripſerit, p. 842, quique ſua inter privatos parietes continere potuerit p. 804, *Brockhuſenius*, qui ingenio & oculis impar fuerit ad aliquid videndum, p. 887, cujus præterea genas paullo pinguiores exagitat. Et ne quemquam eruditorum intactum dimitteret, ad *Montfauconium* Cl. Virum verſus, ægre riſum illius tulit ob id ortum, quod Valla & Stephanus θηρία ἀκατάψευστα legiſſent, quum ἀκατάψαυστα legi mallet. Hinc larvam Catonianam induens, qui toties inter Satyros & mimos luſerat, riſerat, ſaltarat, gravitatis præcepta inculcat. *Nam quod Stephani aliquid & Vallæ ridere poteſt, neſcio, an hoc præſcribat formula vitæ, quam elegit, ut in Viris doctis, ſi quid fiat humanitus, debeat ridere, quo nihil puerilius, nil æque plebejum*, p. 941. Nempe meminiſſe debuerat, ſe toties non modo puerilem, ſed plane perſonam ex συρφετῶ, in illis obſervationibus ſuis cum maximo dedecore geſſiſſe. Etenim non obſcuræ notæ proſtant, ne Patri quidem ſuo libenter admodum parſiſſe, de quo admodum jejune ait: *Video Patri meo in mentem aliquando veniſſe, ut legeret ſatis probabiliter*: Iſaacum Voſſium, Patris ſui Ariſtarchum, imitatus, quem ob id Jacobus noſter Ferum p. 8 9 appellat; at enim vero mirandum non eſt, ſi libido inceſſerit, ut, dum aquam Florentia ad lavandam Uraniam accerſivit, redux in patrios cineres mingeret. Hiſce carduis & cynosbatis jocunda quædam inſerere voluit Jacobus, nempe imagines tres æri inciſas, quarum prima ſiſtit p. 855 numum, Jovis, circulum vertentis, imagine ſignatum: ſecunda marmor apud Perſas inventum p.

912,

911, in quo Darius ſtipulationem fidei a ſociis accipiens, equo inſidens repræſentari putatur, de qua re nos dubitamus, quum pileus Regis non conveniat tegumentis Perſarum, ſed potius Imperatorum Græcorum, unde magis exiſtimari deberet imago Heraclii aut alterius cujusdam Imp. Græci Perſas ſuperantis. Tertia ſiſtit ſerpentem tricipitem apud Græcos cultum alias ſatis notum, ut raritas in eo ſymbolo venditari non debeat. Hæc vero ſunt inſignia ornamenta in Herodotum collata, in cujus primo libro aliqualem operam navaſſe putari poſſet, niſi immani jactantia & pruritu alios inſectandi flagellandique omnem prope laudem perdidiſſet. Quamquam vero ipſemet ſuam diligentiam ad IV usque Librum extendat, in reliquis ſe negligentius egiſſe agnoſcat, Lector tamen, qui convitia illa Gronoviana inexcuſabili prodigalitate ſibi parare voluerit, ipſemet agnoſcet, ultra primum ſecundumque Librum parum egregii actum eſſe. Ceterum perſuaſum mihi eſt, Muſas Jacobo ob oleum operamve in Herodoto emendando perditam nullos omnino favos Herodoto olim inſtillatos, ſed ſolos tantum aculeos decreturas eſſe.

Hæc & quædam alia paulo duriora, quæ, ne a " more noſtro omnino diſceſſiſſe videamur, prætermiſimus, Actis his inſerenda, nobis transmiſit Vir quidam apprime doctus, qui tot ſummos in Republica literaria Viros tanto " faſtu conculcatos ac laceratos a Gronovio fuiſſe, non potuit " omnino æquo animo ferre, nec inultas plane relinquere tot injurias. Nos etenim ut noſtra non facimus, quæ acerbius in Cl. " Gronovium dicta videntur, ita diſſimulare quidem hac occaſione non poſſumus, doctiſſimum Virum, Stephanum Berglerum, qui ab aliquo tempore in nova Herodoti editione Lipſiæ " procuranda laboravit, adeo Gronoviana hac a propoſito non " abſterreri, ut potius magis ſe inflammatum ſentiat, poſtquam " in ea plurima loca ſive ingenio Gronovii, ſive errore codicis " Medicei, in quo uno defixus fuit, miſere depravata deprehendit; cujus rei ſpecimina quædam luculentiſſima proxime cum " Lectore communicabit. "

COMMENTAIRE LITTERAL SUR TOUS LES Livres de l'ancien & du nouveau Teſtament,

h. e.

COMMENTARIUS LITERALIS IN UNIVERſos V. & N. Teſt. Libros & ſigillatim in Evangelium Matthæi; Autore R. P. D. AUGUSTINO CALMETO, Monacho Benedictino, Congregationis S. Vanni & S. Hydulphi.

Pariſiis, apud Petrum Emery, 1715, in 4.
Alph. 4 plag. 13, cum Tabula Geogr.

ABſolutis commentationibus Vet. Teſtamenti, quæ XV aut XVI Voluminibus hactenus prodiere, Novi Fœderis volumina explicanda ſumſit Celeb. Autor, eadem methodo utens, & ſenſum literalem, veterum Doctorum & recentiorum interpretum veſtigiis ubique inſiſtendo, inveſtigans. In præfatione huic N. T. Commentario præmiſſa fatetur, Servatorem nullum monumentum propria manu exaratum nobis reliquiſſe. Ipſi quippe ſatis fuiſſe, cum viva voce, tum per Apoſtolos, homines inſtituere, & de voluntate divina erudire. Commer-
p. VIII. cium literarium cum Abgaro prorſus incertum eſſe, hodieque
IV. explodi, ait. Acta Apoſtolorum Autori nihil aliud ſunt, quam Evangelium Lucæ continuatum, & narratio, tum quid Eccleſiæ naſcenti Hieroſolymis acciderit, usque ad Pauli converſionem, tum quid Paulus fecerit usque ad primam illam profectionem Romæ. Etſi annus clauſi obſignatique canonis N. T. præciſe definiri non poſſit, ſatis tamen apparere opinatur, id factum eſſe ſub initium ſtatim ſecundi a nato Chriſto ſeculi, & autore quidem divo Joanne, qui trium Evangeliſtarum hiſtoriam ſuo ſuffragio approbarit, & quæ omiſſa videbantur, condito a ſe Evangelio ſuppleverit, tandemque univerſum N. T. canonem obſignarit. Tria priora Evangelia a Clemente Romano laudari in Epiſtola ad Corinthios ſcripta ante Evangelium a Joanne confectum. Polycarpum in ſua Epiſtola vel ſexies allegaſſe Evangelium S. Mathæi & Lu-

cæ.

Digitized by Google

cæ. Barnabam item & Ignatium ſæpius ad IV Evangelia provocaſſe. Juſtinum Martyrem Evangelia & *ἀπομνημονεύματα τῶν Ἀποςόλων* diſerte laudaſſe. Eadem tanquam divina & antiqua agnoviſſe Tertullianum atq; Ireneum. Paulum Apoſtolum plerumq; citaſſe Evangelium ſecundum textum Lucæ. Canonem conſenſu Eccleſiarum, & Antiſtitum, quorum plerique viderant Apoſtolos, eorumque diſcipulos, conditum eſſe contendit, nequaquam autem alicujus concilii definitione & autoritate. Verſionem Latinam N. T. æque antiquam propemodum p. IX.
fuiſſe, ac ipſum Textum originalem. Inter ceteras autem Interpretationes Latinas, quarum innumeræ olim fuerint, eminuiſſe Italicam, ſeu communem & vulgatam, *verborum tenaciorem cum* X.
perſpicuitate ſententiæ, teſte Auguſtino. Quam tamen Autor noſter nusquam integre inveniri putat, etſi magna ejus pars in XI.
hodierna vulgata, nec non in vetuſtis Patrum monumentis, & codicibus manuſcriptis, contineatur. Et quemadmodum in Notis ad antiquas verſiones ſæpenumero provocat, ita in præfatione erudite diſſerit de origine & autoritate verſionis Syriacæ, Arabicæ, Copticæ, Perſicæ, Ægyptiacæ & Gothicæ, anno 360 poſt Chriſtum natum, ab Ulphila, Antiſtite, & characterum Gothicorum inventore confectæ, in qua tamen nulla Ariani erroris, quo Ulphilas infectus fuit, veſtigia inveniri Autor noſter pronunciat. Qui de reliquo non diſſimulat, quid de Gallica ſua verſione ſibi promittere debeant lecto- XV.
res, ſponte candideque profeſſus, ſe vulgatum interpretem ubique ſecuturum eſſe, & illis etiam in locis, ubi Græco textui melior ſenſus ineſſe videbatur, quam Latino. In tempore definiendo Toinardi rationes ubique fere ſequitur, ratus æræ Dionyſianæ ſive vulgari tres annos, qui illi vere deſint, adiiciendos eſſe. Tabula Palæſtinæ Geographica, quam addidit, eadem eſt cum illa, quam Commentario in Joſuam præfixit, niſi XVI.
quod illam nonnihil emendavit & auxit. Evangelium a Matthæo Hebraice ſcriptum, ſed paulo poſt valde interpolatum, corruptumque a veteribus ſub diverſo nomine citari, nec di- XXI. XXII.
verſum eſſe ab Evangelio Nazaræorum, XII Apoſtolorum, CX.
& Evangelio, ſeu Prædicatione Petri. Matthæum ordina-

Digitized by Google

p. XXV. rie citaſſe non verba, ſed ſenſum Prophetarum, nec ubique verſionem Græcam τῶν ό ſecutum eſſe. Nam e decem teſtimoniis, quæ ex V. T. allegantur, ſeptem eſſe, quæ propius accedant ad textum Hebræum, quam ad Græcum, videlicet Matth. I, 23, II, 6, 15, 17, IV, 10, 15, VIII, 17. Matthæi præcipuum fuiſſe inſtitutum, ut probaret contra Judæos, Jeſum Nazarenum eſſe Dei Filium & Meſſiam, & vere reſurrexiſſe ex mortuis, quod Judæi pernegabant.

XXIX. Præfationem excipit Harmonia Evangeliſtarum ordine temporis ad marginem indicato, in qua conficienda Autor Marci, Lucæ, & Joannis narrationem plurimum ſequitur, miſſo Matthæo, a Capite IV, 22 usque ad XIV, 13. Harmoniam ſequuntur aliquot Diſſertationes, quarum prima Evangelia
CXXXIV. Apocrypha enarrat, altera autem de adventu magorum *ex oriente* diſquirit, quo ſtylo Scripturæ Arabiam deſertam, Meſopotamiam, aut Chaldæam indicari putat. Matthæum igitur ſignificare voluiſſe magorum nomine Philoſophos Chaldæo-
CXXXVIII. rum, aut Arabiæ deſertæ, populares Bileami. De regia autem illorum dignitate prorſus dubitat. Stellam a magis viſam arbitratur meteorum igneum, & erraticum fuiſſe, in media
CXV. aeris regione ſub figura ſtellæ apparens. Tertia Diſſertatione de ultimo Chriſti paſchate agit, Vechieto, Toynardo & Bern. Lamyo ſuffragatus, qui negarunt, Chriſtum ultima ante mortem cœna agnum Paſchalem cum diſcipulis comediſſe. Eam quippe cœnam fuiſſe ordinariam, nequaquam autem paſchalem, quippe ſequente demum veſpera inſtituendam. Hujus ſuæ opinionis, in Commentario breviter indicatæ, rationes in hac Diſſertatione reddit, e doctrina temporum, ex ſcientia ſiderali & variis veteris Eccleſiæ ritibus petitas, quæ noſtra opinione non exigui ſunt momenti, certe virorum eruditorum examine non indignæ.

I. In Commentario ad Matthæum, & in notis obſervat, *generationis* nomen ſæpe ſumi pro univerſa hominis hiſtoria & rebus ab eo geſtis Gen. V, 1, XXXVII, 2, Num. III, 1, Gen. II, 4. Ipſos Judæos fabulæ famoſæ, quam de Jeſu Nazareno confinxerunt, titulum inſcripſiſſe ספר תולדות יְהוֹשֻׁע h. e.

liber

liber generationis Chriſti. Filium Davidis Pſ. I Filio Abrahami præponi ob regiam & illuſtriorem Davidis dignitatem præ Abrahamo, & ceteris Chriſti majoribus. Miraculis, quæ Chriſto in Ægyptum adventante accidiſſe dicuntur, parum fidei p. 34.
tribuit. Deum Filium ſuum ex Ægypto *typice* vocaſſe, 36.
Matth. II, 15. Hebræos enim, Moſe ductore, ex Ægypto egreſſos, fuiſſe figuram reditus & reductionis Chriſti ex Ægypto, Oſ. XI, 1. Joſephum in enarranda Herodis vita necem in- 39.
fantum Bethlehemiticorum ideo præteriiſſe & neglexiſſe ſuſpicatur, quoniam ſecutus eſt Nicolaum Damaſcenum, qui facinus tam crudele & ignominioſum de induſtria ſuppreſſerit. Macrobium autem hominem profanum, & ſeculi quarti ſcriptorem, illud nequaquam ignoraſſe. Joannem Baptiſtam a 62.
peccatis non immunem fuiſſe. Cacodæmonem Chriſto manu & geſtu oſtendiſſe regna mundi, ad Matth. IV, 9, notat. 72.
Antiquitatem Synagogarum adſtructurus, provocat ad II Reg. IV, 23, Pſalm. LXXIV, 8, Judith VI, 21, Ezech. XXXIII, 31, Eſth. 79.
IV, 16. Fatetur autem, rariora fuiſſe ante captivitatem, & in ipſis vinculis Babylonicis ejusmodi ædificia, quæ poſtea in magnum numerum excreverint. Veterum Chriſtianorum conventus non exiguam cum ritibus in Synagoga uſitatis ſimilitu- 82.
dinem habuiſſe, poſt alios notat. Clauſulam orationis Dominicæ in Græcis codicibus extantem, pro ſubventanea habet, 147.
perſuaſus, illam ex libris liturgicis in textum Matthæi illatam. Diſciplinam arcani, in veteri Eccleſia ſancitam, & obſervatam, repetit ex Matth. VII, 6, ubi Servator ſancta canibus projicere 161.
vetat. Ad Matth. XII, 27 variis exemplis ex Scriptura, Joſepho & Patribus veteris Eccleſiæ allatis probat, inter Judæos eo tem- 283.
pore fuiſſe exorciſtas, qui certis ritibus & formulis, nonnunquam etiam quarundam herbarum odore, naribus admoto, dæmonia adjurarint, & ejecerint. *Fortem armatum* Pſalm. XXIX & Luc. XI, 21, ſuſpicatur veterum fuiſſe *atrienſem*, qui 285.
Virgilio dicatur *armiger, fidusque ad limina cuſtos*, qui in ingenti fuerit honore apud majores, Servio teſte, *adituus* etiam, quaſi à tuendis ædibus, appellatus. An Chriſti transfiguratio

 in 375. 376.

Digitized by Google

in monte Thabor facta ſit, dubium incertumque eſſe pronun-
ciat. Veri quippe magis ſimile videri, eam in monte, a lacu
p.504 Tiberienſi & Capernaumo remotiori, contigiſſe. Per Za-
chariam intra Templum & altare occiſum, Matth. XXIII,
505. intelligit Zachariam, Baruchi filium, a Joſepho memo-
ratum, cujus necem Servator h. l. prædixerit. Perbelle quip-
pe convenire & nomen, & locum occiſionis, & tempus, nem-
524. pe paulo ante excidium Templi & diſperſionem Judæorum,
quam Chriſtus hac oratione indicarit. Verba Servatoris Cap.
XXIV, *ubicunque fuerit cadaver, illic congregabuntur &*
525. *aquilæ*, explicat de Romanis cohortibus, Judæis immittendis,
ubicunque fuerint, in Syria, Ægypto, Phœnicia, Antiochiæ,
562. Cæſareæ, aliisque in locis. *Paſcha* a diſcipulis paratum, Matth.
XXVI, 19, exponit de diſpoſitione cameræ, menſarum, lecto-
rum, farinæ & aquæ ad panes azymos proximo die confici-
endos, nec non de perquiſitione cameræ & expurgatione
fermenti.

DIRECTIONS FOR STUDYING, I. A GENERAL Syſtem or Body of Divinity, II. the XXXIX Articles of Religion.

h. e.

INTRODUCTIO IN STUDIUM I. THEOLOGIæ ſyſtematicæ, II. Articulorum XXXIX normalium eccleſiæ Anglicanæ; acceſſit Epiſtola S. HIERONYMI ad Nepotianum. Autore THOMA BENNET, SS. Theol. Doctore & Eccleſiæ ad S. Jacobum in Diœceſi Colceſtrenſi Rectore.

Londini, ſumptibus W. Innys, Bibliopolæ, 1715, 8.

Plag. 13.

S. R. Autor in hoc ſtudii Theologici directorio commendat primo loco Syſtema Theologiæ generale, & poſt illud Articulos XXXIX normales Eccleſiæ Anglicanæ. Laudat imprimis S. Hieronymi epiſtolam ad Nepotianum, de vita Cleri-

corum

Digitized by Google

eorum, ceu hodegetam ſtudii Theologici, quam ideo integram ſub finem adjunxit. Suadet præterea, ut Studioſus Theologiæ legat ſcripta de officio Clericorum, S. Chryſoſtomi libros de ſacerdotio, S. Gregorii M. Paſtorale, Gilberti Burneti Curam paſtoralem, Herberti Paſtorem paganum & Henrici Dodwelli Epiſtolam conſolatoriam. His præmiſſis, autor eſt, ut examen de dignitate ſtudii Theologici inſtituat, item de utilitate & præmiis, de damno & pœnis eorum qui ſanctum hoc ſtudium negligenter tractant, utque porro ſeſe exploret, an ad hoc ſtudium & miniſterium novi fœderis ſit idoneus, & an firmiter ſibi poſſit perſuadere, quod in hoc vitæ genere præcepta Chriſti diligenter ſervaturus ſit. Deinde a Theologiæ ſtudioſo nonnullam ſcientiarum humanarum & linguarum, puta Latinæ, Græcæ & Hebraicæ, diſciplinarum etiam philoſophicarum, Logicæ, Ethicæ, Methaphyſicæ, Geographiæ, & Hiſtoriæ Sacræ & profanæ notitiam requirit. Fatetur quidem de ratione recte formandi ſanctæ Theologiæ ſtudii multa extare conſilia, ſed illis poſthabitis, ſuo ſe velle uti ingenio: non tamen ea temeritate, ac pertinacia, ut modeſte admonitus meliora & ſaniora reſpuat. Ante omnia vero neceſſe eſſe ſcribit, ut is qui ad ſacra hæc accedat, cognitionis Theologicæ ſummam familiarem ſibi reddat, ſed talem ſummam in Eccleſia Anglicana vix obviam eſſe putat, nec ſibi placere formam ſyſtematum Theologicorum lingua patria conſcriptorum. Tractanda igitur in hoc genere Theologorum exterorum ſcripta monet, qualia ſunt Franciſci Turretini, & Philippi a Limborch. Exigit quoque a Studioſo Theologiæ, ut requiſita religionis naturalis & revelatæ probe inveſtiget, locos de Dei eſſentia & attributis ſedulo evolvat, & Joh. Clerici Demonſtrationes diligenter legat, quo veritatem religionis Chriſtianæ cognoſcat. Sigillatim inquirendos eſſe errores Deiſtarum, quos fovent circa Articulos de revelatione divina, de voluntate divina per Chriſtum ejusque Apoſtolos hominibus patefacta, de libris novi Teſtamenti, eorumque veritate, de miraculis in primitiva eccleſia factis & eorum natura, de vaticiniorum propheticorum impletione, de certitudine reſurrectionis Chriſti, de miſſione di-

vina

Digitized by Google

vina Servatoris & Apoſtolorum, de inſpiratione cœleſti, de Script. Sacræ divina autoritate tam in Vet. quam in Novo Teſtamento, tum & de integritate Codicis Sacri, quo Eccleſia Anglicana hodie utitur. Singulari non minus cura & ſtudio inveſtigandas eſſe controverſias, quas cum Judæis habemus, & illis ex veteri Teſtamento ſolide ad oculum eſſe demonſtrandum, quod JESVS ſit iſte Meſſias, de quo Prophetæ inſtinctu Spiritus Sancti ſint vaticinati, quodque Deus evidenter declaraverit, dum eum a mortuis reſuſcitaverit, & Apoſtolis ejus donum dederit miraculorum, aliaque, quæ de veritate religionis noſtra teſtantur. Commendatis inde ſcriptoribus, e quibus de Muhammedica ſuperſtitione cognoſci poſſit, & notata aliquot Capitibus Gentilium religione, ad ſublimiores chriſtianæ religionis doctrinas pergit, de SS. Trinitate ſcilicet, de incarnatione Chriſti, ſatisfactione pro peccato originali & actuali, reconciliatione peccatorum cum Deo per eum peracta, de obedientia ejus activa, & paſſiva, noſtri cauſa præſtita, de remiſſione peccatorum propter applicationem ejus meriti, de deſcenſu ejus ad inferos, reſuſcitatione ex mortuis, aſcenſione in cœlos, reſurrectione noſtra & æternitate præmii & pœnæ, ſive de vita æterna & inferno. In Articulis de prædeſtinatione, libero arbitrio, operatione gratiæ in converſione, univerſali redemptione, & perſeverantia in fide, caute eſſe verſandum monet, cum de his inter ſolidioris doctrinæ viros maximæ diſceptationes hactenus fuerint. Commendat vero in Quæſtione de Gratia Dei in opere converſionis, num ſit reſiſtibilis, an irreſiſtibilis? item de prædeſtinatione, Turretinum, Limborchium & Whitbyum: tum & eos ſigillatim enarrat, qui contra Pontificios, Lutheranos, Non Conformiſtas & Quakeros ſcripſerint. Ad pietatem promovendam multum prodeſſe putat Anglicanæ eccleſiæ Catechiſmum, religionis Chriſtianæ fundamenta complexum, quem methodice explicaverit Wakeſius Anglus in Commentario in Catechiſmum. Theologiæ Caſuiſticæ diem Dominicum & alios dies feriatos aſſignat, & in incrementum hujus & Theologiæ practicæ conſiderationis aliquot doctores Anglos, puta Kettlewellum, Hammondum

mondum, Tillotſonum & Barrovium nominat; quibus Stanhopii ideam veri Chriſtianiſmi addit, in qua Thomæ de Kempis libellum de Imitatione Chriſti imitatus eſt. Inprimis vero Theologiæ morali Studioſum diligenter operam dare jubet, & quæ ſunt alia non proletaria. Huic epiſtolæ parænecticæ poſt ſeptem & quadraginta S. Scripturæ dicta, quæ divinæ veritatis amans diligenter ob oculos habere debeat, qualia ſunt Jeſ. LVI, 10, 11, 12, Jer. I, 7, 8, Jer. II, 8, V, 30, 31, VI, 13, 14, 15, X, 21, XXIII, 1, 2, 3, Ezech. II, 34, 56, Ezech. III, 17, 18, 19, 20, 21, XXII, 26, XXVIII, 1-9, &c. Articulos XXXIX Eccleſiæ Anglicanæ normales recenſet & illuſtrat, annotatis commentationibus in illos præcipuis Theologorum Anglorum, de quibus cum aliunde conſtet, nihil nos hoc loco addemus.

MEMOIRS OF NORTH BRITAIN.

i. e.

COMMENTARII HISTORICI BRITANNIÆ Septentrionalis, ſive Scotiæ.

Londini, apud Jo. Baker & Jo. Graves, 1715, 8.

Plag. 20.

PRodierant haud ita pridem *Commentarii hiſtorici Scotiæ*, quibus facta Jacobi II ſummis extollebantur laudibus, & jactis in Wilhelmum III ſcommatibus, via religioni Catholicæ pandi, & libertati Scotorum retia tendi videbantur. Autori eorundem, quem Rigidioribus addictum, vivis coloribus depingit, atque vero nomine Georgium Lockhartum appellari exiſtimat Noſter, hoſce Commentarios oppoſuit, de eo maxime ſollicitus, ut ex documentis authenticis MSCtis Scotos & libertatis avitæ & ſacrorum Proteſtantium acerrimos ſemper propugnatores extitiſſe commonſtraret. In operis ingreſſu refert, quanta crudelitate ſub auſpiciis Caroli II & Jacobi II rigidiores fuerint adverſus Presbyterianos graſſati, adeo ut hanc maxime ob cauſam Argathelius capite plexus, & Jerviswoodius religio-

p. 25. 136. 221.

4. 9.

ligio-

ligionis & libertatis amantiſſimus ob literas ad illum miſſas, &
p. 136. confictam Presbyterianorum proditionem, laqveo ſuffocatus, &
5. in quatuor partes ſit diſſectus, plurimis inſuper in exilium actis.
13. Preſſi quidem his malis Scoti, fugiente tamen Jacobo, Wilhelmo adventanti ſeſe ſubmiſerunt, atque majore Parliamenti congregati parte conſentiente ipſi auxilia ſunt polliciti. Tum
15. vero & libertas Scotiæ & Presbyteriani fuere reſtituti, abolitis
76. 85. Epiſcopis, ita tamen ut Epiſcopales, libertate conſcientiæ iisdem relicta, ab officiis publicis excluſi minime cenſerentur. Nihilo-
76. minus inter Anglos, qui Regi fugitivo clam favebant, inde ſuis Epiſcopis maxime timendum eſſe clamitabant, licet Scotorum
82. Epiſcopi Anglicis fuiſſent diſſimillimi, quippe ab una Regis voluntate pendentes. Nimia quoque lenitate in peſſimos Jacobi Conſiliarios uſus Wilhelmus, modo imperium ipſius non de-
90. trectarent, plurimis malis anſam dedit. Hamiltonius enim
157. & Rigidiorum plurimi clandeſtina de Jacobo reducendo con-
20. ſilia agitabant; imo Dundæus facinorum, quæ ſub Jacobo Rege
66. in Presbyteros patraverat, probe conſcius, eoq; pœnam veritus, ſeditionem concitavit, paucis in ſocietatem ſceleris pellectis; atque hoc in prœlio occumbente, Buchanus aliquandiu rebellibus præfuit. Cæſus quoque in iisdem Alexander Macdonal-
90. dus, Glencovius vulgo dictus, cum in Regis gratiam receptus, jusjurandum intra conſtitutum tempus non præſtitiſſet, quod Wilhelmi mandato accidiſſe criminabantur malevoli, quamvis Præfectorum culpæ vel ignorantiæ & Glencovii pertinaciæ id magis ſit tribuendum. Aliam deinde viam invenere Jacobo clam
104. addicti, qua omnia perturbare in Scotia poſſent, cum de ſocietate mercatorum ad merces ex Africa aſportandas ineunda, aſcitis ſimul Belgis atque Hamburgenſibus, conſultarent, quibus
118. conſiliis Angli ſumma animorum contentione reſtiterunt. Curarunt etiam iidem, hiſtoriam quandam Scotiæ obſoletam a Drakio divulgari, eo ſine ut in Præfatione Scotos injuriis oneraret, juſſu Scotorum a Carnifice poſtmodum combu-
120. ſtam. Greenius denique Anglorum Navarchus, Anna jam ſceptra tenente, obtentu Repreſſaliarum a Scotis captus & piraticæ accuſatus, licet non idoneis convictus teſtibus, ut plebi

bi

bi ab iſtis concitatæ ſatisfieret, morte eſt punitus. Conſpirati-
oni demum cum Gallis, ut Scotiam invaderent, autore Fra- p. 142.
zerio exule quodam, anno 1703 Rigidiores Scoti nomina dede-
rant, cujus detectæ famam ipſi ſedulo ſuppreſſerunt. Unio-
nem Anglos inter Scotosque inde ab anno 1689 tractatam Ha- 57.
miltonius, ſpem improbam regni in ſe transferendi forſan fo- 195.
vens, & Jacobi fautores, (quibus Fletcherium minime annu- 189.
merandum, Autor exiſtimat,) variis artibus impedire conaban- 158. 162.
tur, ut, incerta ſucceſſione relicta, vias Jacobo aperirent, imo 169. 180.
vix concluſam Unionem diſſolvendam iterum vociferaban- 196. 199.
tur. Scotiam denuo tentaverant Galli, curante Hookio, quos 200.
Hamiltonius, licet aliquantum offenſus, quod ſummam rerum 157.
ſibi committere noluiſſent Galli, juvare tamen voluiſſe crede- 208. 241.
batur, modo illi ſalvi in terram claſſe appuliſſent. Rigidiores 215.
tandem Anglos Scotosque eodem collimaſſe Noſter autumat, 218.
dum filios Parium Scotiæ in Domum Parliamenti inferiorem in- 235.
trudere annituntur: Præſidem Collegii Advocatorum, nu- 263.
mum quendam a Duciſſa Gordonia ipſis dono miſſum accipere 271.
detrectantem, officio privant, atque Scotos gravitate tributo-
rum eo adigere moliuntur, ut Unionem felicibus Reginæ au-
ſpiciis firmatam vi diſrumperent.

PETRI RELANDI, JCTI, FASTI CONSULARES, ad illuſtrationem Codicis Juſtinianei ac Theodoſiani ſecundum rationes temporum digeſti. Additur Appendix HADRIANI RELANDI.

Trajecti Batav. apud Guil. Broedelet, 1715, 8.
Alph. 2 plag. 14.

DEcem anni decurrerunt, ex quo *Theodori Janſonii Almeloveenii* Faſtos conſulares videre licuit orbi literato, recenſitos nobis Anno 1706 p. 353. Dignum laude opus illud multum vicit induſtria Petri Relandi, non ita pridem in flore ætatis exſtincti, relicto hoc ingenii præſtantiſſimi fœtu, quem

in lucem nunc produxit Frater ipſius, Hadrianus, clariſſimi Vir nominis, nobisque non ſemel eximie laudatus. Is ſplendidiſſimo huic Operi & Præfationem adjunxit & Appendicem. In priori non ſolum docet, ſe Fratris opus ex ſcriniis ſuis locupletaſſe, verum etiam luculentiſſime demonſtrat, allatis exemplis compluribus, quot quantasque tenebras in hiſtoria veteres Fa-
p. 749 ſqq. ſti diſſiparint. In poſteriore, ſcilicet ne quicquam perfectioni operis deeſſet tria monumenta lectoribus antiquitatum curioſis exhibet. Primum locum tenent *Faſti Conſulares Græci*, ex codice MS. bibliothecæ Mediceæ depromti. Hos quidem jam Dodvvellus, præſcripto Theonis nomine, ediderat in Appendice ad Diſſertationes Cyprianicas. Sed Hadrianus noſter eos cura Cl. Salvinii denuo deſcribendos curavit, ac ratus, eos Theoni adſcribendi non juſtam eſſe cauſam illam, quod eodem codice cum Theonis opuſculis contineantur, maluit appellare *Faſtos Florentinos minores*: quemadmodum e contrario illos Faſtos, qui temere nimis Heracliani crediti & a Dodwello nominati ſunt, vocavit *Florentinos*, & utramque appellationem Fratris operi inſeruit. Altera Appendix ſunt *Faſti conſulares Latini*, ex MS. codice bibliothecæ Oxonienſis illius, quæ Collegii corporis Chriſti eſt, primum nunc editi. Tertio loco prodit Henrici Brencmanni, JCti, *Epiſtola de Conſulibus, quorum in Pandectis fit mentio.* Hæc duabus conſtat partibus: quarum prior exhibet Antonii Auguſtini, doctiſſimi illius Archiepiſcopi Tarraconenſis, Diſſertationem de nominibus Conſulum in Pandectis memoratorum; decerptam ex ejus rariſſimo opere *De nominibus propriis τȣ̃ πανδέκτȣ Florentini*: poſteriore ipſemet Brencmannus Relandinum opus doctiſſimis annotationibus illuſtrat atque locupletat. Quod ad ipſum opus Petri Relandi attinet, initium is cepit anno ab V. C. 898, Chriſti 146: deſiit in anno C 559. Methodus, quam ſequitur, hæc eſt, ut ſingulis annis adſcribat duorum Conſulum nomina, eaque, quando fieri potuit, integra: deinde ſubiungat legem civilem vel leges, quibus eorum nomina addita leguntur: tum ex hiſtoricis ac chronologis, item antiquis lapidibus, eosdem conſules ſive illuſtret

Digitized by Google

ſtret ſive confirmet. Tam autem diffuſa hic apparet Autoris lectio in producendis & veterum ſcriptorum locis & priſcis marmoribus, ut vix quicquam ejus notitiam hoc in genere effugiſſe videatur. Ex his, quæ diximus, manifeſtum eſt, quantum lucis hoc Opere inferatur & hiſtoriæ Romanæ & chronologiæ, poteramusque lectores noſtros jam dimittere. Attamen ne nihil ſpeciminis proferendo morem migremus noſtrum, unam ſaltim alteramque obſervationem adduxiſſe juvabit. Pag. 17 ex marmore quodam demonſtratur, Antoninum Pium Imp. dictum quoque fuiſſe Hadrianum: hinc lux affunditur locis illis in Jure, quibus *Divo Pio & Hadriano* idem tribuitur. Conf. p. 27. Pag. 94 notat errorem omnibus in legibus anno C. 200 latis commiſſum, dum iis inſcriptus eſt Severus Aug. Conſul, cum tamen eo anno T. Claudius Severus conſulatum geſſerit, adeoque duo Severi confundantur in unum. Alium p. 108 & 113 notat Autor errorem in legibus, *Getas* duos, quorum alter Caracallæ frater, alter frater Severi Imp. fuit, pro uno eodemque homine habentibus. Pag. 74 obſervat, Dionis Caſſii hiſtorici, qui & ipſe deinceps Conſul factus eſt, patrem, Caſſium Apronianum, fuiſſe conſulem A. C. 191. Pag. 682 oſtendit, integrum Caſſiodori nomen hoc eſſe: *M. Aurelius Caſſiodorus Senator*, adeoque *Senatorem* non eſſe hoc loco nomen dignitatis, ſed nomen viri proprium. Quare indignatur, cum vulgo *Caſſiodorum* appellari, cum *Senator* dici debeat, ſi uno inſigniatur nomine. Pag. 175 ſeqq. *Faſtos Florentinos minores*, qui ab anno C. 235. valde turbatos repræſentant Conſules, corrigit, & nomina Conſulum ſuis quæque annis reſtituit, aliorumque ita dubitationes ex illis Faſtis natas docte ſolerterque tollit. Denique nec illud omittendum ducimus, quod, teſte pag. 7, Cl. Franciſcus Heſſelius edere parat *Corpus Inſcriptionum veterum a Marquardo Gudio collectarum*; ex quo jam aliquot Inſcriptiones huc inſertæ ſunt Heſſelio benevole communicante.

Digitized by Google

JOSEPHI AVERANII V. CL. JCTI, ET IN illuſtri Academia Piſana Anteceſſoris Interpretationes Juris Libri duo; in quibus multa cum Juris Civilis, tum aliorum Veterum Scriptorum loca nova ratione illuſtrantur, multa item ex Antiquitate Romana Græcaque docte pertractantur.

Lugduni Batavorum, apud Petrum vander Aa, 1716, 8.
Alph. 2 plag. 3.

Poſt Benedictum Averanium, Rhetorem Florentinum, virum omni laude dignum (Supplem. Tom. IV Sect. IIX p. 367 ſeqq.) nunc Joſephum Averanium, non Rhetorem, ſed excellioris ingenii Virum ac JCtum, exhibemus. Cujus Libri duo Interpretationum Juris fauſta illa occaſione, qua V. C. Henricus Brencmannus, tunc operam dans Florentiæ collationi MSC. Pandectarum, ſimul in notitiam & familiaritatem Noſtri venit, & capita quædam Operis hujus ſelecta vidit, eaque ad principes JCtos Belgas, Cornelium van Bynckershoek, & Gerardum Noodt, alioſque miſit, judicio omnium & applauſu nunc cum erudito orbe communicantur. Mirabantur enim iſti cum profundam Viri doctiſſimi eruditionem, tum limatum judicium, ſummamque prudentiam Juris, certe antiquioris ac veteris Romani. Primum ſpecimen quinque adeo capita Libri I de Juriſdictione complectitur, & c. III exponit, cur more majorum, i. e. jure civili, merum imperium mandari non potuerit, *L. 1 pr. & §. 1 de offic. ejus, cui mand. eſt juriſd.* Nam *a Lege dari* imperium merum, i. e. non niſi a Populo aut a Senatu, quod allato pulchro admodum loco Ciceronis illuſtratur: *Si hoc fieri poteſt injuſſu populi*, (ſtante republica ſcilicet,) *jam non Decemviri ſed Reges conſtituuntur*, & *ab his initiis fundamentiſque ii naſcuntur*, *& omne veſtrum, Quirites, jus, poteſtas libertaſque tollitur.* Differentiam Juriſdictionis & mixti imperii proponit Noſter Lib. I Cap. 4. Illam eſſe jus cognoſcendi, vel notionem, jure magiſtratus competentem. Hoc, poteſtatem modice coercendi, cohærentem juriſdictioni, ad eam tuendam & explicandam.

Libr. I c. 3.

Cap. 4.

dam. Vocari mixtum, quia cognitioni miſcetur. Etiam magiſtratus municipales habuiſſe hoc mixtum: ubi momentum aliquod ponit in L. 131 *de V. S.* per *ſolos* enim *magiſtratus* ibi intelligi municipales. At vero L 26 *ad municip.* loqui de magiſtratibus majoribus, eorumque jurisdictione excellente, atque eminente poteſtate. Ulpianum & Africanum, ſive L. 10. *de jurisd. omn. jud.* & L. 77. *de judic.* ut componat JC. Piſanus, Cap. 5.
non ſatis ei eſt, L. 10 loqui de judiciis publicis, L. 77 de privatis, in quibus ſcil. Prætor judicem dabat e numero ſelectorum, quorum nomina, (cum juraſſet, ſe optimum quemque ſeligere, habita tamen ratione cenſus & equeſtris hereditatis,) deſcribebat in albo, ad diſceptanda negotia privata. Ulterius & altius progreditur: cur pater poſſit judex eſſe in cauſa filii, filius in cauſa patris, quum ne quidem jus dicere poſſint invicem, ubi tamen minus periculum imminere videatur? Reſpondet, magiſtratum jus dicere etiam in invitum, & quidem ſine ſpe reſtitutionis, judicis autem dati ſententiam appellatione reſcindi, nec dari illum invito, ſed ſibi actorem imputare debere, ſi in cauſa filii judicem accepit Patrem, vel reciproce. Eruendam hanc rem eſſe ex memoria antiquitatis. Solebat actor unum ex ſelectis iſtis poſtulare judicem: ſed poterat reus eum rejicere, ſi ejeraſſet, ſe æquo jure apud illum diſceptare non poſſe. Nec putat Noſter, neceſſarium fuiſſe, ut cauſam adderet, judicio nondum cœpto. Si autem actor judicem talem reo aut non ferret, aut reus eum ejeraſſet, tunc Prætor, quem volebat, ex iisdem ſelectis judicem dabat: ſimiliter, ſi reus in iſtum conſentiret, quem ferebat actor, Prætor eundem judicem addicebat, velut ex conſenſu & conventione litigatorum. Erant ergo ſuæ partes Prætoris, erant & litigantium: & certo modo hic comparari judicem datum arbitro ex compromiſſo mero partium, *Lib. 6. de recept. arbitr.* Sicut igitur ibi filius in cauſa patris arbiter eſſe poteſt, quia ſibi imputare debet, qui conſentit vel in patrem vel in filium, *L. 27 §. 2 de recept. arb.* ita & in re præſenti poteſt eſſe judex. Alterum ſpecimen depromit Cl. Averanius per aliquot iterum capita Libri I ex Jure Prætorio, ejusque autoritate, cujus ignoratio 6.
multos in Jurisprudentiam errores invexerit. Ac primum c. 6 quan-

Digitized by Google

quandam velut hiſtoriam Juris Prætorii & Edictorum usque
Cap. 6. ad Edictum perpetuum præmittit, occaſione §.7 *I. de J. N. G. & Civ.* ubi caſtigatur Theophilus, quod datum fuiſſe dicat Prætori urbano & peregrino & ædilibus curulibus, præcipue jus Legis ferendæ. Confundi hic jus Legis ferendæ cum poteſtate edicendi. Aut leges eum populariter vocaſſe edicta. Prætorem potuiſſe legem ferre & populum rogare, populum autem ſolum legem condere, ſciſcere, eique vim & autoritatem dare. Aliud eſſe legem condere, aliud jus conſtituere, quod etiam Prætoris edicta comprehendat ac totum jus Prætorium. Poſſe Prætorem jus conſtituere & abrogare: legem condere & abrogare non poſſe. Juris ceu generis, ſpeciem eſſe, legem. Sed nec populo approbante edicta Prætoris vim legis accepiſſe: quia approbatio illa nunquam facta ſit. Unius anni finibus circumſcripta, ideoque non populi autoritate ſed ſolius Prætoris annui fuiſſe nixa: ut tamen Prætores poſſent Leges a populo conditas tractare, ſupplere, corrigere, mitigare, adjuvare. Et hanc poteſtatem Prætoribus ademptam non fuiſſe per Legem Corneliam anno Urbis 687, neque ex eo tempore fuiſſe ſemper unum idemque Edictum omnium Prætorum perpetuum, vim legis obtinens. Nam per illam Legem Corneliam ambitioſos tantum Prætores fuiſſe coercitos, non autem prohibitos quo minus ſua edicta proponerent & a vetere recederent, dummodo a proprio non recederent edicto, neque id mutarent. Hoc ſenſu diu ante Legem Corneliam anno Urbis 586 idem cautum fuiſſe SCto, *Prætores ut ſuis edictis perpetuis jus dicerent*. Non, ut Edicta eſſent perpetua, quoad tempus, ſed quoad officium & comparate ad alia adhuc magis temporaria, quæ, prout res incideret, unius negotii cauſa tantum proponebantur. *L.7.pr. de Juriſd.* Secutum autem Edictum perpetuum demum ſub Hadriano Imp. Salvii Juliani opera in eo digerendo utente. Et iſtud ſimiliter non habuiſſe vim Legis, ſive per confirmationem Hadriani, ſive per approbationem Iuſtiniani. Neutrum enim mutare voluiſſe naturam Edicti Prætorii: reliquiſſe ei autoritatem juris (non Legis,) eamque non modicam quidem, non tamen dediſſe ſummam ac maximam aut ſupremam poteſtatem vetandi & imperandi, Legi propriam. d. §.7. Addit Noſter, probabile

eſſe

eſſe, quod Salvius Julianus, cum Prætor eſſet, in Edicto perpetuo propoſuerit etiam interdictum Salvianum, n. 23. Succedit Jus Bonorum poſſeſſionis, plane a Prætore introductum: ac præmittuntur c. 7 nonnulla, quæ ſibi Noſter velut concedi ante omnia poſtulat, ut inferius proſint. Filius, ſuus heres, ſi præteritus ſit, poteſt teſtamentum vel nullum dicere Jure civili, vel a Prætore petere B. P. contra tabulas. Si rite ac pure exheredatus ſit, Prætor ei non dat B. P. quia non impugnat directe teſtamentum. Habet autem filius querelam inofficioſi, ceu remedium Juris Civilis. Si non ſit ſuus heres, ſed emancipatus, & præteritus, iterum Prætor dat ei B. P. perinde ac ſi eſſet ſuus. Si emancipatus & exheredatus ſit, petit ante omnia B. P. litis ordinandæ gratia, ſive *unde liberi*. Hæc de filio, per ſe ſpectato. Si moriatur filius, ſuus heres, relicto fratre emancipato, & præterito, datur huic B. P. perinde iterum ac ſi eſſet ſuus, & nunquam emancipatus. Si duo ſint fratres, & pater exheredaverit ſuum heredem, præterierit autem emancipatum, inſtituto herede extraneo, erit in poteſtate hujus extranei, quid conſilii capiendum exiſtimet? Nam ſi is adeat, ſubſiſtit hactenus exheredatio, ſed tunc per B. P. contra tabulas emancipatus & præteritus auferet totam hereditatem ab herede inſtituto extraneo. Si autem repudiet extraneus ille, exheredatus ſuus heres pro dimidia parte ſuccedet ab inteſtato, & emancipatus præteritus per B. P. contra tabb. pro altera dimidia *L. 20 pr. de B. P. contra tabb.* (Noſter *c. XI n. 33.*) Contra ſi duo ſint fratres, & pater præterierit ſuum heredem, emancipatum autem exheredaverit, ſcriptis heredibus extraneis, emancipatus iterum non habet B. P. contra tabb. Præteritus autem ſuus poteſt teſtamentum vel nullum dicere, ut ſupra; vel petere B. P. contra tabb. Si hanc petat, ſubſiſtit hactenus exheredatio. Sed exheredato tunc ſupereſt querela inofficioſi. Si autem ſuus dicat nullum, nulla eſt etiam exheredatio, & ſic uterque ſuccedit ab inteſtato, per B.P. unde liberi. Neutro igitur caſu ſuccedent heredes ſcripti; qua filius præteritus impugnavit teſtamentum, & vel jure Civili vel Prætorio avocata eſt ab illis hereditas. *d. c. XI n. 35 ſeqq.* Subobſcura ergo videbatur Averanio *L. 17 C. de collat.* aut plane contraria; quaſi petita c. 7.

B. P. contra tabb. locus ſit ſucceſſioni inteſtatæ, & per illam reſcindatur teſtamentum. Reſpondet, Leonem Imp. intelligendum tantum quoad effectum collationis, in reliquis eum loqui minus proprie. Emancipati ſi ſint exheredati, non habent pro-
c. 8. tinus & immediate querelam inofficioſi, quia jure Civili ſunt incogniti, nec pater per exheredationem illis fecit injuriam. Præparandi ergo ſunt per Prætorem ad agendum ut fiant capaces ſucceſſionis, dataque illis B. P. *litis ordinandæ gratia*, poſſunt deinceps allegare, cur non debuerint inofficioſe exheredari. Deſierant enim ſui eſſe heredes propter capitis deminutionem; ſed illa reſcinditur a Prætore. *l. 6 §. 1 de Bon. Poſſ.* Maſcule pergit Noſter in eruendo Jure Prætorio, agitque nunc de Beneficio
c. 9. abſtentionis Prætorio, ſuis heredibus competente, an, ſi conveniantur illi a creditoribus hereditariis, hi probare debeant, ſuos ſe bonis paternis immiſcuiſſe? an vero ſui teneantur probare abſtentionem, h. e. repuliſſe ſe ac removiſſe a ſe hereditatem quæſitam? Poſterius affirmat D. Averanius, motus eo maxime, quod ſuus fiat heres ipſo jure, ſine ullo facto proprio, etiam ignorans, & invitus, adeoque a creditoribus hoc ſolum probandum, quod ſit ſuus. Ideo enim dici ſuum heredem, quaſi ſibi ipſi ſuccedat, non patri, quod elegantius a Græcis explicetur, qui eum vocent *αὐτοκληρονόμον*, *ſui ipſius heredem.* Nec dici heredem *fieri* per mortem patris, ſed *exiſtere*. L. 7 §. 1 de acquir. hered. quod pariter Græci elegantiſſime explicent verbo *ἀναφαίνεσθαι*, *apparere. Apparent enim heredes*, inquit, *& quodammodo emergunt*, *qui antea non apparebant*. Abſtentionem requirere factum amovendi ac repellendi ſeu derelinquendi hereditatem, & a ſe abigendi, n. 42 ſeqq. Nam & qui dixit, ſe nolle retinere hereditatem, is tenetur etiam revera abſtinere, quia filius non poſſit iterum amittere continuationem jam acquiſiti dominii, niſi facto aliquo ab eo adimatur & avellatur, *l. 11. de lib. & poſthum.* Veteres JCtos hanc probationem immixtionis nunquam exegiſſe. Nam in *L. 9 §. 1 de reb. dub.* D. Hadrianum non poſtulaſſe a matre probationem immixtionis filii, ſed ſtatim admittere matrem ad hereditatem patris, excluſis agnatis, n. 17 ſeqq. Similiter in *L. 19 §. 2 de caſtrenſ. pecul. L. 2 §. 11 ad SC. Tertull.* Porro etiam manere heredem filium, poſtquam

ab-

abſtinuit, & Beneficio Prætoris uſus eſt, *L. 30 § 10 de fideicom. libert.* ac teneri nihilominus creditoribus jure civili. *L. 57. de adquir. hered.* Cogi ergo heredes debere ad probandam abſtentionem, ſicut probanda eſt aditio ab eo, qui allegaverit quempiam heredem eſſe, n. 41. Qui dicit, ſe nolle retinere hereditatem, eum non ideo vere abſtinere, nam poteſt etiam poſtea non abſtinere. Et ſi quid poſtea amoverit, amittit beneficium abſtinendi, *L. 71 §. 3, 4 de acquir. hered.* Sed nec immixtio allegatur a creditoribus; fundant enim ſe in ſola ſuitate: ideoque immixtio ab illis non eſt probanda, n. 46. Præterea pupillus obligatur hereditati, etiam ſine tutoris autoritate, tantum jure ſuitatis, *L. 8 de acquir. hered. L. 6. pr. d. t. L. 12 de teſtam.* Sic competunt creditoribus actiones in ſuum heredem, etiam ante immixtionem, *L. 27 §. 3 ad SC. Trebell.* Confirmari hoc ait Noſter ex *L. 2 de condict. furtiv.* quod condictione furtiva obligentur & infantes, cum heredes neceſſarii extiterunt. Sed ipſe mox temperat ſententiam, n. 66, *ſi conſtaret de voluntate ſui heredis abſtinere volentis, utique & ipſi prodeſſet contra creditores hoc beneficium.* Vidit etiam *L. 12 de acquir. hered.* Ubi ſufficit, ſe non miſcuiſſe hereditati. Reſpondet, ibi non quæri, an videatur ſe abſtinuiſſe, qui non miſcuit, *n. 74.* Senſum autem hunc eſſe, *ei, qui ſe non miſcuit hereditati, ſemper liberum eſt ſe abſtinere.* Nec cogitur Prætorem adire: neque ut ab eo reſtituatur in integrum, neque ut ab eo obtineat hoc beneficium. Immo textum hunc eſſe ex libro XI Ulpiani ad edictum, ubi actum ſit tantum de reſtitutionibus in integrum quæ minoribus dantur, ſicut Lib. XII de reſtitutione majorum. Etiam reſcriptum, quod in hac lege occurrit, aperte tractare de ſola reſtitutione in integrum. Non ergo extendi debere verba legis ultra illam. Vidit porro *L. 1 C. Si minor ab hered. ſe abſtin.* & fatetur, ei demum minori petendam reſtitutionem in integrum, qui pro herede geſſit. Si non immiſcuit, ne teſtificari quidem debuit: foret enim ſupervacaneum. Si quis alleget contrarium, hunc ipſum illud probare debere. Alias ſufficere minori ſolam veritatem. Perit ergo onus probandi, nec minorem onerabit. Interpretes autem hoc in errorem induxiſſe, quod non diſtinxerint abſtinentes a non abſtinentibus.

Digitized by Google

FRANCISCI TORTI, MUTINENSIS, SEREniſſ. Raynaldi Mut. Reg. Mirand. &c. Ducis Medici, & in Patrio Lyceo Pr. Med. Profeſſoris, Therapevtia ſpecialis ad Febres quasdam pernicioſas, inopinato ac repente lethales, una vero China China, peculiari methodo miniſtrata, ſanabiles.

Mutinæ, apud Bartholomæum Solianum, 1712, 4.
Alph. 4 plag. 4.

TAndem ad oras noſtras noſtrasque manus paucis abhinc menſibus Clariſſ. Autoris pervenit Therapeutice ſpecialis ad pernicioſas quasdam febres, cujus Idea jam Mutinæ anno 1709 prodierat, cujusq; editionem ſub prelo ferventem nova inter literaria ſub finem Menſis Maji Anni 1711 pag. 238. in Actis noſtris retuleramus. Dum decantati enim Corticis Peruviani uſum in omnibus febribus nonnulli penitus ſuſpectum reddere, alii e diverſo nimium extollere ſatagunt, Autor experientiſſ. in Therapevtice præſenti media incedens via vires ejus in multis febribus egregias ac proficuas, in variis autem vanas & inutiles, per experientiam non minus propriam ac alienam, ample confirmat. Sed quia methodum ſibi ſolennm Chinam Chinæ propinandi vix ſufficienter ſecundum omnes circumſtantias absque prævia febrium deſcriptione poterat edocere, idcirco curam eo direxiſſe deprehenditur, ut in L. I. Febres intermittentes quascunque benignas, in II pernicioſas intermittentes ex Mercati & Mortoni obſervatione, ſuis adjectis Scholiis, in III cunctas pernicioſas, tum plane intermittentes, tum ſubcontinuas ex obſervatione propria, & poſtquam curationes inſignes quamplurimas omnium ſpecierum ejusmodi febrium pernicioſarum in l. IV exhibuisſet, in V Febres continuas & complicatas, nec non alios quosdam morbos, præſertim recurrentes, una dilucidaret, omnemque febrium differentiam ſingulari Arboris febrifugæ icone illuſtraret. Quam febrium nihilominus theoriam prolixam non æque nobis nunc recenſere liceat ac methodum ipſam, qua Noſter in febribus debellandis librum de Peru adminiſtrare ſolet,

Digitized by Google

let, potiſſimum quod talis, circumſtantiis ubi, quando & quomodo circumſcripta, pro totius Operis ſumma ab eodem reputetur. In recto ſcilicet Chinæ Chinæ uſu ante omnia expendere jubet febrium naturam, in quibus illa conveniat vel non conveniat: non convenire ſiquidem in ephemeris, hecticis veris, ſive primariis ſive ſecundariis, continuisq; continentibus, ſeu non remittentibus, tam ſolitariis, quam comitatis, quibusvis, convenire autem tum in febribus vere intermittentibus, & benignis, & malignis ſive perniciofis, i. e. ſymptomate aliquo periculoſo, cholera puta, fluxu ſanguinolento vel atrabilari, cardialgia, ſudore frigido, ſyncope, algore indeſinenti, aut ſoporoſo affectu gravi, ſtipatis, tum in ſubcontinuis ſeu intermittentibus, in continuas quæ degenerarunt, hemitritæis, lentis puerorum, nunc ex prægreſſis intermittentibus, nunc ex ſimplici adephagia propullulantibus, iisque morbis periodicis, qui in primis viis radicari annotantur. Dehinc temporis opportuni rationem probe habens cavere præcipit, ne Cortex vel ſerius in occaſione præcipiti, vel celerius in intermittente minus corruptiva ſibique magis aliquandiu relinquenda, exhibeatur, cum in intermittentibus perniciofis ſymptomatis urgentis atrocia, & in ſubcontinuis celerior in acutam vergentia, celerrimum ejus uſum omnino efflagitaret, in intermittentibus vero benignis ægri plerumque conſtitutio purgationem, venæ ſectionem aliaque præmitti, rariusque paroxysmi febrilis vehementia corticis aſſumptionem mox in principio exigeret. Maximum tamen methodi ſuæ momentum in proportionata demum Chinæ Chinæ quantitate ad febres ipſas fugandas collocat, aliamque ejus doſin in intermittentibus benignis, aliam in periculoſis vere intermittentibus, aliam deniq; in ſubcontinuis commendat. Febri quippe intermittenti benignæ, tam ſufflaminandæ, quam Recidivæ ejus avertendæ unciam unam laudati corticis ſufficere pro certo affirmat, ſi in ſimplici ipſo paroxyſmo accedente, vel ubi vomitus metuitur, eodem declinante corticis Peruviani in tenuiſſimum pulverem redacti drachmæ duæ ad proximum acceſſum inhibendum ex vino propinentur, ac omni poſt mane Recidivæ præcavendæ ergo drachma ejus dimidia per octo circiter dies, hisque

 elapſis:

elapſis ſcrupulus unus per alios ſex ſaltem dies, reiterentur. Nec uberiorem ipſius quantitatem in tertiana v. g. duplici requiri, modo primæ drachmæ duæ ipſo graviori inſultus die aſſumerentur, in hacque aſſumtione inſequens gravior correſpondens prius, quam mitior, ſupprimeretur, cum experientia doceat paroxyſmum vehementiorem perſiſtere ac tertianam duplicem in ſimplicem tranſire, ſi cortex levioris acceſſus die in uſum ducatur. Aſt in febri periculoſa vere intermittente, in qua ſymptoma ferale ægrum in talem repente conjicit ſtatum, ut acceſſionem, quam actu patitur, difficulter ſuperare ac inſequenti ſuperſtes futurus videatur, quantitatem Corticis antipyretici multo majorem laudat proficuam, dum unciam unam aut ſaltem ſex drachmas ejusdem pulveriſati ad proximum inſultum impediendum ac totidem circiter ad firmandam poſtea valetudinem & recidivam arcendam ea poſtulat ratione, ut de drachmis v. g. ſex primo hauſtu ſemiuncia circiter, & reliquum partitis vicibus, e. g. drachma una poſt horas ſex vel octo, ultima tamen doſis duodecim ad minimum ante paroxyſmum horis, ingeratur, poſt paroxyſmum autem ſublatum, ne is redeat, ad drachmam unam quotidie per tres circiter dies, dein ad ſemidrachmam bis in die per alios tres dies, repetatur. Tandem in curanda febri ſubcontinua, prout hæc, vel tardius, vel celerius, ad *continuitatem* tendit, doſin Chinæ Chinæ nunc minorem, nunc majorem tali proportione in genere diſpenſat, quæ ſenſim paroxyſmos ad continuitatem & malignitatem vergentes enervare valeat & tollere, antequam tempus probabile *futuræ continuitatis* advenerit. Sic in tertiana v. g. intermittente, tardius in *continuam tranſitura*, quatuor vel quinque paroxyſmis transactis & *præmittendis* præmiſſis, ſtatim mane v. g. ſcrupulos quatuor vel drachmam ejus unam ſemis, & veſperi drachmam ſemis, vel ſcrupulos duos, die autem ipſius acceſſus mane ad drachmam unam vel duos tantum ſcrupulos, totidemque ſero declinante febri, cum aliqua aqua deſtillata, v. g. Cardui benedicti, præſcribit, per duos vel tres dies ſcrupulos adhuc quatuor, vel circiter, partitis vicibus continuans, qua febri ſublata, ne eadem facile repul-

repullulet, poſt quietem unius vel alterius diei corticem rurſus ad drachmam dimidiam, modo ſemel, modo bis in die, juxta majorem vel minorem ægri ad recidivam proclivitatem offerens. Verum in tertiana intermittente, v. g. celerius ad continuitatem properante, ſimul ac obſcurior incipit intermiſſio aut graviora etiam ſymptomata apparent, e. g. motus artuum tremuli vel convulſivi, delirium non plane intermittens, vox tremula, urina ſubjugalis, ſingultus, ſimiliave, prima vice duos ſaltem vel etiam tres Corticis drachmas, altera dein die drachmam unam mane & veſperi commendat, ad drachmam poſtea dimidiam deſcendens, modo ſemel, modo bis in die, ingerendam, donec prima corticis uncia conſumta fuerit, cum altera uncia, vel integra, vel dimidia in præſervationis gratiam eodem modo eademque proportione, qua de periculoſis vere intermittentibus fuit dictum, debeat diſtribui. A præſcripta interim Chinæ Chinæ quantitate diverſa diverſisque febribus proportionata ipſe Autor aliquando recedere, vel ab ægro, vel a febri cogitur, dum in febribus intermittentibus benignis, ſi aut æger delicatior fuerit, aut febris debilior & diuturnior, pro doſi etiam dimidiam Corticis drachmam quotidie exhibet, usque febris ceſſaverit, in intermittentibus autem perniciofis minus auctis in parciori pariter ejus quantitate utrumque inter paroxyſmum ſubſiſtit, ac in ſubcontinuis propter deglutitonis difficultatem non tam Chinæ Chinæ pulverem, quam ſatiuratiorem Tincturam, per os aſſumendam ſeligit pulveremque ſub forma Clysmatis ano infundendum relinquit, peculiari atteſtante Hiſtoria in Lib. 3 Cap. 6 commemorata Cæterum tametſi Noſtri methodus fortior, qua febres perni.cioſas vere intermittentes feliciter proſternt, cum *Mortoni* methodo, Corticem Peruvianum in ſubcointinuis malignantibus adminiſtrandi multum convenire videatur, in quibus tamen circumſtantiis ab eadem recedat, non modo evidenter oſtendit, ſed & quomodo ipſe multo ante tempore, quam Mortoni ſcripta legerit, largorem Chinæ Chinæ doſin in uſum duxerit, pariter ac quod puliverem ejus ſub Clyſteris forma inteſtinis injici ante Helvetum cu raverit, indubiis comprobat obſervationibus.

JOH.

JOH. ADAMI GENSELII, PHIL. ET MED. D. S. Cæſ. Majeſt. Acad. Nat. Curioſ. Collegæ, Reg. Lib. Civit. Sopronienſis Phyſici Ordinarii, Obſervatio Curioſa de Procidentia uteri totali quoad fundum cum febri maligna.

Fœmina 28 annorum, uxor pannificis hujus loci Krauß dicti, temperamenti ſanguinei, corripitur febri maligna, curata vel potius deſtructa per novem dies continuos a quodam barbitonſore: decima accerſitus omnia in peſſimo inveni ſtatu, venæſectionem neglectam, totalem virium proſtrationem, reſpirationem difficillimam, diliria immania, acceſſit procidentia uteri totalis cum urinæ ſuppreſſione. Uterus quidem vinculis undiquaque alligatur, ut Hollerius inquit, ante, retro, ſuperius, inferius, oblique ad collum & inguina, oſſi pubis & ſacro per tunicam a peritonæo dextra & ſiniſtra parte annectitur: vaſis etiam magnis, per arterias & venas, præſertim ſpermaticas, ſpinali medullæ per nervos, recto inteſtino & veſicæ per fibras tenues, unde & maximus uteri conſenſus cum toto corpore; aſt in hoc ſubjecto uterus totaliter inſtar marſupii inverſus, non quoad orificium, ſed quoad fundum deſcendit, extra vaginam propendens tumore liveſcente, cucurbitam duarum librarum æquans, omnibus fimbriis, vinculis, ligamentis nerveis, latisque ac membranoſis & rotundis laxatis, imo quibusdam ruptis, nullo plane penitus penitusque apparente foramine. Magna lis eſt inter doctiſſimos etiam recentiores Medicos de procidentia uteri, adeo ut de nullo fœminarum affectu magis diſquiſitum ſit, quam de hoc: ut taceam ex Græcis Aetium & plures, D. Beckius cum Garmero Medico Hamburgenſi diu diſceptavit de prolapſu matricis, & præ indignatione (ut Pechlinus retulit) mortuus, Helvius item & Lindenius mordicus illum negarunt; miror tamen Hornium peritiſſimum alias Anatomicum eundem negaſſe, qui experientia ſine dubio caruit, ſola ſpeculatione uſus: eundem vero affirmant ex Arabibus Avicenna, & ex noſtris Platerus obſerv. p. 761, Carpius in Iſagog. anat. p. 23, Rolfincius de part. genital. p. 164, Paræus L. 23 C. 4, Hildan.

Cent.

Cent. 4 obſ. 60, Regn. de Graaff p. 143, Brunnerus de morb. mul. L. 2 C. 18, Diemerbrok anat. L. 1 C. 24, Marchettus obſerv. 61, Maurit. de morb. mul. L. 4 C. 6, Solingen. Harveus L. de partu p. 347, Blaſius P. 3 obſerv. 1, Bartholinus C. 2 hiſt. 91, Act. Haſn. Vol. 2 obſerv. 44, Corn. Stalpart von der Wiel obſerv. rar. Cent. 1 C. 67 & Hippocrates noſter in multis locis, imprimis L. 2 de morb. mul. C. 33 teſtatur: ego quoque oculatus ſum teſtis, manibusque palpavi, fuit vero hæc procidentia externa completa, ut verbis utar Wedelii, inter omnes Medicos noſtri ſeculi de tota re litteraria imprimis Medica, tam ſcribendo quam docendo per novem luſtra certo meritiſſimi; quam & aliquoties in Italia in Xenodochio Romano, Patavino & Veneto obſervavi: abſurdum itaque foret ſenſuum teſtimonio ac experientiæ rerum magiſtræ contradicere, una quippe experientia & hic plus valet, quam centum rationes. Cauſam vero hujus procidentiæ ægra attribuit imperitiæ obſtetricis, vaginam intempeſtive ante aliquot ſeptimanas in partu loco ſecundinæ vi trahentis & arripientis. Sanguinis tamen eruptionem non vidi, quam Rodericus a Caſtro & Primoroſius ſine ratione affirmant in tali procidentia: vaſis enim ruptis ſanguis non tam extra corpus, quam intra abdomen profunditur, imo uteri fundum omnibus ligamentis ſolutis in aere quaſi pendentem extravaſatus ille ſanguis pondere ſuo ita aggravat ac comprimit, ut prolabi neceſſitetur: nec, niſi mentis impotem id negare poſſe crediderim. Vigeſima die durantibus adhuc deliriis acceſſerunt ſuffocationes uterinæ ac convulſiones ſummo cum tremore ob partium nervearum membranoſarumque partim diſtenſionem, partim ruptionem: uterus a continua femorum alliſione, ac excrementorum contaminatione nimium quantum tumefactus, ab attritu & incubitu intertriginoſus ex livido rubens gangrænam minitabatur; cumque talis præcipitatio uteri totalis cum inverſione, imprimis in febri maligna, ut plurimum lethalis obſervetur, exiguam ſpem de ſalute ægræ hujus concepi. Continuatis tamen bezoardicis, analepticis, travmaticis, uterinis ac nervinis, adhibui fotus emollientes ex rad. lil. alb. alth. ſymph. Hb. ſanic. pariet. malv. chamm. melil, verbaſc. ſem. lin.

 fœn.

Digitized by Google


fœn. græc. in lacte coctos, uterumque clunibus elevatis, femoribus decuſſatis, poplitibus reflexis ac divaricatis, per obſtetricem reponi, ac candela cerea ol. lil. alb. & momord. inuncta blande intrudi curavi, reiteratis fotibus & cataplasmatibus, impoſito quoque circulo e ſubere confecto cera obducto, & pectini ac oſſi ſacro empl. contr. rupt. cum maſtich. ſuccin. tacamah. galb. lap. magn. Tandem vigeſima prima die, quæ utplurimum terminus eſt acutorum morborum, meliorem ſpem concepi, deliria tamen ad trigeſimum octavum duraverunt diem, parum vel nihil quaſi intermittentia, raro cum exemplo, trigeſima nona, deliriis jam jam ceſſantibus, melius valere cœpit, & adhuc, laus ſit Deo, vivit, multum faſtidii vero ipſi cauſatus eſt decubitus longior, a quo excoriata quaſi fuit multis partibus circa lumbos & clunes jam ſphacelatis, quibus ſcarificatis & ſeparatis, pedetentim totaliter convaluit, annoque ſequente concepit, & partum robuſtum adhuc viventem (imo ab illo tempore jam quatuor) in lucem edidit, & quam maxime notandum, uterum menſibus inſtantibus non eminere extrorſum, ſed in centro ſuo ſemper jam contineri.

PROBLEMA: DATA SERIE LINEARUM PER recta in eadem Linea conſtantis variationem prodeunte invenire aliam ſeriem linearum, quarum quævis priores omnes ad angulos rectos ſecet.

HOc problema inſerviet ad exercendos explorandosque profectus in Calculo differentiali. Solutionem ejus generalem ſe habere ſignificavit eminens in his ſtudiis Vir, Johannes Bernoullius. Et inſignis eſt uſus etiam in applicatione ad Phyſico-Mathematica, nam in dioptricis eſt quærere undas Hugenianas dato medio tali, ut radii ſint datæ figuræ; vel in phoronomicis quærere ſynchronas Bernoullianas. Et qui ſolutionem generalem dabit, operæ pretium ſe feciſſe oſtendet. In caſibus tamen ſpecialibus ſæpe facilior habetur ſolutio velut cum curvæ datæ ſunt Conicæ. Et cum caſus, quo datæ ſunt Hyper-

Hyperbolæ ejusdem centri & verticis ad meliorem problematis generalis intellectum inſerviat, ſolutionem ejus ingenioſam ſubjicere placet, quam Dominus Nicolaus Bernoullius junior, Johannis filius, dedit his verbis,

Problema. Invenire Lineam, quæ ad angulos rectos ſecet omnes Hyperbolas ejusdem verticis & ejusdem centri.



Solutio. Sit LA axis transverſus hyperbolarum AB, AC, AD, AG, &c. quarum commune centrum O, vertexque com-

 munis

munis A: Linea quæ easdem ad angulos rectos trajiciat ſit BC DG cujus natura & conſtructio exhibenda eſt. In hunc finem concipiantur ex hyperbolis duæ proximæ AC, AD quibus trajectoria quæſita occurrat in C, D: Ex puncto C tangens CF atque applicata CE ductæ intelligantur, huicque perpendicularis DS, ita ut habeatur triangulum DSC ſimile triangulo CEF; nec non ex proprietate ſectionum conicarum jam ab Apollonio demonſtrata tres rectæ OF, OA, OE continue proportionales.

Poſitis itaque ſemiaxe OA, a; abſciſſa curvæ quæſitæ OE, x, ejusdemque applicata EC, y; erit DS (dx) : CS (−dy) = CE (y) : EF (−ydy : dx); ſumo autem −dy pro CS quia creſcente x, decreſcit y. Hinc OF (OE−EF) = x + ydy : dx = (xdx + ydy) : dx & OF. OE = (xxdx + xydy) : dx = (ob OF, OA, OE continue proportionales) OA^2 = aa. Reducta æquatione provenit ydy = (aa−xx) dx : x = aadx : x − xdx ſumtisque integralibus yy ± bb = 2aalx − xx ſeu yy + xx ± bb = 2 aalx (per lx intelligo logarithmum ipſius x, eſt enim dx : x differentiale logarithmi ipſius x ſeu dlx). Æquatio inventa reducitur porro ad æquationem percurrentem ſeu exponentialem, aſſumendo ad mentem Patris idem olim facientis, n pro numero unitatis hoc eſt ln = 1. Hoc enim modo membrum prius æquationis inventæ yy−xx ± bb per 1 hoc eſt per ln multiplicatum eſſe ſupponi poteſt, unde habetur (yy + xx ± bb) ln = 2aalx, ſumtisque more ſolito numeris ex logarithmis emergit tandem $n^{yy+xx\pm bb} = x^{2aa}$ æquatio exponentialis pro natura trajectoriæ quæſitæ BCD. Quæ vero ut conſtruatur, in auxilium vocanda eſt curva logarithmica.

Conſtructio. Ex centro hyperbolarum O excitetur ad axem transverſum perpendicularis OR, ad quam ut aſymtoton & per punctum H pro lubitu ſumtum deſcripta ſit logarithmica arbitraria HZI; habeat illa commoditatis gratia ſubtangentem æqualem ſemiaxi transverſo AO. Hinc ducta per E perpendiculari MEI quæ occurrat logarithmicæ in I, erit ſumta OH pro unitate EI = lx = ſadx : x. Quia autem in ſolutione invenimus ydy = aadx : x − xdx (id quod dat yy = 2a ſadx : x − xx) capiatur EM = 2a, tum diametro MI deſcriptus

ptus circulus ſecet LE in N: porro diametro NE (cujus utique quadratum = ME. EI = zaſadx : x) deſcribatur ſemicirculus NPE, in quo adaptetur NP = OE = x, ductæque EP (cujus quadratum = $NE^2 - NP^2$ = zaſadx : x–xx) abſcindatur æqualis EC; quo facto erit hujus quoque quadratum = zaſad x : x–xx = yy. Ergo punctum C erit in curva quæſita B. CD. Q. EF.

Scholion. Quandoquidem hyperbolarum a trajectoria normaliter ſecandarum parametri variabiles exiſtunt, poſſunt parametri vel ultra infinitum (ut ita loquar) excreſcendo, vel infra o decrescendo evadere negativæ: at vero hyperbolæ ad parametros negativas degenerant in ellipſes: Unde concludere licet eandem trajectoriam BCD ſi continuata intelligatur verſus hyperbolas oppoſitas, ad angulos quoque rectos occurſuram ellipſibus ſuper eodem hyperbolarum axe transverſo deſcriptis. Confirmatur hoc per Calculum, nam ſi pro ellipſibus iſtis ſeparatim quæratur trajectoria, ſicuti id factum eſt pro hyperbolis; eadem prorſus quam ſupra invenimus prodibit æquatio; ita ut duo iſta problemata etſi diverſa videantur revera tamen non niſi unum idemque ſint.

Quod ſi eadem logarithmica HZI ſuper aſymtoto OR ſurſum deorſumve translata intelligatur, ut nempe OH major minorve fiat; manifeſtum eſt aliam ſemper trajectoriam BCD per conſtructionem noſtram prodire, unde numerus curvarum quæſito ſatisfacientium atque hic exhibitarum orietur infinitus. Si quis earum formas exploret conſiderando attente conſtructionem noſtram vel ſimpliciter æquationem ydy=aad x:x–xdx, obſervabit ſingulas ex trajectoriis iſtis formare figuras clauſas verticem hyperbolarum tanquam umbilicum ambientes, quibus ſingulis aliæ totidem reſpective ſimiles & æquales reſpondent circa alterum verticem ceu umbilicum L quæ hyperbolas oppoſitas ellipſesq; ſuper axe AL deſcriptas pari modo trajiciunt normaliter. Et quemadmodum illæ omnes inter O & A, ita hæ omnes inter O & L axem transverſum LA ſecant, iterumque eundem utrinque prolongatum trajiciunt: ubi hoc notandum, puncta iſta interſectionum interna magis magisque ad centrum

hyperbolarum O accedere, nunquam tamen illud attingere poſſe, niſi trajectoria abeat in rectam OR perpendicularem ad axem LA, quæ utique ſolas ellipſes ad angulos rectos ſecat, hyperbolis vero occurrere nequit. Notandum præterea omnium trajectoriarum circa A vel L deſcriptarum apſides vel puncta remotisſima ab axe inveniri in eadem linea recta; nempe in ea quæ perpendiculariter axem ſecat in A vel L, quod vel hinc quoque patet, quia perpendicularis hæc cum haberi poſſit pro hyperbola vel ellipſi parametri infinitæ, per quam nempe hyperbolæ quaſi tranſeunt in ellipſes, ipſa quoque a trajectoriis ſingulis normaliter ſecatur, quarum proin interſectiones ſiſtunt puncta remotisſima ab axe.

Ceterum ſi circa punctum A concipiatur medium diaphanum denſitatis ita variantis, ut radii ex puncto lucido A emanantes incurventur in hyperbolas AB, AC, AD &c. manifeſtum eſt unamquamque ex trajectoriis BCD fore undam Hugenianam, vel Patris mei ſynchronam ad quam ſcilicet radii lucis vel mobilia ſecundum medii raritates in curvis AB, AC, AD, &c. accelerata æqualibus temporibus perveniunt.

POESIES FRANSOISES DE MR. L' ABBE REGNIER Deſmarais.

h. e.

REGNERI MARESII POEMATA GALLICA.

Editio nova, Pariſienſi multo auctior.

Tomi II.

Hagæ Com. apud Henricum du Sauzet, 1716, 12.

Alph. 1 plag. 4.

Altera hæc eſt Poematum editio, & ea multo quidem auctior priore, quæ Anno 1708 Pariſiis lucem primum adſpexit, quandoquidem & præter multa carmina ab Editore diligentius collecta vitam Autoris ſibi adjunctam habet, & Latino Poemate luculentiore ab Abbate Fraguierio in memoriam Autoris confecto exornatur. Ipſe vero Autor, ut legentibus illico

Illico apparet, precibus Academiæ Florentinæ, quæ Italis *della Cruſca* audit, adductus vitam ſuam, anno antequam moreretur, conſignavit, & propterea inter Scriptores ἀυτοβιογράφους celebriores inſignem locum adeptus eſt. Patriam habuit Lutetiam Pariſiorum, in qua florentiſſima urbe d. 13 Auguſti anno 1632, patre Johanne Regnero, & matre Maria Faura prognatus eſt, & ab iis nomen *Franciſci Seraphini*, avitumque cognomen *Des-marais* accepit. Poſtquam ineunte ætate apud Canonicos Regulares S. Auguſtini literarum ſtudia haurire cœperat, ſingulari naturæ inſtinctu ad Poeſin ſe ferri animadvertit, & admodum juvenis βατραχομυομαχίαν, quæ vulgo Homero tribuitur, verſibus Gallicis, quos *burleſques* vocant, haud ineleganter pertexuit. Ætate vero robuſtior factus Parentum nutu exteras regiones perluſtravit, & Hiſpaniam, Italiam, Belgium, Bavariam aliaque viciniora loca vidit, cujus rei hunc reportavit fructum, ut varias linguas, imprimis vero Italicam, ſibi maxime familiares redderet. Ipſe enim narrat, factum fuiſſe, ut aliquando Præſidi Academiæ della Cruſca Abbati Strozzi oden Italico ſermone conſcriptam exhiberet, qui elegantia & concinnitate ejus mirifice delectatus ſociis ſuis eam tradiderit perlegendam, exponens, miſſam ſibi a Leone Allatio Bibliothecæ Vaticanæ præfecto, qui in evolvendis Petrarchæ Carminibus fortuito invenerit duas paginas inter ſe cohærentes, & quaſi conglutinatas, quibus diſtractis, & a ſe invicem disjunctis oblata ſtatim fuerit hæc ode, ſine dubio a nullo alio Autore niſi celeberrimo Petrarcha elaborata. Quod, etiamſi initio vix credibile videretur dictæ Academiæ ſociis, ſtili tamen ſuavitate, & compoſitionis elegantia decepti rem ita ſe habere prorſus exiſtimarunt, donec fraude ab ipſo Strozzi detecta a Desmarais eam profectam cognoverunt. Propterea & paulo poſt inter ſocios hujus Academiæ receptus eſt, qui & illius imaginem in conclavi, ubi congregari ſolent, repoſuerunt, eumque tanquam ſuæ Gentis Poetam ſemper magni fecerunt. Illud præterea de eo notatu dignum eſt, quod ſæpius a gravioribus morbis vexatus neque Medici opera uſus fuerit, neque medicinæ quidquam ſumſerit, ratus, naturam patientiæ

Digitized by Google

& alacritate adjutam difficillimos morbos facile ſuperare poſſe. Hinc & in illos qui Medicis plus juſto fidem adhibent, lepidum Carmen compoſuit, quod T. II p. 605 invenitur. Poemata illius, quæ jam duobus Tomis exhibentur, ubique ſingularem leporem & amœnitatem ſpirant non ſolum enim obſcuritatem, quæ Gallis alias familiaris eſſe ſolet, feliciter evitavit, ſed & ubique, inprimis vero in fabulis excogitandis ingenium ſuave & lepidum manifeſtavit. Neque enim amoribus, quos T. I. luſit, veneres, neque Epigrammatibus ſales, neque Lyricis grandiloquentiam, quantam quidem Gallorum lingua habet, deeſſe arbitramur. Priorem Carminum Tomum a poſteriore diſtinguit brevis diſſertatio, in qua Homerum contra Autorem libri *des Paralleles des anciens & modernes* defendit, & multa ab eo Autore frigidiuſcule in linguam Gallicam verſa putat, ideoque emendat, v. g. μῆνιν ὀλομένην, quod reddidit *colere pernicioſe*, in *colere funeſte;* ἀρητῆρα, quod ille vertit *Pretre*, Desmarais vero vel *Grand Pretre*, vel *Sacrificateur* majori emphaſi dicendum putat, & quæ ſunt alia hujus generis non inutiliter dicta. Multa enim in hac diſſertatione occurrunt, quæ interpretibus, aliiſque qui verſiones librorum inſtituunt, uſui eſſe poſſunt. In altero Poematum volumine ſpecimen verſionis Autor propoſuit, & Librum I Iliad. Homeri totum, ex L. VI vero orationem Andromaches, qua Hectorem, ne ad pugnam redeat, hortatur, & ex L. XXIV ſermonem Priami Hectoris corpus poſcentis Gallico idiomate eleganter expreſſit.

ELOGIUM NICOLAI MALEBRANCHII.

ETſi ætas, in qua verſamur, multos habuit Philoſophos, quorum docta ingenii monumenta in Actis noſtis carptim recenſentur: illud tamen de P. Nicolao Malebranchio, cui præteritus annus emortualis fuit, affirmare fas eſt, quod ejusmodi philoſophandi rationem fuerit ingreſſus, quam forte pauciores hujus ætatis aſſequi potuerunt. Natus erat Vir celebris Lutetiæ Pariſiorum d. 6 Auguſti anno 1638, patre uſus Nicolao Malebranchio, qui Secretarii Regii, ut dicitur, officium

ficium tenebat, matre Catharina de Lauſon, quæ generis nobilitate virtutes, quibus conſpicua erat, mirifice honeſtabat. Poſtquam autem eas artes, quibus juvenum animus ad humanitatem informari inſtituique ſolet, cupide arripuerat, d. 28 Januarii anno 1660 vigeſimo primo ætatis anno in ſocietatem quam Congregationem Oratoriam vocant, receptus eſt. Suaſerat illi tum Carolus le Cointe, ut Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ imprimis operam daret, eoque Euſebium, Socratem alioſq; evolvit, verum memoria parum felici inſtructus abhorrere paulatim cœpit ab illo ſtudio, & conſilio P. Simonis Orientales linguas deguſtavit. Sed his quoque relictis, cum in Carteſii de homine librum forte incidiſſet, & ſe miris ad Philoſophiam ſtimulis agitari ſenſiſſet, progreſſus eſt, quo natura duce & fautrice ſibi eundum exiſtimavit, & in recondita abſtruſæ veritatis adyta penetrare conſtituit. De quo laudabili propoſito & felici illius eventu liber *Recherche de la verité*, cujus L. I anno 1673 ab ipſo promulgatus eſt, ſatis abundeque teſtari poteſt, quippe ita communem eruditorum applauſum obtinuit, ut acrius propterea Malebranchius incitatus, anno ſtatim, qui ſequebatur, alterum Tomum, & paulo poſt tertium in lucem edere non dubitaret. Imo, quoniam Gallice hæc conſcripta erant, & propterea multi linguæ Gallicæ imperiti ab eorum lectione detinebantur, conſulere his optime voluit celeberrimus Hiſtoriæ Conſtantienſis Autor *L' Enfant*, dum Latinitate donavit eos libros, & Genevenſium typis exaratos in publicum emiſit. In libro, quem titulo, *Converſations Chretiennes*, ornavit & primum anno 1676 vulgavit Malebranchius, multas haut exigui momenti quæſtiones doctrinæ Chriſtianæ facili prorſus ratione pertractat, & quo usque inventa a ſe Philoſophandi via ducat, eleganter oſtendit. Dum vero peculiari aliquo libro *de la Nature & de la Grace* novam methodum diſcutiendi controverſias Theologicas proponeret, graviter ea re Arnaldum, quo alias familialiter utebatur, offendit, occaſionemque diſſentiendi dedit, quem diſſenſum magno animi impetu Arnaldus in libro *des vrayes & des fauſſes Idees*, & in diſſertatione *ſur les Miracles de l' ancienne Loi*, aliisque

Digitized by Google

editis ſcriptis teſtatus eſt. Et quamvis Malebranchius peculiari tractatu, & aliquot epiſtolis ſententiam ſuam adverſus Arnaldum defendere aggrederetur, nihilo tamen minus, ſi eruditorum judicio ſtandum eſt, quemadmodum nos ſtare omnino oportet, uterque in hac ſubtiliore de Ideis controverſia adverſarium ſuum quidem maſcule refellit, neuter tamen ſententiam ſuam ita corroborare potuit, ut ab omnibus ſecus ſentientium dubiis libera eſſet ac immunis. Spectant quoque potiſſimum ad hanc controverſiam duo epiſtolarum volumina, in quibus Arnaldi libro de natura & gratia reſpondet, ut epiſtolas Arnaldi epiſtolis oppoſitas ſilentio prætereamus. Nactus & fuit adverſarium Joannem Regis, qui in Syſtemate ſuo Philoſophico doctrinas ejus de ideis, de cauſa efficiente ſeu exemplari aliasque refellere conatus eſt; cui quidem Malebranchius in additis ad librum *Recherche de la verité* anno 1693 reſpondit. Extant etiam ejus *Entretiens ſur la Metaphyſique & ſur la Religion*, quibus tres dialogos de morte annexuit. In ſuſpicionem vocatus, ac ſi in doctrina de puriore Dei amore cum Epiſcopo Cameracenſi faceret, peculiari iterum ſcripto ſe purgavit, quod cum P. Lami ita interpretaretur, ac ſi in eo a ſemet ipſo diſſentiret, Malebranchius rurſus calamum ſtringere coactus eſt, & huic alium librum *de l' Amour de Dieu* oppoſuit. Ut tandem Chinenſibus, qui relicto Paganiſmo ad Chriſtianorum caſtra tranſire vellent, rectiorem de Deo ſenſum inculcaret, dialogum, in quo Chriſtianus & Chinenſis Philoſophus colloquentium inter ſe partes ſuſtinent, dextre compoſuit, quem propter eximiam doctrinam & ſingularem philoſophandi rationem inprimis lectu dignam cenſemus. Edebatur id temporis in Gallia liber *de l'Action de Dieu ſur la Creature*, qui ſimul occaſionem dederat Malebranchio edendi paulo ante mortem *Reflexions ſur la Premotion phyſique*, in 12mo. In Academia Scientiarum Pariſienſi titulum Academici Honorarii promeruit, & anno 1715 d. 13 Octobr. poſtquam ſex & octoginta & quod excurrit annos vivendo expleverat, fatis conceſſit.

ELOGIUM

ELOGIUM GOTFRIDI OLEARII.

JActuram ſuperiori anno Academia imo & Societas hæc noſtra acerbiſſimam fecit. Amiſit Gotfridum Olearium, Doctorem ac Profeſſorem Theologiæ longe celeberrimum, Canonicum Miſenenſem, Collegii Majoris Principum Collegam, & Conſiſtorii Eccleſiaſtici, quod Lipſiæ floret, Aſſeſſorem graviſſimum, Theologum clariſſimum, cujus memoriæ hoc quicquid eſt monumenti conſecramus, quanquam omnem ille laudationem funebrem commemorationemque ſui vetuerit. Scilicet non licet amplius poſt mortem obſcuro eſſe qui vivus in ea claritate verſatus eſt. Nec potuit efficere, ut, quam ipſe tranquille prorſus intuitus eſt, ea tamen aliis immatura mors & acerba non videretur. Natus fuerat 1672. d. 23 Julii, patre Johanne Oleario, qui tum in Academia noſtra literas Græcas poſtea autem Theologiam magna cum laude docuit. Multum profuit feliciſſimo ingenio bonæque indoli domeſtica primum diſciplina. Confectis deinde Academicis ſtudiis ea ætate, qua alii vix incipiunt, annum agens 21 in Belgium peregrinationem inſtituit, & inde in Angliam trajecit. Invitabat illum Oxoniam Academiæ & Bodlejanæ bibliothecæ fama, ibique ultra annum aſſidua Philoſophiæ, literarumque Græcarum, & ſacræ Antiquitatis ſtudia detinuerunt. Ceterum quamdiu apud exteros egit, non tam anguſtos ſibi limites poſuit, ut literarium tantum pulverem ſectaretur, ſed ſimul in vitæ civilis luce, in uſu hominum, ingeniorumque & morum contemplatione, factum ad utramque laudem animum exercuit. Reverſo in patriam locus primum in Collegio majori Principum datus, mox & delata eſt Profeſſio Græcæ & Latinæ linguæ, quarum ſtudia non mediocriter in præſtantioribus ingeniis accendit. Et tum Philoſtratis quoque operam dedit, qui tamen liber poſt aliquot demum annos editus eſt. Verum ſe Theologiæ conſecraverat, utq; in maximi momenti diſciplina, in tanta opinionum multitudine & licentia, ac tam contrariis animorum ſtudiis ſecurus aliquando verique certus ageret, omni ſe cura præparaverat. Itaque jam tum in ſcholis Theologicis, &

Digitized by Google

cum a. 1708 B. Seligmanno in Profeſſione ordinaria ſucceſſiſſet, ut juvenes ſtudia illa, ad ſolidam ſcientiam rite inſtituerent, operam dedit. Ita primum oſtendere ſolebat, quibus Philoſophiæ, Philologiæ & Hiſtoriæ ſubſidiis inſtructi ad illa venire deberent. Tum ſcripturas ſacras, & credendorum non ſecus quam agendorum ſummam explicare, ac controverſias eccleſiæ tam domeſticas, quam externas, procul ab indigno aſſentandi contradicendive ſtudio, neque enim illis artibus opus habebat, juſtis rationibus expendere. In collegiis autem paſtoralibus ut vocant, lineas illis muneris eccleſiaſtici ducere, & præire exempla, quales ſe præſtare in omni ejus parte debeant. *Multa* quoque illi Actorum hoc opus debet, quod, ſuperioribus maxime annis, ita ornavit, ut parem inde a cœpto hoc opere habuerit omnino neminem. Cum anno 1711 templum Academicum publico cultui conſecratum eſſet, & Theologi aliquot conciones ordinarias haberent, ea eloquentia & facilitate graviſſima Chriſtianæ diſciplinæ capita explicare ſolebat, ut non commoveret modo affixosque detineret auditorum animos, ſed convictos etiam & perſuaſos penitus dimitteret. *Ita* quidem augebantur occupationes ejus, & anno 1714 in conſiſtorium Lipſienſe adſciſcebatur. Nec tamen ideo privata ſtudia refriguerunt. Deſtinaverat ſibi Joſephum, & tantum expectabat, ut elegantisſimam editionem Joh. Hudſonus V. C. perficeret. Videtur enim res ipſas excutere voluiſſe, & plura quidem ingenio quam congeſta in adverſariis ad id opus ſubſidia tenuit. Interea opus Theologicum contra Pontificios agitabat, quod nunc eccleſiæ noſtræ inprimis conveniſſet. Non longæ nimis ſpes illæ nec arduæ nobis videbantur, qui ingenium Viri diligentiam & alacritatem, noveramus. Sed fruſtratus nos eſt ille in vultu vigor, & totius corporis habitus, qui valetudinem firmam, longamque & vegetam ſenectutem pollicere videbatur. Equidem jam ante XII annos tuſſis illi incommodare incepit. Sed illam, cum fruſtra aliquoties medicum adhibuiſſet, & nihil ultra mali ſentiret, ut erat minime delicatulus, plane neglexerat. Sic inolevit tacite malum, pulmonesque ſenſim exedit, donec cum impetu præterito anno erumperet, magnam ſangui-

ſanguinis vim crebro ejiciens. Qua valetudine vir robuſto ceteroquin temperamento & viridi ætate diu fatigatus hauſtusque, cum interea in animi magnitudinem nihil morbo licuiſſet, tandem d. 10 Novembris, integer ratione & ſenſu, & morti jam diu paratus, obiit. Reliquit quidem ille non pudenda ſui monumenta, demonſtrationem vernaculam Chriſtum eſſe verum Meſſiam, verſionem Latinam Hiſtoriæ Philoſophicæ Thomæ Stanleji, quam inſertis integris Diſſertationibus additisq; notis, *ἀνωνύμως* edidit, Philoſtratorum opera, obſervationes in Matthæum, & diſſertationes aliquot Academicas. Eſt etiam inter opera affecta Procopii Gazæi commentarius in Octateuchum, quem ex codice Auguſtano deſcriptum, verſione ac notis illuſtrare cœpit, & Geneſius hiſtoriæ Byzantinæ ſcriptor ineditus. Sed majora mors intercepit, & ſic jacturam duplicavit.

NOVA LITTERARIA.

Anno præterito exeunte d. 29 Decembris deceſſit in Anglia Præſul eruditiſſimus Th. Tenniſonius, Archiepiſcopus Cantuarienſis totiusque Angliæ Primas, cui ſucceſſor datus eſt D. Guil. Wake, Lincolnienſis huc usque Epiſcopus, Monumentis Patrum Apoſtolicorum Anglice editis aliisque ſcriptis inclytus; in cujus locum ſucceſſit D. Edmundus Gibſonius, qui editis Chronico Saxonico, Camdeni Britannia, Portuque Iccio Jul. Cæſaris illuſtrato ampliſſime dudum de Orbe litterato meruit. Londini genuina Juſtini Martyris Opera Thirlbius anno præterito excudi curavit; nunc vero omnium, quæ feruntur, ejusdem Operum editionem pleniſſimam pariter & elegantisſimam parat Jo. Adolphus Hofmannus, Germanus, Fragmentis noviter repertis, notisque variorum & ſuis, nec non diſſertationibus de vita & martyrio Juſtini, ejusque ſcriptis, variis eorum editionibus, codicibus MSS. de Interpretatione V. T. qua uſus eſt, defenſione item contra criminationes malevolorum amplificandam. Scripta ſingula in ſectiones minores diſtinxit, argumentis inſtruxit, ordine chronologico diſpoſuit, verſionemque quadringentis amplius locis emendavit. Exiit

Digitized by Google

etiam auſpiciis Davidis Humphrey Athenagoræ Apologia ad Marcum Imp. liberque de reſurrectione, adjectis nonnullis Juſtini Martyris, Joſephi, Methodiique fragmentis adhuc ineditis, binisque diſſertationibus, quarum altera ſententiam Judæorum de reſurrectione examinat, altera de ſcriptis Athenagoræ diſquirit. Hiſtoriam Naturalem Inſectorum Angliæ prelo ſubjecit Eleazar Albinus, Pictor, quæ tabulis æneis circiter 100 conſtabit, ad vivum ab Autore colore adhibito illuminandis habebitque additam ſermone Anglico deſcriptionem accuratiſſimam. Cui manum admoverat Vir piiſſimus & eruditiſſimus Robertus Nelſonus, Scriptorum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ veterum editio, poſt fata ejus prælo ſubjecta eſt Cantabrigiæ, brevi abſolvenda. Idem fatum expertus eſt D. Smith, qui Operum Hiſtoricorum Bedæ, cui pluribus abhinc annis ſummo inſudaverat ſtudio, editionem abſolvere morte intercedente non potuit, cujus tamen proxime ſpem nobis fecit bibliopola Cantabrigienſis. In Sectiones ea diſtinxit Editor, argumentis & Chronologia margini adjecta, Variantibus item & Annotationibus brevioribus, Vitaque Auctoris & eruditorum de ſcriptis ejus judiciis collectis inſtruxit, Ælfredi quoque Regis Paraphraſin Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Anglo-Saxonicam ſubjecit.

In Hiſpania fauſtiſſima quæque litteris, novamque adeo reſtaurationem ominari licet, poſtquam qui ſceptra ejus regni tenet Philippus V easdem cordi inprimis ſibi eſſe haud unis palam fecit ſpeciminibus. Regiis etenim ſumtibus ſplendidiſſima pariter & numeroſiſſima nunc inſtruitur Bibliotheca, cujus Præfectus conſtitutus eſt D. Gabriel Alvarez de Toledo. Academia quoque Regia Hiſpanica ad normam Academiæ *Gallicæ* erecta, cui Director datus eſt Eſcalonæ Dux, Secretarius Vincentius de Squarzafigo, non parum conducet ingeniis Hiſpanorum acuendis & excitandis. Quid quod ab ipſius Philippi ingenio profecta verſio vernacula Germaniæ Taciti non ita pridem typis excuſa, ab utriusque linguæ gnaris præſtantiſſima cenſetur. Sentiendi quoque libertatem majora indies incrementa facturam, ſpem nobis facit permiſſio Actorum Sanctorum Papebro-

pebrochii & Sociorum, quorum lectio ob Sanctos quampluri-mos ex Faſtis ejectos ab Inquiſitore Generali ſevere fuerat prohibita, ipſis Actis tantum non in expurgandorum librorum Indicem relatis.

In Gallia rei literariæ facies anno præterito non parum immutata eſt, Libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ, quæ maximo in periculo verſabantur, animoſius nunc, prudentiſſimi Principis ad clavum modo Reipublicæ ſedentis auſpiciis, aſſertis, ejectisque factionis ejus, quæ fautores Queſnelli, ipſamque ſimul libertatem everſam cupiebant, primariis incentoribus. Hinc Conciliorum Collectio, quæ Harduino Autore emiſſa in publicum eſt, prohibita, uſquedum emendarentur, quæ libertati huic nimium obeſſe videbantur. Dionyſius Sammarthanus Ord. S. Benedicti Monachus, oblato Gallicano Clero Galliæ Chriſtianæ, quam maximo huc uſque labore emendare & augere molitus eſt, Tomo I, gratiam, quam ſperaverat, haud meruit, prohibitus potius, ob partium ſtudium, reliqua edere prius, quam cujusvis Eccleſiæ hiſtoriam cenſuræ Epiſcopi ejus ſubjeciſſet. Nondum finitæ ſunt de re diplomatica diſceptationes: libro enim Germonii de veterum codicum corruptoribus Vindicias veterum codicum confirmatas non ita pridem oppoſuit. Nic. le Nourri Apparatus ſui ad BibliothecamMaximamPatrum, Operis ſane eruditiſſimi, Tom. II edidit. Lugduni Societas quædam eruditorum aliquot abhinc annis coaluit, qui ſtatis temporibus conveniunt, deque varii argumenti prælectis ſibi lucubrationibus ſententiam dicunt. Gaudet ea nunc Protectore Archiepiſcopo Lugdunenſi Villaregio, belli ducis hujus nominis celeberrimi filio, habetque Secretarium Broſſettum, a quo præſtantiſſimam operum Boilavii editionem, notis utiliſſimis inſtructam, quam proxime expectamus. Directoris dignitas quovis ſemeſtri in alium ex ſociis transfertur, functusque hoc munere eſt ſub exitum anni præterlapſi Dominus de Serres, curiæ monetariæ conſiliarius.

In Belgio V. C. Hadrianus Relandus poſt editam accuratiorem ab ipſisque indigenis delineatam Japoniæ Tabulam, inter ſanctiora, quæ communicare cum exteris nefas ducunt, ab ipſis

ipſis habitam, nunc in deſcribendis Spoliis templi Hieroſolymitani in arcu Titi Veſpaſiani Romæ conſpicuis occupatur. Hinc Simon van Alphen, Ultrajectum nuper ad obeundum Profeſſoris SS. Th. munus vocatus, Commentarium Chronologicum in Capita quædam Danielis prelo ſubjecit. A. Driſſen V. D. ibidem miniſter expectare nos proxime jubet Commentarium in Apocalypſin Johanneam, quo oſtendere conabitur, inde a capite IV ad finem omnia de noviſſimis recentioris fœderis temporibus eſſe intelligenda. Dicitur quoque idem Syſtema Theologiæ Moralis ſermone Belgico editurus. Excuditur nunc Salomonis van Til Explicatio S. Scr. qua ſingulorum S. Codicis librorum accurata analyſis exhibebitur. Supplementa Lexici Moreriani, quæ non ita pridem ſeparatim edidere Pariſienſes, nunc recuduntur a Belgis; aucta tamen & recognita cura V. Cl. Jac. Bernardi, eaque ſub confinia anni præſentis futurique publice proſtabunt. Lugduni in Batavis Petrus van der Aa Bibliopola Theſaurum antiquorum Medicorum Græcorum & Latinorum meditatur, Commentariis virorum eruditiſſimorum tum impreſſis, tum adhuc ineditis illuſtrandum, tribusque aut quatuor Voluminibus abſolvendum. Cum vero Græce poſtrema Dioclis Caryſtii invenire nondum potuerit, omnes quotquot ſunt talium ſeduli indagatores, exoratos vult, ne theſaurum hunc, ſicubi forte latuerit, orbi erudito invideant. Amſtelodami Cl. Trommius, Theol. Groningenſis, prelo ſubjiciet Concordantias SS. Græcas, quarum ſpes magna eſt, poſtquam idem Concordantiis Belgica lingua editis expectationi eruditorum quam uberrime ſatisfecit. Hiſtoria Eccleſiaſtica Jo. Clerici lucem proxime videbit. Hiſtoria Petri Bælii operumque ejus, quæ prela nunc exercet, magnopere laudatur tum propter cultiſſimum ſcribendi genus, tum ob varia quæ inſerta reperiuntur anecdota.

Die nupero 26 Martii Bibliopola celebratisſimus, Jo. Fridericus Gleditſchius, in ipſo climacterico magno apud nos deceſſit, cui literæ non parum debent, cum prudentia ac ſollicitudine eo rem deduxerit, ut ex ejus officina, quod de Commeliana olim dictum eſt, nullus omnino liber prodierit, quem comparaſſe pœniteret.

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ
Calendis Junii, Anno MDCCXVI.

THE HISTORY OF THE REFORMATION &c. h. e.

HISTORIA REFORMATIONIS ECCLESIÆ Anglicanæ. Volumen III Supplementa priorum continens; Autore GILBERTO, Epiſcopo Sarisburienſi.

Londini, apud Jo. Churchill, 1715, fol. Alph. 9.

CEleberrimi Viri, *Gilberti Burneti*, Hiſtoria Reformationis Eccleſiæ Anglicanæ, utiliſſimum patriæ & glorioſum Autori opus, quod ipſe B. Seckendorfius Actis noſtris A. 1684 p. 382 & A. 1687 p. 58 inſeruit, maximo quidem cum applauſu excepta fuit, ſed tamen & invidos nonnullos, aut manifeſte contrariis partibus ſtudentes, provocavit, qui varia in illa reprehenderunt. Iis ſatisfecit, & ſimul diligentius recenſuit opus, ac ſupplevit Autor peculiari volumine, ne tot millibus exemplarium nova editione pretium omne abrogaret. Publicavit primum A. 1714 Introductionem in novum hunc tomum, qua controverſiam exponit, quæ nata ex hoc opere cum Cl. Grande & Epiſcopo Meldenſi, ipſi interceſſit: defendit ſe deinde adverſus Henricum Whartonum, qui adſcito Antonii Harmer nomine 1693 minuta quædam in Hiſtoria ejus ſugillaverat. Parum honorifica Whartono eſt cauſa irarum, & Angliæ ejus Sacræ cenſura, quam Burnetus in illam ſtringit. Tum vero graviter, & pro nota eloquentia ſua, exponit momenta, quibus illorum temporum hiſtoria

Digitized by Google

ſtoria adverſus Romanæ ſectæ invaleſcentem vim excitare animos debeat, etiam a ſubtilitatibus controverſiæ quam maxime alienos tepidosque & rerum tantum ſuarum ſtudioſos. Erat hæc admonitio tum temporis in Anglia admodum neceſſaria. Ubi ad lucem publicam jam adſpirabat poema ludicrum, ad imitationem famoſi carminis Butleriani *Hudibras* confictum, quo tota reformatio in riſum & indignos jocos traducebatur. Repræſentat autem violentam Mariæ ſuperſtitionem, Romanæ aulæ calliditatem in transactione de bonis eccleſiaſticis in civiles uſus verſis, atque in exemplo eccleſiæ Gallicanæ, quam exitioſum ſit eccleſiæ, ſi jura illius inter Pontificem & Principem ita dividantur, ut tum inter Franciſcum I & Leonem X factum. Tum oſtendit neceſſitatem religionis, & comparat Chriſtianam cum Romanorum cæremoniis. Probatque, fallere aut falli, qui credant correxiſſe Pontifices priſtinos abuſus, qui olim Viros cordatos ad inſtauranda ſacra impulerint. Exponit enim ante oculos nundinationem indulgentiarum in Hiſpania & Portugallia, ſanguinolentas in Gallia converſiones, ut ſic oſtendat, necdum ab antiquo illo abuſu diſcedere Pontifices, nec ipſam illam Romanæ ſectæ partem, quæ ſe in multis anteponere ceteris ſolet, a tyrannide ſibi temperare potuiſſe. Cum jam ipſum opus præterito anno prodiret, ſereniſſimo Rege GEORGIO, per quem meliorum partium ſpes & ſalus ſtabiliuntur, hæc iterum diſſertatio præmiſſa, & nova inſuper præfatio addita eſt. Ibi bona fide reconciliatur *Grandi*, qui prior Genevæ apud communes amicos teſtatus fuerat, pigere ſe illorum, quæ duriuſcule juvenis in Burnetum ſcripſiſſet. Tum ſe defendit adverſus recentiorem hiſtoriæ eccleſiaſticæ Anglicanæ ſcriptorem, qui paſſim illum laceſſivit, quem miramur cum eccleſiæ Anglicanæ membrum ſe ferret, auſum fuiſſe Eliſabethæ detrahere, & infra crudelitatem Mariæ memoriam illius abjicere, quia terræ & civilia Epiſcoporum jura regnante illa diminuta ſunt. Tandem quosdam inconſulto in eccleſiam Anglicanam, & præſertim externum apparatum, & ceremonias ſtudio flagrantes reprehendit, qui ultra modum omnia extollunt, ut Dodvvellum extuliſſe Epiſcopatus jura novimus, & ſic a primitiva inſtitutione longe abeunt.

Opus

Opus ipſum libros VI complectitur: contenta ſingulorum reſpondent prioribus VI libris, quibus primum & ſecundum volumen abſolvitur: quæque ibi tradita ſunt, hic iam ex aliorum Scriptorum libris aut monimentis ineditis ſupplentur, emendantur, vindicantur. Alteram voluminis partem implent acta publica, epiſtolæ, aliaque ejus generis monimenta, quæ ad conciliandam hiſtoriæ fidem faciunt. Ultimo loco adjicitur appendix ad priora duo volumina, emendationes ab amicis tranſmiſſas, & diſceptationes ab Autore agitatas continens.

Primus liber extenditur ad an. 1523. Occurrit ibi hiſtoria concordatorum, ut vocant, inter Leonem & Franciſcum ſancitorum (1--18) & multa ad hiſtoriam *Volſæi* pertinentia. Ubi inter alia monet p. 19, dubium admodum eſſe, quod communiter traditur, Cardinalem Carolo Imperatori imputaſſe, quod ſpe ſuccedendi Adriano exciderit, atque ab illo tempore Regis ſui animum prorſus a Carolo avertiſſe. Nam patet ex literis Volſæi, caſu plane inopinato in Cardinalem Mediceum (Clementem VII) ſuffragia Purpuratorum inclinata fuiſſe. Quæ p. 29 excerpta ſunt loca ad religionem ſpectantia, ex Th. Mori Utopia, quam Autor noſter gallice vertit, plena ſunt ironiæ adverſus illius temporis clerum, nec ipſis Pontificibus parcitur. Pag. 32 bulla attingitur, qua Papa jusjurandum Franciſci, qua pacem Madritenſem firmaverat, irritum declaravit.

L. II ad a. 1535 excurrit, quo tempore Gallicis partibus applicare ſe Henricus cœperat, & a Catharina divertit, fovente ſummo cum ſtudio novos amores Franciſco. Memoratur p. 39, Bellajum Epiſcopum Bajonenſem Volſæo ſuaſiſſe, ut abdicandi Caroli autores eſſent Papæ, direptionis Romæ & captivitatis ſuæ nimium memori. P. 40 literarum amatoriarum Henrici ad Annam Bolenam fit mentio, quæ in Vaticana oſtendi peregrinantibus in opprobrium reformationis Anglicanæ ſolent. Sed contendit Autor, quamvis parum ingenioſæ, ideoque Autori ſuo non valde honorificæ ſint, legitimum tamen ubique elucere amorem, & in connubium tendentem. Deſcribuntur hic variarum Academiarum de divortio regio conſultationes, & Sorbonnæ inprimis genius, ac motus, qui tamen in

Digitized by Google

approbationem ejus deſierunt. Qua de re controverſiam Autori Grandis moverat. Ultimo loco oſtenditur, Franciſcum poſt Clementis VII obitum pollicitum fuiſſe Regi, ſe novum ejus matrimonium, veluti legitimum, ſemper probaturum. Literæ ipſæ in altera libri parte inter acta publica exſtant. Et Franciſcus fidem datam ſervavit. Quod forte præcipuum eſt, unde ſpem tum conceperant Angli, Gallos itidem autoritatem Romanæ ſedis excuſſuros. Quod qui penitius examinare voluerit, conferat introductionem p. 15, 16.

L. III ab a. 1535 ad exceſſum Henrici VIII continuatur: ubi fluctuantem fere Regem inter utramque partem videmus, & ſæpe ad privatas libidines regni & eccleſiæ negotia attemperantem. Exponuntur hic & conſilia, quæ cum Germanicis Principibus ſociavit. Memorabilis eſt conventio A. 1536 cum iis inita, qua Smalcaldici fœderis patrocinium ſuſcipit, ac ſecuturum ſe in inſtauranda religione Confeſſionem Auguſtanam promittit. Multa ſperaverant ab Anglo Germani, permoveruntque Lutherum, ut deprecaretur apud illum calami violentiam: ſed Autor literas ipſas nullibi invenit. Neque diuturna illa animorum conjunctio fuit. Poſt Annæ Bolenæ caſum Rex aliquandiu vacillabat. Ac difficile erat cum eo Principe de religione agere, qui quod ſe eruditiſſimum omnium crederet, in nulla re Germanis concedere volebat: quod ipſe Cromvvellus nomine Regis ad Legatos ejus reſcripſit p. 112. Videmus in ſequentibus, quomodo fruſtra tentata aliquoties arctiore conjunctione, ita tandem res ceciderit, ut Anglicana Eccleſia media quaſi inter Papatum & Proteſtantes Germaniæ ſubſiſteret. Sed hæc Lectori permittenda ſunt. Nec pœnitebit legiſſe, quæ in fine libri de Henrici & principum miniſtrorum charactere & conſiliis Autor diſſerit.

L. IV ad regnum Eduardi ſpectat. Magnam partem concilium Tridentinum implet. Thirlbyus Legatus Regis in aula Caroli V multum commendabat Patriæ ſuæ libellum, qui tum auſpiciis Cæſareis, ſub noto nomine *Interim* prodierat, (p. 185) ſed datus illi ſucceſſor Hobbyus refert p. 186, monachum, qui a confeſſionibus Carolo erat, denegaſſe illi propter ejusmo-

di

Digitized by Google

di conſilia abſolutionem. In fine libri cordate fatetur Autor, multos tum in Anglia, qui meliorem religionem profitebantur, probroſam vitam egiſſe. Quæ de Cranmero p. 186 leguntur, excuſabunt quodammodo tantum Virum apud æquos rerum arbitros, ſaltem mitigabunt cenſuram, quod nimium ſæpe vivo Henrico conceſſerit.

Librum V tragicus Mariæ principatus implet. Interferuntur varia de apparatu puerperii. Cum enim gravidam ſe putaret, deſtinati jam erant, qui lætum nuntium nati hæredis ad exteras aulas deferrent. Sed perſuaſerant ſuperſtitioſæ, non parituram, donec omnes hæretici, qui in vinculis eſſent, expiatricibus flammis combuſti fuerint. Narratur p. 243 res aliqua, quæ una cum aliis ſuſpicioni tum temporis apud naſutiores locum fecit, ſupponendum puellum quæri. Ex iis quæ p. 236 referuntur apparet, incontinentiam Philippi ſecretis rumoribus fuiſſe agitatam. Obiter p. 253 de Caroli V ſeceſſu Autor agit, quem alienatum animo ante obitum a Romanis traditionibus fuiſſe veriſimile putat. Sed quæ communiter ea de re, & de ſacerdotibus, quibus in religione ſua uſus fuerit, traduntur, accuratius a Bælio excuſſa eſſe conſtat. Novam p. 268 ex *Campana* cauſam affert, quæ fatum Mariæ acceleravit. Narrat ille, Philippum II deſperato hærede Feriæ Ducem in Angliam miſiſſe, qui matrimonium Sabaudi cum Eliſabetha, a quo maxime abhorrebat Regina, parum amans ſororis, inconſulta illa & quantumvis invita apud proceres urgeret. Quæ res ita muliebrem animum, jam ſic ſatis amiſſione Caleti, & mariti faſtidio anxium penitus proſtraverit. Deinde elegans & judicioſa Mariæ cum Eliſabetha comparatio librum concludit.

Liber VI illa tempora illuſtrat, quibus ſub Eliſabetha coronis impoſita eſt reformationi. Inter illa, quæ de Maria Scota p. 324 & ſeq. referuntur, quamvis nonnulla contineant ad arcanam occiſi Henrici hiſtoriam pertinentia, memoratu tamen digniſſimum eſt, quod ex *Pignerolii vita Card. Laureæ* p. 327 de teſtamento ejus narratur. Cavit enim illo, ne jus in Angliam in filium deſcendat, ſi hæreticæ pravitati addictus maneat, ſed ut in Philippum II Regem Catholicum devolvatur.

SEVERAL TRACTS AGAINST POPERY.

i. e.

VARII TRACTATUS CONTRA PAPATUM, una cum vita Alvari de Luna; Autore MICHAELE GEDDES, LL. D. & Cancellario Eccleſiæ Sarumenſis.

Londini, apud B. Barkerum, 1715, 8.

Alph. 1 pl. 3

PRimum locum inter poſthuma hæc Cl. *Geddeſii* Opera occupat Tractatus, in quo perſpicue demonſtrat, quibus artibus Romani Pontifices ad tantam dignitatem, atque ut vocant, *Præeminentiam* pervenerint, quibusque eam adhuc tueantur. Fundamentum vero ejus rei quærit in conficta Conſtantini M. Sylveſtro Pont. M. facta donatione, quæ p. 12 ex Epiſtola Leonis IX P. R. circa annum ML ad Michaelem Imperatorem CPtanum ſcripta, exhibetur. Hinc ſpuriam hanc donationem eſſe, demonſtrat, dumque celeberrimi Archiepiſcopi Pariſienſis *de Marca* meminit, qui Paulum I P. R. maxime ad eandem provocaſſe exiſtimat, ipſum jam Stephanum III P. M. qui ante Paulum I ſedi Romanæ præerat, hanc donationem Imperatoribus oppoſuiſſe oſtendit, Paulum I vero fraude non caruiſſe docet, cum corpus Petronillæ cujusdam inventum maxima pompa ex via Appia in Vaticanum deferret, aliisque, quos ad liberalitatem invitabat, ex inſcriptione ſepulcri: PETRONILLÆ. FILIÆ. DULCISSIMÆ perſuadere conaretur, hanc fuiſſe Petri Apoſtoli filiam. Neque vero defuere in ipſa Romana Eccleſia Viri doctiſſimi, qui donationem illam rejicerent, quorum primus, ut Noſter notat, fuit Laurentius Valla, cujus declamatio (quam Autor Cl. ſe vidiſſe negat) inſerta cum Præfatione Ulr. Hutteni Equitis Germani ad Leonem X P. R. faſciculo cuidam, qui de hoc argumento varios aliorum labores continet, in forma 8, quantumque conjectura aſſequi licet, jam ſeculo XVI, ſine mentione loci, anni atque typographi, excuſus eſt.

p. 53. In Tractatu Secundo comparationem Pontificis M. apud Roma-

Romanos Ethnicos, ac Chriſtianos, inſtituit, atque hanc dignitatem ex illa manaſſe pluribus evincit rationibus. Nulla enim ſecundum Dionyſium Halycarnaſſ. civitas in toto terrarum orbe Romam numerô ſacrificulorum æquabat, quos ſingulari libro deſcripſit *L. Feneſtella de Sacerdotiis Romanorum.* Superiores omnibus erant Pontifices, orti, prout *Livius* ait, ſub *Numa*, ſecundo Rom. Rege; his omnibus unus præfectus erat, qui nominabatur Pontifex Maximus, cui, ſecundum *Feſtum*, tum res divinæ tum humanæ ſubjectæ erant. Quare hunc honoris titulum non detrectabant Imperatores, & quod contra *Baronium* notandum, nonnulli quoque eorum, qui Chriſtianæ fidei addicti erant. GRATIANVS vero primus poſt aliquot, cum regnum adeptus eſſet, annos eum demum depoſuit, ac, prout Inſcriptio Romana & Conſtantinopolitana apud Autorem noſtrum teſtatur, *Symmacho*, Præfecto urbis Romæ conceſſit, qui *Pontifex Major* appellabatur. Verum Romanæ ſedis præſides, qui ſua intereſſe exiſtimabant, omnia quæ in poteſtate Pont. M. ſita erant, occupabant; ex quo factum ut jam Seculo tertio a C. N. *Victor*, Epiſcopus Romanus, Pontifex Maximus, apud *Tertullianum*, ſalutetur. Interea tamen Papæ licentius, more Pontif. Maxim. Ethnicorum, vivebant, ut ab Imperatoribus ſæpius cohibenda eſſet eorum ambitio ac ſuperbia.

Tertio loco comparet liber hiſtoricus æque ac criticus, quo hiſtoria celebratiſſimi domicilii, Semper-Virginis Mariæ, Lauretanæ, recenſetur, additis animadverſionibus quibusdam Cl. Autoris. De hiſtoria miraculisque atque divitiis ex Itinerariis Italiæ ſatis conſtat, qua fide vero illa nitantur, Noſtro ex eo manifeſtum videtur, quod & apud hiſtoricos coævos altum ſit ſilentium, & ii, quorum teſtimonia Baronius producit, obſcuri ſint admodum eoque parum fide digni. p. 97.

In Tractatu quarto avaritiam Eccleſiæ Romanæ omnium oculis exponere conatur, imprimisque tot Bullas & Diplomata Paſſagiorum ideo tantum publicata fuiſſe putat, ut prodigalitati ſedis Apoſtolicæ ſatisfieret.

Quintus Tractatus continet deſcriptionem Miſſæ ſolen- p. 201.
nis

nis Pontificiæ in uſum Anglorum conſcriptam, qua ſuperſtitio eccleſiæ Romanæ delineatur.

p. 227. Sextus denique ſiſtit Vitam Don Alvari de Luna, Joanni II Regi Caſtellæ a primariis officiis, cujus locus natalis erat Canete, oppidum Arragoniæ, in quo A. Chriſti MCCC LXXXIIX lucem aſpexit; Pater, cui idem nomen, Vir erat nobilis ac illuſtris, Regique Caſtellæ Henrico III valde carus, mater vero minus nobilis, corpore quæſtum faciebat, atque jam antea ex concubitu furtivo tres filios ſuſceperat, quare eum Pater pro filio legitimo non agnovit, ſed donatis DCCC florenis, dimiſit. Cum paullo adoleſceret, ut erat callidiſsimus, Regi Caſtellæ facile ſe commendavit, ac paulatim in ejus aula rerum ſumma potitus eſt. Verum A. MCCCCLIII a ſummo fortunæ culmine dejectus, capite mulctatus fuit, cujus rei cauſam fuiſſe quidam ajunt, quod cum Regina (quacum Rex invitus, Alvaro prope cogente, matrimonium inierat,) amores clandeſtinos foveret: alii vero id unum ſpectaſſe putant Regem avariſſimum, ut ita divitiis Alvari, quibus dudum inhiaverat, potiretur. Cœperat quoque Noſter Vitam *Veronicæ Mediolanenſis* deſcribere, ſed morte præventus non perfecit. Litteræ

p. 374. Th. Maynardi Conſulis, ut & Mercatorum Anglorum Ulysſipone commorantium, quæ hic annectuntur, ad Henricum Epiſcopum Londinenſem ſcriptæ, de Inquiſitionis Hiſpanicæ rigore, minoris ſunt momenti.

THE LIFE OF MR. HENRY DODVVELL.

i. e.

VITA HENRICI DODWELLI, UNA CUM Hiſtoria Operum ipſius, eorundemque tam editorum, quam ineditorum Synopſi; Autore FRANCISCO BROKESBY, Theol. Baccalaureo. Accedit Epiſtola EDMUNDI HALLEJI, Saviliani Geometriæ Profeſſoris, ad Robertum Nelſon, Armigerum, ſcripta, qua liber Dodvvelli de Cyclis recenſetur.

Londini, apud Richardum Smith, 1715, 8.
Alphab. 1 plag. 20.

Vita

Vita hæc Hibernorum eruditiſſimi, Henrici Dodwelli, a Rev.
Brokesby, annum jam ætatis ſeptuageſimum ſeptimum
agente, & *Hiſtoria Hierarchiæ Eccleſiæ primitivæ*, in Actis A. 1714
p. 462 ſqq. recenſita, claro ſcripta, & Nobiliſſimo Viro, Roberto
Nelſon, qui A. 1714 Vitam Georgii Bulli Epiſcopi edidit, inſcripta,
non uno nomine ſeſe commendat. Non ſolum enim ex optimis
fontibus, utpote ex propriis obſervationibus Autoris noſtri,
qui per quinque poſtremos vitæ Dodwelli annos familiariter
ipſo uſus, vel ex ipſius Dodwelli & amicorum ejus relationibus,
vel Epiſtolis ad illum ſcriptis & ad easdem reſponſionibus, vel
denique Operibus ejusdem hauſta eſt, ſed etiam præclarum eruditionis
& virtutum exemplum nobis ante oculos ponit, &, quod
non poſtremo loco memorandum, omnia Dodwelli ſcripta diligenter
enarrata exhibet. Natus autem Henricus Dodwellus p. 11.
Dublini in Hibernia A. 1641 ſub finem Octobris, paucis ante rebel- 12.
lionem diebus, & die 4 Novembris baptizatus eſt. Patrem habuit 8.
Wilhelmum Dodwellum officium militare, Magiſtri Equitum
dignitati reſpondens, vulgo *Corporal of the Field*, ornantem, matrem
Franciſci Slingsbeji filiam. Cum in pueritia aliquando 12.
ludendo vehementer defatigatus eſſet, mater ipſi, enixe licet rogan-
ti, non antea cubitum ire permiſit, quam preces ſolitas recitaſſet;
unde jam tum magni momenti eſſe preces, & 13.
nunquam ſibi illas intermittendas concluſit. A. 1648 cum pa-
rentibus in Angliam perveniens, Eboraci in Walliſii diſciplinam 14.
traditus, & parentibus, poſtea in Hiberniam reverſis, & mortuis,
orbatus in tantam incidit paupertatem, ut charta uti cogeretur, 15.
quam puellæ in tegendis operis ſuis adhibuerant, ad inſcribenda
illi exercitia a Præceptore propoſita, & carbonibus præterea
lignariis, pennis quippe & atramento deſtitutus. Victum quoque
accepit, tenuem quod vix ullum ſibi pretium ab illo hoſpes
promittere poſſet. Sed A. 1654 patruelis ejus, Henricus Dodwel- 16.
lus, reditibus Eccleſiaſticis in Suffolcia vivens, miſera cognati
fortuna percepta, debita pro illo ſolvit, eumque in ædes ſuas re-
ceptum literis in ſchola inchoatis ulterius excultum reddidit.
A. 1656 Dublini in Collegium Trinitatis admiſſus, diligentiam, 18.
pietatem, frugalitatem, charitatem omnibus probavit. Scho- 19.

p. 19. laris inde, quem vocant, & Socius, & Magiſter Artium ibi crea-
tus, in exercitiis, & homiliis ſacris in Sacra Collegii Æde
21. & Elphini habitis, & ſingularem pietatem & magnam eruditio-
22. nem oſtendit, aliorumque ſtudia promovit. Sacro ordini minus
23, ſeq. initiari voluit, doctrina licet inſigni, & præclaris ad illum doti-
bus inſtructus, partim ob muneris gravitatem, partim ob timidi-
tatem, & quod ipſe parum magnifice de ſe ſentiret, partim quod
tanquam Laicum Eccleſiæ & religioni ſe magis inſervire, & ad-
verſariis, Clero cauſam Dei defendenti objicientibus, quod pro-
priam cauſam tueantur, criminandi occaſionem eripere poſſe
putaret. Hinc, ut Collegii legibus ſatisfieret, Socii beneficium reli-
quit, licet Jeremiæ Taylor Epiſcopi benevolentia ſolvi illis potu-
26. erit. Cum D. Jo. Stearnius, qui tutor, quem vocant, Dodwello no-
ſtro in Collegio Trinitatis Dublinenſi extiterat, paulo ante obitum
ſuum Tractatum *de Obſtinatione*, ſive conſtantia in rebus adver-
ſis, finiiſſet, Dodwellus illum, ipſo deſiderante, poſt obitum pu-
blicavit, additis Prolegomenis, quibus Tutorem ſuum, qui Phi-
loſophiæ gentilis & Stoicæ præſertim placita ſummopere com-
33. mendans Scripturæ detrahere videri poterat, defendit. Dein
Duas Epiſtolas ſcripſit *de Sacrorum Ordinum ſuſceptione, & de Stu-
dii Theologici ratione*, illam in gratiam filii Lesleji Epiſcopi,
36. hanc in alterius gratiam compoſitam. Has ſecuta eſt *Præfatio*
Saleſii Introductioni ad Vitam devotam, Dublini A. 1673 editæ,
39. ἀνωνύμως præmiſſa. A. 1674 in Angliam profectus, & Londini
commoratus, anno ſequenti cum D. Lloydo, Epiſcopo poſtea
Aſaphenſi & Vigornienſi, amicitiam contraxit, eumque non
ſolum a Sacris Sereniſſimæ Principis Arauſionenſis conſtitu-
tum in Hollandiam comitatus eſt, ſed deinceps etiam cum
eodem Saliſburiæ MSSta contulit, & alibi conjunctus vixit.
40. A. 1675, occaſione Epiſtolarum Controverſarum, & Remon-
ſtrantiæ Hibernicæ, ſcripſit *Conſiderationes quaſdam de Re præ-
ſenti*, quibus oſtendit, quousque Pontificiis Principes alterius re-
ligionis fidem habere poſſint; item *Duas Diſſertationes contra
43. Pontificios*, quarum priori probat, quod Pontificii Anglicani ſint
Schiſmatici, poſteriori reſpondet ad ſex Quæſtiones a Pontificio
44. quodam fœminæ Anglicanæ religionis, ad ſeducendam illam,
45. obla-

oblatas, iisque Præfationem præmiſit,qua minime ſequi declarat, quod cum Non-Conformiſtæ ſint Schiſmatici, ſeparantes ſeſe ab Eccleſia Anglicana, etiam Eccleſia Anglicana ſit Schiſmatica, communionem cum Eccleſia Romana repudians. Iſtis vero p. 46.
Diſſertationibus viam paravit Operi, quo *Separationem Eccleſiarum ab Epiſcopali Regimine, ab hodiernis Non-Conformiſtis factam, Schiſmaticam eſſe* probat, occaſione Sermonis ſacri, a Jo. Sharpio ad Rom. XIV, 19 habiti, ſcripto; in quo etiam cap. XIV Diſſertationem inſeruit *de Peccato in Spiritum Sanctum*. Quo ipſo 49.
tamen opere multos adverſarios in ſe concitavit, qui ipſum a 52.
Pontificiorum partibus ſtare, criminati ſunt, & hos inter Baxterum præſertim, cui etiam A. 1681 *Reſponſionem ad defendendum* 53.
librum ſuum de Schiſmate oppoſuit, illique ſubjunxit *Tres Epiſtolas* A. 1673 ad Baxterum *de Epiſcopatu Diœceſeos* ſcriptas. Incho- 55.
avit etiam *Hiſtoriam primorum in Eccleſia Chriſtiana Schiſmatum*, tanquam partem ſecundam libri de Separatione Eccleſia- 58.
rum &c. modo ante memorati; ſed aliis negotiis præpeditus illam ad finem non perduxit. Quantum tamen abſolvit, Cl. Brokesby 59 ſeqq.
hic recenſet, qui etiam proximo loco exhibet Diſſertationem 72.
ejus *de Sacerdotali Remiſſione Peccatorum*, qua ſtatuit, quod ordinarie illa neceſſaria ſit etiam illis, qui pœnitentes ſint, licet longe poſt publicatam, & primo quidem Præmonitioni Epiſtolari Diſſertationi præmiſſæ additam, & deinceps ſeorſim publicatam; nec non Tractatum *de Uno Sacerdotio & Uno Altari*, A. 1683 de- 74.
mum editum, & a Cl. Grabio tanti æſtimatum, ut aliquando ſibi 82.
propoſuerit, in exterorum gratiam illum Latinitate donare, quæ huc refert ob cognationem rerum cum antecedentibus. Anno 84.
1681 Dodwellus Duabus Epiſtolis de Sacrorum ordinum Suſceptione &c. ſecunda vice editis addidit Diſſertationem *de Sanchoniathone*, eumque non magnæ eſſe autoritatis probavit. Circa 91.
idem tempus conſcripſit *Diſſertationes Cyprianicas*, & cum La- 114.
ctantii Opera Oxonii prodirent, Diſſertationem illis adjunxit, *de Ripa Striga*, cujus mentio in libro de Mortibus Perſecutorum. A. 1685 evulgavit librum *de Sacerdotio Laicorum*, occaſione Wil- 115.
helmi Baxteri, qui Hugonis Grotii Diſſertationem de Adminiſtratione Sacræ Cœnæ ſine Paſtoribus, Anglice translatam, ediderat

p. 116. ſub titulo, *Anti-Dodvvelliſmus;* quia nempe adverſabatur Dod-
133. welli libro de Schiſmate, ejusque Defenſionibus. A. 1686 *Jo.*
Pearſoni, Ceſtrienſis Epiſcopi, *Opera Poſthuma*, quæ A. 1688 prodierunt, edenda aggreſſus, Diſſertationes ejus novis additionibus
135. auxit, tum & peculiarem *de Succeſſione primorum Romæ Epiſco-*
141. *porum* Diſſertationem adjecit. A. 1689 ſecutæ ſunt *Diſſertati-*
177. *ones in Irenæum.* Paulo ante, quam Profeſſionem Oxonii obtinuit, recudendam curavit *Relationem de Fundamentalibus Principiis Papatus,* præmiſſa jam Præfatione, qua imbecillitatem evincit methodi tum temporis a Pontificiis uſurpatæ, ſententiam ſuam male eſſe repræſentatam dicentibus, & Epiſcopi Meldenſis Explanationem doctrinarum Eccleſiæ ſuæ Anglice vertentibus.
181. A. 1688 Camdenianus Hiſtoriæ Profeſſor creatus, & die 25 Maji Oratione inaugurali de Muneris ſui difficultate illud auſpicatus, *Prælectiones Camdenianas* habuit, poſtea cum *Fragmentis e li-*
218. *bris linteis* editas. In ultimis Prælectionibus occupatus, ſcripſit etiam Tractatum *de Præſtando novo Fidelitatis Juramento*, ut oſtenderet, quantum illi fallantur, qui tale juramentum præſtent cum declaratione, quod verba, *fides* & *fidelitas*, non plus innuant, quam vitæ tranquillitatem ſub præſenti Magiſtratu,
219. cui hoc præſtent. Cumque Schiſma facile oriri poſſe videret, ſi Epiſcopi, novum juramentum, Guilielmo Regi præſtandum, detrectantes, dignitate ſua exuerentur, aliique in eorum locum
220. ſurrogarentur, ut præcaveret illi, A. 1691 *Epiſtolam* ſcripſit ad Tillotſonum, poſtea publicatam. Ipſe præterea idem juramentum præſtare nolens, Lectiones habere prohibitus, & mox ab of-
223. ficio motus eſt. Et primo quidem Oxonii adhuc permanſit, poſtea vero Cookhamum, vicum inter Oxonium & Londinum
224. fere medium migravit, & Wilhelmo Sancroft, Archiepiſcopo Cantuarienſi, una cum ſex Epiſcopis, pariter ad tempus abdicato, eodem, quo antea Epiſtolam ad Tillotſonum ſcripſerat, fine in publicum emiſit *Diſſertationem Schiſmati cavendo inſervientem, ſpeciali cauſæ Epiſcoporum, ob recuſatam novi juramenti præſtationem ad tempus depoſitorum, ratione habita.* Sed Non-
235. Jurantibus Epiſcopis, non obſtante Diſſertatione illa, munere penitus privatis, aliisque in locum illorum conſecratis, & MSto

quo-

quodam Græco e Bibliotheca Bodlejana, ad vindicandam pra-
xin illam, ab Hodio edito, Noſter *Vindicationem Epiſcoporum ab-
dicatorum* evulgavit, Hodioque, ad illam reſpondenti, iterum op-
poſuit *Defenſionem Vindicationis Epiſcoporum abdicatorum.* Scri- p. 254.
pſerat quoque Tractatum ſub titulo: *Præfatio ad Defenſionem
Vindicationis abdicatorum Epiſcoporum;* qui tamen tum ſuppreſſus
poſtea rurſus hoc titulo comparuit: *Doctrina Eccleſiæ Anglicanæ* 268.
*de Independentia Cleri a Magiſtratu ſeculari, in rebus ſpirituali-
bus, conciliata cum juramento noſtro Magiſtratui præſtando, &
Epiſcopis Pontificiis ſub initium Reformationis a Magiſtratu ſe-
culari depoſitis conciliata.* Scriptis vero illis pro vindicandis 277.
Epiſcopis Anglice conſignatis, rogantibus amicis, A. 1704 eo-
dem ſcopo Latine edidit *Parænesin ad Exteros de nupero Schiſma-
te Anglicano.* A. 1694, ætatis 52, uxorem duxit fœminam, cui 306.
Cookhami antea principia religionis inſtillaverat, ex qua decem
ſuſcepit liberos, quatuor filios, & ſex filias, quorum unicus filius
Wilhelmus, & quinque filiæ adhuc ſuperſtites. Eodem anno 307.
Degorei Wheari, primi Cambdeniani Hiſtoriæ Profeſſoris, *Me-
thodum legendi Hiſtoriam*, a Bahuno Anglice translatam, cum
Præfatione emiſit, qua Juvenibus honeſtiori loco natis ſuadet, ut
Hiſtoriam antiquam ſibi familiarem reddant. Mox eruditum 308.
de Cyclis Tractatum edere aggreſſus eſt, & A. 1696 *An-* 309.
nales Thucydideos & Xenophonteos, & 1698 *Vellejanos*, *Quinti-* 311.
lianeos, & *Statianos*, una cum Appendice duarum Diſſertationum 316.
de Julio Celſo, & *Commodiano*, publici juris fecit. *An-* 318.
nales præterea *ad Plinium*, *Cæſarem* & *Joſephum* inchoavit, ſed
non abſolvit. Ad ejus generis ſcripta referenda etiam *Chrono-
logia* ipſius, a Cl. Hudſono *Dionyſio Halicarnaſſeo* A. 1704 addita.
A. 1701 lucem vidit *Epiſtola* ejus antehac ad Amicum ſcripta, & 321.
nunc adjuncta ſecundæ editioni Jo. Richardſoni Canonis N. T.
vindicati, qua declarat, ſe minus favere Tolando, qui in Amyn-
tore ſuo loca quædam ex Diſſertationibus ipſius in Irenæum pro
mala cauſa ſua allegaverat. Hanc A. 1702 excepit alia *ad Sam.
Parkerum*, qui Ciceronem de Finibus Anglice reddiderat, qua 325.
Petiti aliorumque objectiones contra Tullii Scripta Philoſophi-
ca diluit, & præſtantiam illorum & uſum oſtendit; & hanc rurſus

p. 319. alia *de Immortalitate Animæ* contra hypotheſin Henrici Laytoni, qui etiam illam in libro, *Argumenta & Reſponſiones, quoad Diſputationem de natura animæ humanæ &c.* inſcripto, publicavit. Cum
330. Cl. Hudſonus *Geographos Minores* aliquot Voluminibus A. 1698,
355. 1703 & 1712 ederet, Noſter *Hiſtoriam* illorum adjecit. A. 1698
370. *Inſtrumentorum Muſicorum in Sacris Uſum* peculiari Tractatu, A. 1700 recuſo, defendit. A. 1702 Diſſertationem ſcripſit *contra Matrimonia hominum, qui diverſæ religionis ſunt,* & A.
400. 1704 duas *de Ætate Phalaridis & Pythagoræ* Exercitationes.
418. Cum falſa ſerperet opinio, quod quisque cum cœtu diverſæ religionis in communionem venire poſſit, A. 1705 librum illi oppoſuit hoc titulo: *Communio, prout occaſio fert, inita funditus evertens diſciplinam primitivæ Eccleſiæ Catholicæ, & Doctrinæ Scripturarum antiquiſſimarum de communione Eccleſiæ repugnans.* A.
439. 1709 Diſſertationem conſcripſit *de Uſu Suffimentorum in Sacris,* A. 1711 prelo excuſam, qua illum non ab Apoſtolis inſti-
453. tutum, ſed media demum ætate enatum oſtendit. Epiſcopis, qui exautorati fuerant, ad exiguum numerum redactis, A. 1705 in publicum emiſit *Caſum eminus conſideratum,* quo demonſtrare conatur, quod illi, qui ſeparatam cum Epiſcopis illis communionem habeant, poſt mortem vel reſignationem eorundem Præſulum non amplius obligati ſint, ab Epiſcopis, qui Schiſmatis
460. rei eſſent, ſeſe ſeparare. Et inſecuta jam A. 1710 die 1 Januarii Guilielmi Lloydi, Epiſcopi Norvicenſis, pariter abdicati, morte, & unico exautoratorum ſuperſtite Thoma Keno, Epiſcopo Bathonienſi & Wellenſi, juri ſuo cedente, & optante, ut homines in communionem cum præſentibus Epiſcopis redirent, Noſter non ſolum cum aliis amicis in communionem rediit, ſed etiam ſcripſit *Caſum olim eminus, nunc in facto conſideratum,* de quo conf.
478. Acta noſtra A. 1712 p. 443 ſqq. Ante hoc ſcriptum etiam ediderat *Ulteriorem Proſpectum Caſus eminus conſiderati,* qua ad
490. Objectiones nonneminis reſpondet. A. 1709 *Notas* conſcripſit *in Julii Vitalis Epitaphium,* Bathoniæ inventum, & a Cl. Hearnio
492. Alfredi Regis Vitæ ſubjunctum. A. 1700 ad Inſcriptionem quandam Puteoli inventam, & a Conſultiſſimo Gœtzio noſtro J. U. D. & Reip. Lipſienſis Senatore, & Bibliothecario

Bibl.

Bibl. Senatoriæ, cum Cherrejo Dodwelli amico per literas communicatam, obſervationes ſuas dedit. Ad eundem Gœtzium miſit etiam breves obſervationes ad aliam Inſcriptionem p. 493. Bajis inventam. Ultima, quam Dodwellus abſolvit, Diſſertatio eſt *de Parma Woodwardiana*, de qua vide Acta A. MDCCXV p. 13. Inchoavit etiam Diſſertationem *de Legibus Naturæ & Nationum*, 499. ſed morte præventus ad colophonem non perduxit. Paullo 503. ante obitum narravit, ſe quoque aliquid molitum eſſe de tempore & ordine, quo Tertullianus libros ſuos compoſuerit, illosque diſtinxiſſe in eos, quos (1) orthodoxus, (2) ad Montaniſmum inclinans, (3) Montaniſta ſcripſerit. Sed Cl. Brokesby de illis inquirens deprehendit, quod in elaborando opere non adeo longe proceſſerit, qui etiam inde refert, opus ad Nationes ex Dodwelli ſententia primum eſſe, quod Tertullianus publicaverit, & anno quidem 198. Proximum eſſe Apologiam, ante prius quidem cœptam, ſed poſt illud demum finitam, cum in hoc ad illud provocet. Hanc excepiſſe librum de Teſtimonio Animæ. Edere quoque Dodwellus voluit Tractatum *de Morte Judæ*, 504. & Diſſertationem *de Tempore Verſionis* LXX *Interpretum*, & in hac quidem ex Eupolemo apud Clementem Alexandrinum aliisque oſtendere, quod illa non confecta ſit tempore Demetrii Phalerei, & Ptolemæi Philadelphi, filii Ptolemæi Lagidæ, ſed Demetrii Phalerei Grammatici, & Ptolemæi Philopatoris, qui æque poſſit eſſe Philadelphus ac prior; quemadmodum plures etiam Phyſcones, Soteres, Philometores & Euergetæ extiterint. Neque 505. minus de Barnabæ Epiſtola evulganda cogitavit, & Prolegomena ad illam jam A. 1691 abſolvit, ſed bello commercium cum exteris impediente, in aliud tempus editionem ejus rejecit. Ad textum emendandum tum proprias obſervationes, tum Eduardi Bernardi notas in promptu habuit. Quarum quidem mentionem ſub vitæ finem fecit, & quod præter literalem verſionem etiam paraphraſin addiderit. At ea poſt obitum ipſius minus ſeſe obtulit, interim ſpem tamen facit Brokesby, fore, ut brevi Epiſtola illa, ſchedarum & notarum Dodvvelli adjumento, cum ejusdem Prolegomenis, Barnabæ illam vindicantibus, & hic pariter recenſitis, compareat. Non ſolum autem Dod- 513.

wellus

wellus ſcriptis ſuis, ſed virtutibus etiam illuſtrem ſeſe reddidit.
pag. 517. Ex ſtudio eruditos juvandi omnes fere libri ejus nati ſunt. Inde
etiam factum, ut, cum Cl. Jo. Fridericus Burg, hodie Wratislaviæ Eccleſiaſtes, ipſum de Lexico quodam Linguæ Helleniſticæ, quod meditatus eſt, per literas tam ſuas quam Cl. Hearnii conſuleret, utrique licet breviter ob corporis imbecillitatem re-
518. ſponderit, & ad Hearnium quidem ſcripſerit, quod præter Concordantias Kircherianas, Damaſcius MStus περὶ ἀρχῶν, & Opera Platonis, & præcipue Theologia ejus, una cum Commentariis Sectatorum ipſius, Plutarchi, Plotini, Porphyrii, Jamblichi, Procli, & hujus imprimis in Timæum, eum in finem legi debeant. Numerium quoque, ſi ex MSto aliquando prodeat, ſummopere ſcopo illi inſervire poſſe, quippe qui a Patribus allegetur tanquam Moſaicæ Philoſophiæ addictus, adeoque procul dubio in Helleniſticam Philoſophiam influat. Alias vero declaravit, phra-
519. ſes N. T. ex uſu Scriptorum Helleniſticorum, ut LXX Interpretum, Librorum Apocryphorum, Joſephi, imprimis autem Philonis, intelligendas eſſe, cujus ratione habita in Epiſtola illa Platonicos commendavit. De Rabbinicis autem & Talmudicis Scriptoribus utpote fabuloſis & recentioribus judicavit, quod hunc in
520. cenſum venire non debeant. Communicavit etiam A. 1708 cum Cl. Schelwigio, Profeſſore Gedanenſi, Theophilum Antiochenum ad Autolycum edituro, Diſſertationem, qua oſtendit, quod Theophilus Epiſcopus Antiochenus non fuerit Autor illius ſcripti; quam utique typis edi optavit. In Caſibus conſcientiæ multi eum conſulentes promtiſſimum invenerunt. Induſtriam ejus ſatis loquitur tanta ſcriptorum varietas & mul-
522. titudo, & quod diverſos Codices MStos, ex Bibliotheca præſertim Bodlejana, deſcripſerit. Iter magis pedibus fecit quam rheda, ut eo melius tempus illi impendendum in legendis libris poſſet conſumere. Hinc in marſupio Biblia Hebraica, Novum Teſtamentum Græcum, libellum precum, Thomam a Kempis,
524. Auguſtini Meditationes aliaque ejus generis ſecum portavit. Per ultimos autem viginti annos vitæ ſuæ, cum in Bercheria partim Cookhami, partim in pago *Schottesbrocke* appellato, potiſſimum commoraretur, ſæpe tamen vel Londinum vel

Oxoni-

Digitized by Google

Oxonium excurrit. Cum oculi ipſius hebeſcerent, ut ad candelam legere non potuerit, libros ſibi prælegi curavit. Charitatis Chriſtianæ fuit ſtudioſiſſimus, quam in variis caſibus, & erga adverſarios etiam luculenter declaravit. Humilitati & modeſtiæ fuit deditus, in bona cauſa interim defendenda zelum & animum fortem præ ſe ferens. Temperantiæ ſe totum tradidit, tribus diebus in hebdomade, die Mercurii, Veneris & Saturni, jejunans usque ad cœnam,& tum etiam carne abſtinens. Similiter etiam tempore Quadrageſimali per omnes dies hebdomadis jejunium ſervavit, excepto die Solis, quo prandit, ſed ſine carne. Quam conſuetudinem usque ad poſteriores duos vitæ annos continuavit, ab amicis poſtmodum ab illa revocatus. Ex qua tamen abſtinentia moroſus illo tempore nonnullis viſus eſt. Cumque magis cum libris quam cum hominibus verſaretur, inde factum, ut ſæpe in ſcriptis ſuis cogitata ſua non ita clare expoſuerit, quam feciſſet forte,ſi frequentius in hominum conſortium veniſſet. In literis ad Amicos ſæpe conqueſtus eſt, quod paucis animi ſenſa explicare non poſſit. Putavit vero, quod concluſio non eſſet firma, niſi amplo fundamento niteretur. Hinc frequentes in ſcriptis ipſius digreſſiones. Eccleſiæ Anglicanæ conſtanter addictus fuit, a Pontificia plane alienus. Miniſterium Eccleſiaſticum in pretio habuit. Divinæ providentiæ ſe tradidit totum. Deum coluit & publicis & privatis precibus diligenter, & ſacra cœna crebro uſus eſt. Cum eruditis exteris, Noriſio, Pagio, Magliabecchio, Grævio, Perizonio, commercium literarum ipſi interceſſit. Octo ante obitum diebus viribus valde imminutus viſus eſt, præcipue autem die 6 Junii A. 1711. Die 7 Junii miſit ad Brokesbyum, Vitæ hujus Autorem, quo accedente, & loca quædam Scripturæ, ex Pſalmis maxime, ipſi prælegente, ſemet ipſum increpans, quod animum advertere non poſſit illis, quæ legerentur, adſtantium preces deſideravit, & varias ejaculationes emiſit. Et ipſo, quo expiravit, momento aliquis audivit, quod precibus adſtantium *Amen* addiderit. Ceterum exiguæ, ſed apta membrorum convenientia ſe commendantis fuit ſtaturæ, ſanguineæ & formoſæ corporis conſtitutionis, gravis, ſerii, ſed placidi vultus, viſus acris, judicii ſolidi, & expeditæ perceptionis, amicus ſincerus, erga

p. 525 ſeqq. 530. 531. 533. 534. 535. 536. 539. 541. 542. 545. 546.

pauperes, non obſtante fortunæ anguſtia, liberalis, in ſermonibus & converſatione candidus, affabilis omnibus, hilaris in maximis calamitatibus, facetus ſi occaſio ferret, ad conſilia ſuppeditanda promtus, & eruditione ſua libenter aliis inſerviens. Ita deſcribit illum Hearnius Vol. V Leland. p. 112, cui Noſter addit, quod
p. 547. corpore fuerit validus, & aliquando, ſe neſcire, dixerit, quid capitis dolor eſſet. Inde tamen factum, ut increſcente ætate ſalutis minorem curam habuerit, quam debuiſſet. Biennio ante mor-
548. tem in itinere pedeſtri Londinum verſus tempore brumali ſuſcepto, tuſſim ſibi contraxit, quæ quidem poſtea imminuta, ſed non penitus curata eſt. Tandem in febrem incidit, quæ, cum adhuc tertiana eſſet, ſtudia non neglexit, cum autem quartana eva-
549. deret, ab illis deſiſtere coactus eſt. Mortem itaque prævidens, de publicandis MSStis ſuis ad finem perductis voluntate ſua expoſi-
550. ta, ad illam ſe paravit, & die 7 Junii ſupra memorato paulo poſt horam quartam matutinam placide obdormivit. Sermonem funebrem ſibi haberi, modeſtia quadam noluit. Sepultus in ſacrario templi Shottesbrochiani, præter lapidem ſepulchralem, vitam ipſius breviſſime referentem, monumentum quoque marmoreum pleniori inſcriptione a D. Friendio, amico ipſius, ornatum nactus eſt. Mirabitur forſan Lector, quod nulla hucusque mentio facta ſit Dodwelli Diſſertationis Epiſtolaris de *Immortalitate Animæ*, ſed Rev. Autor noſter hypotheſin ejus in
563. ſeqq. proprios uſus antehac ex illa æque ac Præmonitione, & Defenſionibus duabus Præliminaribus collectam, in fine ſubjunxit, eo quidem ordine, ut (1) referat, quid Dodwellus ſtatuat de anima in prima origine conſiderata, (2) qualis mens ejus fuerit de illa poſt lapſum, (3) qualis redemtione & reſtauratione Chriſti facta ſit. De-
613 ſqq. nique Cl. Edmundus Hallejus Epiſtolam addidit ad Robertum Nelſon, Armigerum, qua Dodwelli librum *de Cyclis* breviter & dilucide, rerum Chronologicarum tamen ratione tantum habi-
622. ta, recenſet, & duos in illo errores notat. Alter eſt, quod Dodwellus in Tabulis de Cyclo Metonico unamquamque diem ſexageſimam tertiam exemtilem faciat, loco ſexageſimæ quartæ, & ſic ultimos quatuor menſes anni nonageſimi omnes plenos re-
623. linquat, cum alternatim pleni & cavi eſſe debuerint. Alter, quod

Cy-

Cyclum Calippi incepiſſe ſtatuant Kalendis Julii, Anno ante Chriſtum 330, cum potius nocte inter 28 & 29 Junii Cyclus ille initium habuerit. Nihil addimus, quam ut moneamus, quod præter Prolegomena ad Stearnii librum de Obſtinatione, Diſſertationes Cyprianicas, & in Irenæum, de Ripa item Striga, de ætate Dionyſii Halicarnaſſei, Phalaridis & Pythagoræ, de Parma Woodvvardiana, & ad Geographos Minores Diſſertationes, de Jure Laicorum Sacerdotali, & Græcorum Cyclis Tractatus, Additiones ad Pearſoni opera, Prælectiones Camdenianas, Annales Vellejanos, Quintilianeos, Statianos, Thucydideos & Xenophonteos, & de Schiſmate Anglicano Parænesin, omnia Dodwelli ſcripta Anglico idiomate ab ipſo ſint conſignata.

Richtige Vorurtheile der heutigen Welt in Glaubens-Lehren ꝛc.

i. e.

SECULI MODERNI PRÆJUDICIA NONnulla de capitibus fidei; Autore M. CAROLO GODOFREDO ENGELSCHALL, Conc. Aulico Regio & Electorali Sax.

Lipſiæ, apud Auguſtum Martini, 1716, 8.
Alph. 2 / pl. 5.

CAuſa, quæ S. R. Autorem ad ſcribendum impulit, palmaria fuit, quod multoties hucusque intellexit, peſſimas de rebus ad religionem pertinentibus ſententias plurimorum hodie animis inſidere, idque in Aulis præcipue, ceu luculentiſſimis vitiorum theatris, obſervari. Peſtem itaque latius ſe quotidie diffundentem, ut, quantum poſſet, deprimeret, cum alia, tum imprimis muneris, quod gerit, ratio efflagitare videbatur. Hac mente commentationem præſentem, XXV de capitibus quibusdam fidei Præjudicia complectentem, confecit, additurus brevi alteram, qua de præjudiciis vitam Chriſtianorum concernentibus exponetur. Sub exordium hujus Tomi generatim de natura & indole Præjudiciorum Theologicorum commentatur, quæ dicuntur eſſe opiniones hominis irregeniti, de rebus ad fidem vi-

Digitized by Google

tamve pertinentibus, natura earum nondum ad normam divinæ Scripturæ explorata, conceptæ, ex quibus deinceps, ceu legitimis principiis, aliæ concluſiones, quamvis iniquiſſimæ, deducuntur. Quæ in ipſa Opuſculi hujus ἐξεργασίᾳ diſcutiuntur Præjudicia, ſequentibus inſignita ſunt lemmatibus: *N. 1.* Dubium eſt, utrum divinum aliquod Numen exiſtat. *N. 2.* De Deo, divinisque rebus certi quid cognoſci nequit. *N. 3.* Sine accurata Dei notitia ſalutem quis conſequi poteſt. *N. 4.* Religio artibus & fraudibus politicis annumeranda eſt. *N. 5.* In qualibet religione via ad Cœlum patet. *N. 6.* Chriſtiana Religio an pro vera agnoſci debeat, dubium valde eſt. *N. 7.* Incertum eſt, utrum Eccleſia, Lutheranam quam vocant, germana ſit & vera. *N. 8.* Cœtui Romano-Catholico, Lutheranorum relicto, illæſa quis conſcientia nomen dare poteſt. *N. 9.* Calvinianis petita religionis unio non videtur deneganda. *N. 10.* Religio Socinianorum longe eſt melior, quam vulgo exiſtimatur. *N. 11.* Arminianorum religio reliquas omnes bonitate vincere videtur. *N. 12.* Quietiſmus vulgaribus criminationibus ut dignus ſit tantum abeſt, ut potius laudari magnopere debeat. *N. 13.* Inſtauranda eſt Theologia Myſtica in cœtu noſtro, diligentiusque multo, quam hactenus factum, colenda. *N. 14.* Enthuſiaſtarum & Fanaticorum doctrinæ minus ſunt rejiciendæ. *N. 15.* Quakerorum αἱρέσις minus eſt prava & pernicioſa, quam vulgo putatur. *N. 16.* Carteſiana Theologia omnium optima eſſe videtur. *Num. 17.* Coccejanis bonorum Theologorum laus eripi non poteſt. *N. 18.* Spinoſæ dogmata permultum abſunt ab illa impietate, cujus vulgo accuſantur. *N. 19.* Regnum millenarium ſolido fundamento inniti videtur. *N. 20.* Scripta Weigelii divini Spiritus cœleſtisque virtutis ſunt pleniſſima. *N. 21.* Jac. Bohemus libris ſuis emendatiſſimam ſuccique plenam Theologiam tradit. *N. 22.* Labbadiſtarum doctrina ita eſt bona, ut melior optari nequeat. *N. 23.* Novæ Balthaſaris Beckeri hypotheſes fundamento ſuperſtructæ ſunt firmiſſimo. *N. 24.* Univerſalis omnium Judæorum converſio eſt omnino expectanda. *N. 25.* Impiorum ex inferno redemptio utique eſt aſſerenda. In ſingulis hiſce Præjudiciis ita ſe geſſit Summe Rev. Auctor, ut initio in eorum fontes & effecta indagaverit, ſimul-

ſimulque, quæ ex ſacra hiſtôria, vel aliunde explicanda videbantur, illuſtraverit: deinceps a vero quemadmodum recedant, adductis argumentorum ponderibus, commonſtraverit: illa porro, quibus firmari aliquo modo poſſe videbantur, præſidia deſtruxerit: media denique, quibus morbis iſtis mederi aliquis poſſit, ſuppeditaverit. Multa itaque hinc inde ex omni ſanctioris diſciplinæ genere afferri, facile poteſt intelligi. Neque immerito libellum huncce ſimul pro compendio Theologiæ Elenchticæ habueris, quando in eo cujusvis ſectæ errores palmarii recenſentur, & cœleſtis auctoritatis robore infringuntur.

E LITERIS CHRISTFRIDI WÆCHTLERI JC.

JOſephi Averanii, JC. & Anteceſſoris Piſani, Libri Duo Interpretationum Juris, quos nuper admodum recenſuerunt hæc Acta, peculiarem hanc ſibi laudem vendicant, quod ibi non tam cenſuræ Criticæ & correctiones textuum, quam evolutiones proponuntur rerum quodammodo occultarum, & ex priſcæ antiquitatis fontibus eruendarum. Eo pertinet ſuo jure locus Ciceronis, quem attulit Noſter L. 1 c. 3. ut oſtenderet, cur olim mandari non potuerit merum imperium? Ac mirum, in eundem L. 1 c. 3. non incidiſſe V. Cl. ac JC. priſcis parem, Gerardum Noodt, quum 1691 ederet Libros duos de Jurisdictione & imperio. Sed neque illud ſcio, an hos viderit Joſephus Averanius? Certe eandem *L. 1 de offic. ejus, cui mand. eſt jurisd.* expendit D. Noodt Libro 2 c. 4 & 5, ac potuiſſe equidem ait mandari merum imperium, ſed ſpeciatim tantum & immediate vel ex lege publici judicii, vel ex conſtitutione Principis. Legem publici judicii Quæſitori ſæpe addidiſſe Judicem quæſtionis, atque adeo meri imperii mandationem permiſiſſe. *L. 1 pr. & §. 1 ad L. Corneliam de Sicariis.* Quibus autem caſibus Legum additus fuerit is Judex, hodie dici non poſſe, conſumptis per injuriam temporum plerisque Veterum monumentis. Ex conſtitutione Principis additum eſſe Præfecto Urbi Vicarium Urbis. *L. 1 C. de officio Vicarii.* Quem textum e verbis Ammiani Marcellini & Ambroſii plenius intelligi docuit Noodt L. 2 c. 1 & 6. Meminit ſane Cl. Averanius etiam n. 22 cognitionis cuſtodiarum, quam Proconſul mandare potuerit

Digitized by Google

Legatis, *L. 6 de off. proconſ. & legati.* Sed ad hunc ipſum textum reſpondet D. Noodt Lib. 2 c. 4, ita quidem ſolitum Proconſulem, ex mente autem Ulpiani adverſus regulam juris, *Extraordinarium* hic eſſe, quod contra rationem juris & legum ordinem aliquando obtineat. Nominis autem ſono tantum diſtingui Jure
c. 4. veteri jurisdictionem & mixtum imperium, Lib. 1 c. 2. Mixtum eſſe, quo etiam jurisdictio continetur, quodque etiam jurisdictio appellatur. Municipales autem habuiſſe tantum notionem de quibusdam cauſis usque ad certam ſummam, & partes illas jurisdictionis, quæ de plano potuerint exerceri. c. 3. Mixtum non abſolvi modica coercitione, ſed hanc in ceteris magiſtratibus, præter municipales, eſſe partem, ſive imperii ſive jurisdictionis. Eodem hæc recidere ex mente Ulpiani. Iſta cum videret Ulricus Huberus, dixit Eunom. p. 84, Noodtium nil novi afferre, ſed ſequi tantum Cujacium, Lib. 21 Obſ. c. 30. Diverſitatem rerum innui Ulpiano per *etiam: cui etiam jurisdictio ineſt.* Statim tamen, *jurisdictio eſt etiam judicis dandi licentia.* Duo hæc ſunt exempla ejusdem rei ipſi Cujacio. Sed & largitur, ex ſocietate & junctura imperii cum jurisdictione, mixtum appellari imperium. Noodtius contra Libr. 1 c. 3 reſpondit ad *L. 26 ad municip.* quam tamen in Obſerv. 30 non tetigit Cujacius, neque præſidium cauſæ quæſivit is ibi in verbo *ſolos* magiſtratus, *L. 131 de V. S.* Utique tamen in Comm. ad h. t. quodque ab Averanii adeo acumine profectum non eſt. Neque etiam videtur is legiſſe Ev. Ottonem *de Ædil. Coloniar. & Municip. c. XII.* Ulpianum cum Africano
c. 5. in *L. 10 de jurisd. omn. jud. & L. 77 de Judic.* eo modo conciliaſſe dicent alii ipſum Ulr. Huberum in Prælect. *de judic. n. 8*, niſi quod cauſam ex ritu veteri is non dispunxit ſicut Noſter. Deinde non abnuere Averanium n. 17, in judiciis publicis & criminalibus quoque factam ſortitionem, atque etiam rejectionem, mox ſubſortitionem, teſte Cicerone & Aſconio Pediano, in 2 in Verr. Cujacius Africano ad h. L. 77 monuit, Ulpianum in L. 10 non meminiſſe filii, nec patris, inter ſe; forte quia cogitabat, fieri poſſe, ut nunc pater nunc filius jurisdictioni præeſſet. Sic filius familias magiſtratum gerit, *L. 13 §. ult. ad SC. Trebell.* Atque is cogere poteſt patrem, ut adeat & reſtituat hereditatem, quam ſuſpectam dice-

Digitized by Google

dicebat, etiamſi filius ſit in poteſtate illius. Nam quod ad jus publicum attinet, non ſequitur ejus poteſtatem. *L. 14 pr. d. t.* Quodſi male judicet filius, tenebitur in totam quantitatem peculii, *L. 15. de judic.* cujus veram lectionem e Græcis tuetur D. Gothofredus. Spectat huc etiam pars Græcarum literarum D. Hadriani, in *L. 48. de judic.* quem Pauli textum in Baſilicis probe inſpexit Zach. Huberus Diſſ. 6 c. 2. §. 2. Græca ibi ſic lego, *ἄρχων ὄτε περὶ ὧν ἐπιτροπεύει, ἢ κουρατωρεύει, κρίνει*, omiſſo ἢ altero. Latina autem ita contrahit: *Magiſtratus neque propriam cauſam agit, neque judicat cauſam eorum, quorum tutor vel curator eſt.* Reliqua abundant. Ex Baſilicis autem cogites etiam de ipſo illo textu Pauli: *magiſtratus, quo anno cum imperio ſunt, neque propriam cauſam agant, ſive actores ſint ſive rei: neque judicent cauſam eorum, quorum vel tutelam vel curam gerunt.* Si Theophilus caſtigandus eſt ad §. 8 I. de J. N. G. & Civ. ipſe etiam Juſtinianus cenſura Noſtri minus accurate conjunxiſſet jus, quo utimur, ceu genus, cum ſpecie juris eminente, quæ eſt Lex n. 14. Atqui laudavit in eo Noſter, quod per Novell. 24 Prætoribus conceſſum tantum fuerit, *τὰ περὶ τῶν νόμων γράφειν, ea ſcribere quæ ad leges pertinent*, non Leges. n. 9. & 10. Nomothetas a Græcis dictas etiam illos, qui legem condere non poterant, n. 13, ubi notabilis locus Pollucis. Sed & diſtinguit Theophilus ad §. 4 characterem Legis a quinque reliquis ſpeciebus juris, *ἐξ αὐτοῦ (νόμου) κατάγονται αἱ λοιπαὶ νομοθεσίαι, ex lege proficiſcuntur & ceteræ quinque rationes juris conſtituendi.* Et §. 7 *οἱ πάλαι βασιλεῖ καὶ ἐν δεκρέτῳ καὶ ἐν ἐδίκτῳ νομοθετεῖν ἐπιτρέψαντες, ἄρχουσι δὲ οὐκ ἔτι, Veteres principum decreta & edicta legis vigorem habere voluerunt, magiſtratuum vero non item.* His poſitis dicemus, Theophilum nunc uſum verbo *νομοθετεῖν*, nunc *δικαιοδοτεῖν*, *jus conſtituere, jus reddere, dicere*, non promiſcue, ſed ubique ſenſu congruo & ad rem apto. Quæ de Lege Cornelia & SCto adhuc antiquiore ex Aſconio Pediano & Dodwello ad Spartianum (addo, Cambden. p. 333 & 665) afferuntur, perlibenter cum ſuis comparabit D. D. Laur. Andreas Hambergerus. Id vero ille non admiſerit, Salvium Julianum autorem etiam eſſe interdicti Salviani. *Diſſ. Jenenſ. de Edicto perpet. c. 6 p. 15.* Nec enim, ait, ſi auctor interdicti fuiſ- c. 6.

fuiſſet, diſtingueret ipſe actionem directam & utilem, quin conſiteretur ſuam vel inſcitiam vel oſcitantiam, lege nimis anguſte ſcripta proditam. Ubi præeuntem habet Ill. D. a Bynckershoek L. 1 obſ. XXIV. Omnes tamen cauſas Interdictorum & caſus, in quibus locum habere poſſint, nunquam expreſſerunt auctores illorum, nec poterant facile futura omnia prævidere. Nam nec Deus, qui ſolus poterat, in legibus divinis omnibus eo modo nobiſcum loquitur. Et nemo Veterum hoc nomine redarguit vel Julianum, ſiquidem auctor eſt hujus interdicti, vel ullum Prætorem alium. De antiquitate interdicti noſtri teſtantur Paulus & Ulpianus, duobus pene ſeculis juniores Juliano & Hadriano ipſo. Modeſtiæ argumentum eſt, quod in tota Lege prima nihil arroganter dictum. Rubricam unde titulo quæſierint Collectores, ſi in Edicto non extabat, nemo inſtet. Sed nec de eo liquet, quod ait Jo. de Water L. 1 C. XIV, Ulpianum in *L. 10 de pignor. & hyp. κατὰ πόδα* deſcripſiſſe Julianum, *L. 1 de Salv. Interd.* At vero in l. 2 reticentur quædam ab Ulpiano, καὶ λοιπὸν, Græci. Scholia, λοιπὸν δὲ ὁ ἡττηθείς. Obiter iſta. Suſpicabatur ergo ſimiliter Cujacius, inventum illud a Juliano; eumque forte ſequi voluit Noſter. Huberus autem nomen tantum habere a Salvio iſto ſine dubio, affirmandum duxit; quaſi Collectores ex prima lege Juliani, rubricam totius tituli ideo fabricaſſent, quia eum lex prima tantum non ſola exhaurit. Ulpianus autem *L. 2* in dubio relinquit rem totam. Ac præterea alium adhuc habemus Salvium, qui Julianum vel conſuluit vel ei reſpondit, *L. 6. de legat. præſtand.* ſive is Salvius Ariſto, ſive etiam Titus Salvius Ariſto nominandus ſit. Guil. Grot. *de Vit. JCt. L. 2 c. 3.* Diximus, poſtulaſſe ſibi Noſtrum c. VII, quædam veluti interim concedi circa B. P. a Prætore introductam; quod nunc explanandum eſt. Prætor, dando B. P. contra tabb. non reſcindit teſtamentum, nec de-
c. 7. functum facit inteſtatum. Reſcinditur quidem hic judicium patris teſtantis, ſed non ipſum teſtamentum. Ulpianus *l. 1 pr. de legat. præſtand.* Hic titulus æquitatem quandam habet naturalem, *& aliquid novum.* (Edit. Pariſ. Chevallon. 1527.) Nam adhuc ex judicio ejus præſtantur quibusdam perſonis legata & fideicommiſſa. Similiter B. P. contra tabb. eſt adhuc ex teſtamento.

Quo-

Digitized by Google

Quoties reſcinditur judicium teſtatoris a Jure Civili, reſcinditur etiam teſtamentum. De Prætore autem mollius dicitur, quod illud hactenus ſtare non patiatur. *L. ult. §. ſancimus. C. de lib. præter.* Ideoque B. P. contra tabb. quam Prætor dedit, iterum recidit ad irritum, ſi filia defuncti exheredata, quæſtionem inofficioſi teſtamenti recte pertulit. Nam priore judicio non de jure teſtamenti quæſitum eſt a Prætore, ſed tantum de jure avi contra heredem ſcriptum extraneum. *Lib. 16. pr. de inoff. teſtam.* Nam & ipſi plerumque ſcripti heredes plane omittunt propter hoc hereditatem, cum ſciunt imminere B. P. contra tabulas. *L. 4. de legat. præſtand.* Ideo autem dicimus Prætorem non reſcindere teſtamentum, quia nec poteſt reſcindere, nec facere eum inteſtatum, qui recte teſtatus eſt. Faceret enim contra legis autoritatem. Qui autem legem non poteſt condere, vim legis etiam directe non infringit. Si ergo ſuccurrit præterito, non excludit heredem inſtitutum, quo minus adeat; ſine effectu tamen eſt illa aditio, quia Prætor effectum ejus indirecte poteſt impedire per datam B. P. Sic enim præfert heredi ſcripto præteritum. Repugnat hoc ſcripturæ teſtamenti & eatenus dicitur B. P. contra tabb. Sed eſt tamen ex teſtamento, licet non ſecundum teſtamentum. Leo Thrax in *L. 17 C. de collat.* noluit ſequi apices accuratioris dictionis, neque tamen illos turbavit aut corrupit. Nam & Prætor ipſe data B. P. contra tabb. non remiſit collationem, quia ſolus pater teſtator poteſt partes inæquales facere. Neque jus etiam Digeſtorum remittit eam filiæ lite perlata inofficioſi, ſi omnes veniant eodem jure ad hereditatem; utique, ſi diverſo. *L. 6 L. 7 de dot. collat.* Leo autem in caſu propoſito venire omnes libros eodem jure æqua lance parique modo ad bona defunctorum parentum judicavit, quando jure teſtati nullus eorum ſuccedit. Bonorum poſſeſſio litis ordinandæ gratia non c. 8.
exponitur a Noſtro c. 8 ex *L. 8. pr. de inoff. teſtam.* nam ibi nominatur tantum. Quod denuo fit §. 1. Si quis, *poſt rem inofficioſi ordinatam*, dereliquerit litem, i. e. poſt petitam B.P. litis ordinandæ gratia, poſtea non audietur. Græci in his textibus adhuc abruptius loquuntur, & ſimpliciter *μετὰ τὸ ἐυτρεπισθῆναι ἐπὶ κινήσει*, item *προευτρεπίσαι τὴν δίκην*, *poſt præparatam litem.* Perperam

etiam transferunt L. 8 §. 1 h. t. *Si quis poſt litis conteſtationem, litem deſeruerit.* Illa enim multum differt a B. P. litis ordinandæ gratia. In Scholiis contra ſepties adeo repetitur ἡ λίτις ὀρδηνανδαι γράτια διακατοχή. Veteres Gloſſæ verborum Juris, Caroli Labbæi: τουτέστι χάριν τοῦ τάξιν τινὰ καὶ οἷαν εἰσαγωγῆς ἀρχὴν λαβεῖν τὴν δίκην. Sed ne ſic quidem res eſt detecta. Ait enim noſter n. 17 cum Goveano *L. 2 Var. Lect. c. 6*, eandem eſſe hanc bonorum poſſeſſionem ac bonorum poſſeſſionem *Unde liberi*, ſed quæ pendente judicio ſit ſine re, exiſtente autem conditione incipiat eſſe cum re. Illamque vocat conditionem reſciſſionis teſtamenti. Per hanc enim inquit, B. P. & jus ſuccedendi conſequitur emancipatus & exheredatus, & reſcinditur emancipatio, & perinde habetur ac ſi adhuc eſſet ille in poteſtate. Sic enim reviviſcit jus naturale liberorum. *L. 4 Unde liberi.* Et Prætor emancipatum; ſi petat hanc B. P. ab inteſtato *Unde Liberi*, tuetur perinde, atque ſi pater nullas tabulas reliquiſſet. *L. 1 §. ult. d. t.* Tendit ergo B. P. litis ordinandæ gratia, ad obtinendam B. P. *unde liberi*, ſed non eſt eadem. Prius enim ordinanda eſt lis inofficioſi teſtamenti, deinde obtinetur per eam, ut ſicut Prætor defert his liberis contra tabulas, ita & ipſos ab inteſtato vocet.

c. 9. Nervoſius non poterat loqui Ulpianus d. *L. 1 §. 5.* Jam porro cum quæritur, an ſuus heres teneatur probare abſtentionem, adverſus creditores hereditarios? non reperio, Græcos eum vocare αὐτοκληρονόμον, *ſui ipſius heredem.* D. Gothofredus ad textum Pauli, *licet non ſint heredes inſtituti, domini ſunt, L. 11 de lib. & poſthum.* annotavit ſane, hinc eos appellari αὐτοκληρονόμους. Quod quum occurreret Noſtro, fidem ei habuit. Cujacius autem ad l. *de hered. qualit.* per conjecturam & de ſuo dixerat: fortaſſe *ſuos* heredes inde appellari, quod ſint quaſi αὐτοκληρονόμοι. A Græcis autem Noſtris id fieri, omnino non affirmavit. Statim idem Cujacius, *quamobrem non heredes fieri dicuntur, ſed ſtatim exiſtere, id eſt, apparere, quod eſt Theophilo* ἀναφαίνεσθαι, *tit. de Bonor. poſſeſſ.* Verba Theophili, τοὺς μὲν ἀναφαίνεσθαι ποιεῖ τὸ πολιτικόν, *ut ſui exiſtant heredes, efficit jus Civile,* τοὺς δὲ ἀδνάτους αἰτεῖν, *& ut agnati adeant.* Nullam hic affectavit neuter elegantiam. Gloſſæ Philoxeni, ἀναφαινόμενος, *exſtans,* ἀναφαίνεται, *exſtat,*

Digitized by Google

exſtat, & Onomaſticon, *ἀναφαίνομαι, ſuper exſto.* Viciſſim apud eundem Carolum Labbæum in gloſſario Cyrilli, *exſtans*, *ὑπερέχων*, *ἀναφαινόμενος*. Gajus *L. 22 §. 1 de oper. libert.* videtur loqui de liberis ſe immiſcentibus, *ſi patri heredes extiterint*. Quaſi aliud ſit, *exiſtere* &, *exſtare*. Juſtinianus *L. 7 §. 2 C. de Curat. Furioſ.* junctim & æquipollenter, *nulla eſt juri veteri dubitatio, cum illico appareat, & ſuus heres furioſus exſtat ſuis parentibus*. Nullum hic veſtigium de ſidere veluti aliquo, quod antea eſſet occultum, & latens, nunc autem emergit & apparere incipit. Sed & paſſim perinde videas, filium *fieri heredem* patris, *§. 2 I. de hered. qualit.* & *exiſtere heredem*, *§. 2 I. quib. mod. teſtam.* Ulpianus tamen Lib. 29 de oper. lib. *filio, etſi heres non extat*. Deinde recte invertuntur textus illi, ubi immixtionem non requirit ſuitas. Ergo Ulpianus in *L. 9 §. 1 de reb. dub.* non potuit poſtulare a matre probationem, filium ſe immiſcuiſſe hereditati Patris, ſed ſufficiebat, humanius credi, patrem prius mortuum quam filium. *L. 22. d. t.* niſi contrarium approbetur, *§. 4 d. l. 9* Ergo & hic onus probandi devolvitur ad agnatos, qui matrem volebant excludere. n. 17. Obiter noto ad *princ. d. l. 9*, nullam ibi accuſandam tautologiam, ceu videbatur D. Noodtio, *Probab. L. 3 c. 10.* Nam ſi ordine deceſſiſſet filius alter poſt alterum, lis nulla eſſet, ait JCtus; tunc enim alter alteri & poſteriori Titius, nunc Titius ſubſtitutus formaliter ſuccedet utrique. *Cum autem ſimul perierunt, quæritur, cum neuter &c.* Ubi *quia* ejiciendum plane eſſe, monendum erat potius. Idem dic ad *L. 19 §. 2 de caſtrenſ. pecul.* At vero in *L. 2 §. 11 ad SC. Tertull.* non obſervavit D. Averanius, quod poterat obſervaſſe. Reſpondet enim Ulpianus, ideo matrem non excludi, quia probari non poterat poſthumum ſe miſcuiſſe, aut accepiſſe bonorum poſſeſſionem & ſuitatem adeptum Nobis autem ſermo eſt de ſuitate perfecta ac plena. Qui ſuum heredem habet, licet abſtinentem ſe, is non eſt ſine herede. *L. 30 §. 10 de fideic. libert.* Sed quia adire non cogitur, ſubvenitur libertati fideicommiſſæ per SCtum, perinde ac ſi eſſet plane ſine herede. Sic enim §. 9 jungendus eſt §. 10. Teneretur creditoribus hereditariis jure civili. Sed facit poteſtas abſtinendi, ut actio in eum non detur, ſi velit derelinquere, i. e.

 abſti-

Digitized by Google

abſtinere. *L. 57 de acquir. hered.* Poteſt enim Prætor tunc effectum a legis ſanctione prodeuntem impedire. Noſter *c. 7 n. 16.* Ergo poſtquam abſtinuit, non tenetur: non enim habet eum Prætor heredis loco. *L. 12 pr. de interrog. action.* quod Idem repetit n. 54. Nemo autem dixerit, etiam illos haberi pro abſtinentibus, qui nondum voluerunt abſtinere, aut antequam velint. Sed non ideo cogendi ſunt ad probandam abſtentionem, n. 41. Qui contra tertium allegaverit, eum hereditatem adiviſſe, huic ſane probandum eſt hoc factum. Qui autem ſe non immiſcuit, nullum allegat factum, ſed contrarium eſt approbandum ab allegantibus. *L. 9* §. *4 de reb. dub.* In *L. 71* §. *3, 4 de acquir. hered.* caſus non eſt de illo, qui poſtea amoverit, ſed qui ante quid amovit animo maligno, deinde ſe abſtinet. *d. l. 71* §. *9.* Si ante ſe abſtinuit, deinde amovit, furti potius creditoribus tenebitur, & veluti ex poſt delicto obligatur. Si vero creditores non allegant immixtionem, utique ab ipſis probanda non eſt, & tunc nihil agitur; quia contrarium abſtentionis a nemine opponitur, n. 46. Ex *L. 6. pr. de aquir. hered.* patet, contra voluntatem ſuam non obligari patrem æri alieno per filium, qui eſt in illius poteſtate. Multo minus obligatur pupillus ſine tutoris auctoritate; quamquam enim hereditas obliget nos æri alieno, ita ut ea non intelligatur niſi illo deducto; non obligat tamen ad ſuccedendum hujusmodi perſonas. *L. 8 pr. d. t.* neque iis adimit Lex Cornelia beneficium abſtinendi, *L. 12 de teſtam.* Sane ex SC. Trebell. poteſt hereditas reſtitui a filio, & quia non immiſcuerat ſe, ſed eam ſuſpectam habuerat, actiones, quæ in eum alias competiiſſent, ad Sempronium fideicommiſſarium transferuntur. *L. 27* §. *3 ad SC. Trebell.* Quin a Prætore compellitur miſcere ſe, ac ſic deinde reſtituere, periculo tamen fideicommiſſarii: neque accurate tunc dicuntur competere in eum actiones, quas ipſe ſtatim tranſtulit. *L. 4 L. 6* §. *2 L. 14* §. *5 d. t.* Infantes non coguntur eſſe heredes, & ſiquidem exiſtant tales, neque amplectantur Beneficium Prætoris, mirum non eſt, eos obligari ex cauſa furtiva, quamdiu poteſtate Prætoria non utuntur. *L. 2. de condict. furtiv.* Nam nec neceſſe eſt, Prætorem adire, ad impetrandum hoc jus, ſed ſufficere ait Ulpianus, ſe non miſcuiſſe. *L. 12 de*

acquir.

Digitized by Google

acquir. hered. Eſto igitur, textum hunc depromi ex Libro XI ad Edictum, aditur tamen Prætor, etiam quando non poſtulatur reſtitutio. *L.* 8 §. *ult. de condit. inſtit. L.* 20 *de minor.* Tum vero addit JCtus, *ſive major ſit*, non eſt ei neceſſe Prætorem adire, ut reſtituat eum, qui ſe non miſcuit. Quis credat, Ulpianum ita locutum? Nam eo libro, ubi agitur de reſtitutione, multa etiam occurrebant, quando reſtitutione opus non ſit, in iis puta, quæ Prætor ultro largitur omnibus, volentibus beneficio ejus uti. Prætor ſane non operatur ipſo jure: hic autem opus tantum eſt non facto, ut quis ſe non miſceat. Ut vero probes adverſus creditores, te repuliſſe ac removiſſe & abegiſſe hereditatem factis externis, pugnat cum tota illa doctrina juris, *pro herede gerere, non tam eſſe facti quam animi.* Et ideo ſolent teſtari liberi, qui neceſſarii exiſtunt, non animo heredis ſe gerere, quæ gerunt. *L.* 20 *L.* 21 *de acquir. hered.* Scilicet in actibus quodammodo dubiis. Si vero plane nihil actum ſit, ne teſtificatio quidem neceſſaria eſt. *L.* 1 *C. Si minor ab heredit. ſe abſtin.* Sufficit enim ut vere te non immiſcueris. Tantoque minus pupillo opus eſt reſtitutione ex contractu avito, cujus pater conſtituerat non agnoſcere hereditatem, neque quicquam ex ea amovere, vel pro herede gerere. d. L. 12. Nepos enim hic ipſo jure tutus eſt. Atque ita reſcriptum eſt in ſemenſtribus *Divi Severi & Antonini*, pro, *Vivis Soteri & Victorino.* Paſſim enim occurrunt hi. Ad Aufidium tamen Victorinum extat etiam conſtitutio D. Marci. *L.* 11 §. 1 *de minor.* Mutat tandem genus quæſtionis Noſter, & largitur, in *L.* 12 *de vulg. & pupill.* liberari ab oneribus hereditariis ſolum recuſantes, nec urget probationem ulteriorem. Ultimum argumentum quærendum eſt potius in L. 87 quam L. 89 *de Leg.* 1. Nam in L. 87 dicitur, filium non impugnare judicium patris, qui juſtis ex rationibus noluit negotiis hereditariis implicari. *L.* 40 *de acquir. hered.* Nec ulla amplius probatio ei imponitur, quin & legati petitio ipſi non eſt deneganda. Res tota dependet ergo a providentia filii, *L.* 90 *d. t.* utrum exiſtimet, ſe liberum arbitrium adeundæ hereditatis habere, an vero juſtis rationibus deterreatur; quia ſcit, tota onera hereditaria ſibi ſubeunda eſſe.

Digitized by Google

INSTITUTIONS IN PHYSICK.
id eſt,
INSTITUTIONES MEDICÆ, AUTORE JOHANNE BROWNE, LL. M. D.

Londini, apud Jonam Browne, 1714, 8.
Alphab. 1.

IN hiſce Inſtitutionibus Medicis ex variis Autoribus collectis principia & fundamenta artis, qua theoriam & praxin, in ordinem redigere & explanare allaboravit clariſſimus Jo. Browne, omnia mechaniſmo & ſtructuræ partium ſolidarum & fluidarum, ex quibus conflatur corpus humanum, ſuperſtruendo. Poſt Phyſiologiam ſcilicet Pathologiam pariter ac Semiologiam cum Therapevtica ſuccincta explicat methodo. Cui adhæreat Autor hypotheſi, ex præfatione libro præmiſſa patet, quæ perfectum ſyſtema eorum, ad quæ in ſtudio Medico reſpiciendum eſt, continet. Operæ igitur pretium eſſe videtur, ſpeciminis loco ex ea quædam nunc communicare.

Ante omnia urget Autor clariſſimus, ut in arte hac, quemadmodum in aliis ſcientiis, certa principia, fundamentaque demonſtrationum plena ponantur; ſiquidem ex illis cauſas morborum, curationumque rationem deducere opus habemus. Hæc principia naturalia eſſe decet, adeoque mechanica, utpote quæ a materia & motu, ſeu corporum diſpoſitione ad motum ſunt petenda. Motus quamdiu ſuum ſervat ordinem, juſtam proportionem, certumque tempus, pro regulari habendus eſt, utpote qui ab artificiali ſtructura, diſpoſitione & proportione ad motum, quæ ſolidas inter ac fluidas partes intercedit, dependet; ſin vero ab externis & mechanicis cauſis fuerit alteratus, irregularis atque morbificus evadat, per bonam diætam, convenientiaque medicamenta in ordinem redigendus venit. Inde certe univerſale principium ſtabiliri poteſt, unde omnes actiones tam naturales quam præternaturales, tanquam a ſcaturigine primaria rivuli, ut & omnes methodi medendi, medicamentorumque operationes derivari poſſunt. Sic ſanguinis motus a ſyſtole & diaſtole fibrarum muſcularium, motriciumque, quinimo a temperie & quantitate fluidorum derivandus eſt. Motio vero & im-

Digitized by Google

impulſus ſolidarum partium non immateriale vel ideale quid eſt, ſed materiale, ſi quod aliud, ſubtiliſſimum, idque catholicum illud fluidum, propter elaſticitatem ſumme activum, a veteribus anima mundi appellatum, ſub reſpiratione ad nos accedens. Quamprimum enim ſubtilis hic elaſticus aer exhalat ex corporis noſtri humoribus, cum vita actum eſt; ſic aer corruptus corpus non minus quam animam peſſundat, & utrorumque functiones turbat. Hæc certe cauſa eſt, quod in ſereno puroque aere diuturniorem protrahamus vitam, minusque morbis obnoxii ſimus, ac per aeris mutationem graviores curentur affectus. Quæ ut melius intelligantur, de vita & morte, ſanitate & morbis quædam præfatur Autor. Vita ſcilicet corporis organici non præciſe ſanitatem ejus, ſtatumque omnis corruptionis expertem, ſed certam quandam actionem, quæ nihil aliud quam motus eſt, denotat. Vita ſcilicet eſt conſtans motus fluidorum per certos canales vel vaſa, ſolidorum impulſu adjutus, & corruptibile corpus ab interitu vindicans. Motu hoc bene ſuccedente, pars vel totum corpus vivere dicitur, & a corruptione præſervatur; interrupto vero illo, nec reſtituto, mortuum hoc pronunciatur; ita tamen ut corruptio & putrefactio non ſemper immediate ſequatur mortem, ut in laqueo ſtrangulatis, aqua ſuffocatis, & frigore peremtis videre eſt. Mors vero per morbi vehementiam accelerata a deficiente ſanguinis motu dependet & cum diſpoſitione ad patefactionem eſt conjuncta. Quanquam igitur motus hic ſanguinis circularis ſit, datur tamen & alter, inteſtinus videlicet, a motu particularum activarum & volatilium productus, ſanguinem reliquosque humores a violenta aeris externi actione defendens, & differenti textura imbuens. Præter hunc motum progreſſivum & preſſionem ſanguinis per tot colatoria diverſiſſimi generis, ſeparat hic non ſolum humores laudabiles, verum & ſeroſas, impuras, ſalinas, ſulphureasque particulas, quæ etiamſi ſua natura ad corruptionem tendant, præſervantur tamen ab hac, quamdiu humores motum ſuum illibatum conſervant. Sic ſanitas non ſimpliciter in motu circulari ſanguinis conſiſtit, qui etiam in morbis celebratur, ſed in certo ordine hujus motus, in moderato liberoque progreſſu ſanguinis, cordis pulſu

pulſu fibrarumque tono adjuto, fundata eſt, ſeu ab æqualitate motus ſolidarum pariter ac fluidarum partium dependet. Ad continuandum hunc motum partim moderatus & æqualis ſolidarum partium impulſus, partim humorum debita, & diverſæ amplitudini vaſorum, diverſoque fibrarum vigori reſpondens, quantitas, partim legitima elementorum proportio pro fluidis, maſſam ſanguineam conſtituentibus, temperandis, partim vaſa libera & aperta, per quæ absque obſtaculo ſanguis tranſire valeat, requiruntur. Præ reliquis igitur pulſus & tonus partium utramque faciunt paginam ad ſanitatem conſervandam; pulſus enim cor & vaſa reſpicit, quæ a centro ad circumferentiam humores pellunt; tonus vero fibris debetur, ac membranaceis muſculoſisque partibus, a circumferentia ad centrum easdem urgentibus; utraque motus ſpecies bene ſi vigeat, qua valorem, æqualitatem, & temperamentum, ſanguis æqualiter & ſine obſtaculo in partibus admittitur, ſecretiones bene ſuccedunt, & ſanitate proſpera fruitur homo. Verum enim vero non idem advertitur ſanguinis in ſingulis hominibus motus, ſed pro temperamentorum diverſitate admodum variat. Aſt hæc differentia non quantitati & magnitudini fibrarum, ſed harum robori & vigori, id eſt, pulſui & tono in acceptum eſt referenda; nec ſubſtantiæ & texturæ ſanguinis vaſorum plenitudini, aut capacitati debetur, ſed quemadmodum diſpoſitio hæreditaria, ætas, ſexus, clima, vel aer variis modis temperamentum hoc humorum, contractionem fibrarum, robur & conditionem vaſorum afficit, & alterat, ita ſanguinis motus usque adeo immutatur, ut uno ſemper eodemque modo in eodem homine quovis anni tempore, ſub quovis paſtu, ſub quovis climate non ſuccedat. Quoniam autem in variis ſubjectis varius ſanguinis motus obſervatur, mirum non eſt, miram eſſe in hominum conſtitutione diſcrepantiam, ſive appetitum, ſive excretiones, ſive pulſum, ſive valorem, ſive diſpoſitiones ad morbos, ſive ingenia ſpectes. Morbos quod attinet, horum fundamentum ſeu cauſa immediata in motu hoc quærenda venit, plus minus immoderato, interrupto vel inæquali, prout ſcilicet læſus pulſus vel tonus partium ſolidarum ac temperamentum pravum & diſproportionatum fluidarum hinc anſam ſuppeditat.

RA-

Digitized by Google

RATIONIS ATQUE EXPERIENTIÆ CONnubium, continens experimentorum Phyſicorum, Mechanicorum, Hydroſtaticorum, Barometricorum, Thermometricorum aliorumque compendioſam enarrationem, methodi eadem inſtituendi deſcriptionem, eventuum uſusque expoſitionem & ad rationis incudem revocationem &c. Conſummatum per WOLFERDUM SENGUERDIUM, in Acad. Lugduna Batava Philoſophiæ Prof. Ordin. Accedit ejusdem Diſquiſitio de Tarantula.

Roterodami, apud Bernhardum Dos, 1715, in 8.
Plag. 22 Tabb. æn. 3.

QVi de Philoſophia naturali & experimentali dudum bene meritus, celeberrimus *Senguerdius*, in hoc libro deſcribit experimenta, quibus in Academia Lugdunenſi in gratiam juventutis ſtudioſe ſcientiam naturalem illuſtrare conſuevit. In his c. 1. cum multus ſit antliæ pneumaticæ uſus, ab ejus deſcriptione tractationem ſuam orditur, cui ab *Ottone de Guericke*, Conſule Magdeburgico, circa A. 1655 primum inventæ, poſtea a *Boylio*, ut facilior evaderet emboli agitatio, parumper immutatæ, A. 1679 commodiorem formam conciliavit, quam nunc plerique adamant artifices. Recenſet deinde varia experimenta, quibus antliæ perfectio exploratur, ejusque vitia, ſi qua adſunt, deteguntur, & *peremptorium examen* vocat, ſi Tubus Torricellianus Mercurio 2. repletus ſub campana longiori collo inſtructa ponatur & aere ſubducto Mercurius ſubſidat, nec mora aliqua interpoſita rurſus aſcendat. Speciatim deinde ediſſerit, quomodo pateſiat, num 1. cavitas tubi antliæ omni in loco æqualis exacte amplitudinis ſit, 2. num claviculæ ac epiſtomio vitium aliquod adſit. Pro- 3. greditur ad uſum antliæ deſcribendum, quem duplicem conſtituit, evacuationem atque condenſationem fluidorum. Iſtam perfici contendit 1. mutua particularum fluidi excuſſione ac deturbatione; 2. fluidi a fluido protruſione; 3. gravitate: hanc vero fieri novi aeris adjectione. Conſiderat deinde ſigillatim aeris 4. 1. elaſticitatem, 2. gravitatem, 3. fluiditatem, 4. reſiſtentiam paſſivam, 5. effecta ab hiſce ſingulis, vel pluribus conjunctim deri-

Digitized by Google

vanda. Primum elaſticitatis indicium conſtituit, quod aer ambientium corporum reſiſtentia ſublata vel debilitata vicina a ſe amoliatur & majus ſibi ipſi ſpatium vindicet; ſecundum, quod
c. 5. compreſſus fortius reagat; tertium, quod vis aeris calore inten-
6. datur: ubi ſimul de elaſticitatis & rarefactionis diſcrimine quædam
7. dam annotat. Probare ulterius nititur *aerem eſſe 1. ramoſum*, hoc præſertim uſus argumento, quod elater ejus agat quaquaverſum:
8. ſum: 2. *rigidum*, ita tamen ut rigiditas cum aliquali flexilitate ſit conjuncta, quia comprimi quidem poteſt, compreſſus tamen
9. ulteriori compreſſioni potentius reſiſtat: 3. *in ſtatu præternaturali conſtitutum*, quia adeſt conatus alium ſtatum acquirendi, per naturæ vero legem corpora, quantum in ipſis eſt, in illo ſtatu maneant, in quo ſunt, neque eum relinquere poſſint, niſi aliunde impulſa ſibique ipſis relicta. Rationem hujus ſtatus præter-
10. naturalis ab ipſa aeris mole petit: cauſam vero elaſticitatis particulas cœleſtes æthereas, incomprehenſibilis parvitatis, allegat,
11. caloris tamen concurſu adjutas. Rarefactionis & condenſationis quantitatem per experimenta definit. Uno eorum didicit, aeris rarefacti molem occupare ſpatium triginta ſeptem vicibus majus, quam quo non rarefacta continebatur: aliud autem rationem ut 62 ad 1, immo adhuc aliud ut 150 ad 1 ſuppeditavit. Circa condenſationem utitur experimento a *Mariotto* primum, deinde a *Boylio* in tubo vitreo recurvo, cujus alterum extremum hermetice ſigillatum, ope Mercurii tentato, quod ex *Gockenholtzii* Deliciis phyſicis ipſi innotuit. In antliæ pnevmaticæ tubo cum aerem valide comprimeret, in ſpatium octies priore minus eundem coegit. Unde cum rarefactum in ſtatu naturali occupare arbitretur ſpatium triginta ſeptem vicibus priore majus; aerem ſumme condenſatum ad ſumme rarefactum eſſe ut 1 ad 296 concludit. Ex aliis tamen hypotheſibus rationem
c. 12. hanc definit ut 1 ad 1200. Gravitatem aeris minus recte probari contendit per barometrum, neque enim ſuſpenſionem Mercurii a preſſione gravitatis derivandam eſſe putat. Ipſe recurrit ad ponderationem veſicarum inſpirato aere turgeſcentium & globorum cupreorum ab aere evacuatorum. Quantitatem aeris pintarum trium cum tribus decimis habere gravitatem duorum

ſcru-

ſcrupulorum & ſexdecim granorum experimento definit, rationem vero gravitatis ſpecificæ aeris ad aquam ut 1 ad 540, eſto *Merſennus* eandem conſtituat ut 1 ad 1300, *Gallilaeus* ut 1 ad 400, *Ricciolus* ut 1 ad 10000, *Boylius* ut 1 ad 938, *Franciſcus Tertius de Lanis* ut 1 ad 640, *Sturmius* ut 1 ad 1000, alii ut 1 ad 840, alii ut 1 ad 970. Quadratum pedale columnæ aereæ ſuperficiei corporis noſtri incumbens premere 2185 libris & 14 unciis ex pondere columnæ Mercurialis in barometro deducit. Reſiſtentiam aeris paſſivam probat, quia veſica aere plena digito prementi vix cedit, eamque commune omnium corporum attributum pronunciat ex extenſione (quam pro corporum eſſentia cum Carteſianis habet) reſultans. Effectus, quos elaſticitate efficit aer, triplici potiſſimum ratione manifeſtos evadere oſtendit, nempe 1. quoties alternis vicibus aeris accidit condenſatio ejusque relaxatio: 2. ſi corpora aeri expoſita in eodem maneant ſtatu, ſed ambientis aeris conditio immutetur; vel, ſi aer corporibus interceptus virium non recipiat augmentum, ſed ambientis aeris aliorumve corporum vires debilitentur: 3. ubi vis aeris per calorem intenditur. Notat inter alia experimenta ſatis nota, globulos vitreos cavos vel imagines vitreas cavas & exiguo foraminulo inſtructas, ſi lagenæ ſolo aere plenæ committantur & bacillo in ejusdem fundo detineantur, donec ad ſummam usque oram lagena fuerit repleta aqua, ſubducto bacillo, in fundo perſeverare, aquæ autem quantitate effuſa, ſuperiora petere. Addit circumſtantias alias ſingulares, non contemnendas. Maſſam farinaceam ob fermentum in vacuo multum expandi didicit, etſi in aere frigidiore ne minimum quidem intumeſceret. Venæ juglaris internæ portionem, priusquam reſecaretur, ab utraque parte ligatura arcte conſtrictam, ex vivente vitulo reſectam, in aquam tepidam (ne ſanguis coagularetur) conjecit & in vacuo aſcendentem, iterato experimento, obſervavit, etiamſi ſuperficiei externæ nullæ adhærerent bullulæ; immo innumeras bullulas per poros venæ egredientes vidit. Aere rurſus admiſſo, vena fundum petiit. Animalia in aere rarefacto ſalivam per os evomuiſſe, & fæces quandoque per poſteriora depoſuiſſe, immo piſces haud raro ſemen exoneraſſe, exemtos pulmones in

c. 13.

14.

c. 15. aqua fundum petiiſſe refert. Subjungit experimenta alia, quibus probat effectus aeris ab ejus elaſticitate & gravitate conjunctim pendentes: ubi inter alia novam ſcarificandi methodum proponit. Scilicet cucurbitæ mediante cochlea affigi jubet globulum cupreum evacuatum & epiſtomio inſtructum, quo aperto aer ex cucurbita in cavitatem globi erumpit, ſanguinique ex vulneribus cutis aſcendenti locum relinquit. Huc etiam refert fluidorum in antliarum & ſiphonum tubos adſcenſum, particularum aquoſarum intra ſeminum & radicum poros propulſionem, migrationem & ſtagnationem bullularum & globulorum vitreorum fluidis innatantium a circumferentia verſus medium & contra, flammæ & ignis conſervationem atque communicationem, ebullitionis remiſſionem: de quibus ſingulis experimenta profert. Nos tantum notamus, quod phoſphorus etiam
16. in vacuo, æque ac in aere luceat. An fluidorum in tubulis capillaribus ultra libellam ſtagnatio preſſioni aeris ſit adſcribenda, dubitat, quia in vacuo eadem obſervatur, quæ in aere: eam potius a ſcabritie ſuperficiei tubulorum petendam eſſe ſuſpicatur.
17. Reſiſtentiæ aeris paſſivæ tribuit aquæ in clepſydris rigatoriis hærentiam & retardationem motus corporum per aerem projectorum aut alia ratione latorum. Ita indices horologiorum decima velocitatis ſuæ parte citius in vacuo moveri deprehendit,
18. quam in aere. Inprimis etiam hanc cauſam reſpirationis agnoſcit, quam recepto more explicat & conſuetis experimentis illu-
19. ſtrat. Singulares circumſtantiæ, quas circa experimentum hemiſphæriorum Magdeburgicorum cum cura annotavit, in
20. Actis A. 1714 p. 82 & ſeqq. leguntur. Motum fluidorum per ſiphones non preſſioni aeris (quam quidem aſcenſus primi cauſam eſſe largitur,) ſed præpondio aquæ in crure majore ſtagnanti tri-
21. buit. Poſtquam barometrorum conſtructionem expoſuit; phænomena eorundem recenſet eorumque rationes redditurus ad elaterem aeris confugit, rejecta ſententia illorum, qui eas a pondere ſeu gravitate ejusdem deducunt: putat enim preſſionem vis elaſticæ diverſam eſſe poſſe quam gravitatis, quod aliis non videtur qui elaterem aeris inferioris ponderi totius incum-
22. bentis æqualem oſtendunt. A barometris ad thermometra digre-

Digitized by Google

digreditur, eorumque ſpecies, ſtructuram, uſum, phænomena horumque rationes exponit. Tandem experimentis hydroſta- c. 23.
ticis aliquam operam impendit. Primum propoſitiones aliquot de gravitate ſolidorum in fluido experimentis confirmat. Hinc 24.
methodum proponit experiundi ſolidorum, inprimis metallorum, convenientiam ac diverſitatem gravitatis, puritatem & fucum, nec non reſpectivæ eorundem gravitatis proportionem. Deprehendit autem auri grana 807, plumbi 477, argenti 442, cupri 371, æris calaminaris 358, ferri 338, ſtanni Anglicani 306 idem præciſe pondus in aqua amittere, adeoque ejusdem eſſe gravitatis. Unde ſi gravitas auri ſit 100; erit plumbi $59\frac{1}{10}$, argenti $54\frac{3}{4}$, cupri 46, æris calaminaris $44\frac{3}{8}$, ferri $41\frac{7}{8}$, ſtanni Anglicani $37\frac{15}{16}$. Obſervavit præterea, aurum 554 granorum amit- 25.
tere in aqua pondus 29 granorum; plumbum totidem granorum amittere grana 49, argentum 53, cuprum 64, æs calaminare 65, ferrum 70, ſtannum Anglicanum 75. Quoniam pondus in aqua amiſſum æquatur ponderi aquæ ſub æquali volumine contentæ; inde elicit gravitatem ſpecificam aquæ ad aurum ut 1 ad $19\frac{3}{29}$, plumbi ut 1 ad $11\frac{15}{49}$ & ita porro. Monet etiam hac ratione detegi poſſe fucum, ſi metallum fuerit impurum. Simi- 26.
li fundamento nititur methodus, quam præſcribit pro fluidorum gravitate cum ſpecifica tum abſoluta inveſtiganda, atque hac ratione hydrometri uſum declarat. Coronidis loco experimenta 27.
nonnulla circa variam fluidorum premendi rationem adjicit.

Diſſertatio Autoris de Tarantula anno 1667 primum in lucem edita, cum ſummos in Philoſophia honores conſequeretur: nunc vero tertia vice recuditur. Cum adeo a longo tempore eruditorum manibus verſata fuerit; non opus eſſe arbitramur, ut ſpecialia ex eadem recenſeamus.

Chriſtian Gottlieb Hertels vollſtändige Anweiſung zum Glaß-Schleiffen ꝛc.

hoc eſt,

CHRISTIANI GOTTLIEB HERTELII, IN ILLUSTRI Academia Lygiorum Prof. Math. Publ. & Membri Societatis

Scientiarum Regiæ Boruſſicæ, Introductio ad Technicam Dioptricam, ſeu praxin formandi ac poliendi vitra atque ex iis machinas dioptricas conſtruendi, cum præfatione CHRISTIANI WOLFII, P. R. B. Conſiliarii aulici & Prof. Publ. Ordin.

Halæ Magdeburgicæ, in bibliopolio Rengeriano, 1716, 8. Plag 12½ Tabb. æn. 20.

QVi in poliendis vitris & conſtruendis tubis ac microſcopiis aliisque machinis dioptricis hactenus multa cum ſolertia verſatus eſt Cl. *Hertelius*, in uſum publicum fideliter expoſuit, quæ in hoc genere propria experientia fretus optima deprehendit. In duas opuſculum diviſit partes, quarum prior de formandis ac poliendis vitris, poſterior de inſtrumentis ac machinamentis
Part. I. c. I. inde conſtruendis agit. Illa deſcribuntur machinæ ad polienda vitra apprime neceſſariæ, ſimplicioris ſane conſtructionis atque minorum ſumtuum, quam quas dedere *Zahnius* in Oculo & *Traberus* in Nervo optico, aliique paſſim, ipſo uſu Autori multum probatæ. Nec minus accurate exponuntur, quæ in conficiendis catinis politoriis, etiam majoribus obſervanda: ubi circa majores
2. *Hugenii* conſilium in Commentariis de vitris formandis probatur. Docetur deinde, quodnam vitrum ad poliendum optimum, & qua utendum ſit materia politoria. Ad tubos conducere Noſter expertus eſt vitrum coloris ſubcœrulei & ſubviridis, non æque inſtar chryſtalli pellucidum, quod tamen in cameris ob-
3. ſcuris & laternis magicis probat. In ſpecie etiam exponit, quæ circa vitra ſphærica formanda in praxi attendenda ſunt & tum propriam methodum poliendi vitra, quæ ſunt majorum ſphærarum ſegmenta, in catinis ſine machina, tum *Hartſœckerianam* idem efficiendi ſine catinis politoriis deſcribit. Vitri figuram eſſe perfecte ſphæricam experieris, ſi orbes feneſtræ vitrei eandem retineant figuram ac magnitudinem, ſive in vitri medio,
4. ſive prope limbum compareant. Progreditur ad vitra figuræ ſingularis, parabolica puta, hyperbolica & elliptica, conica & priſmatica annularia. Excogitavit methodum vitra parabolica, hyperbolica & elliptica formandi, quam praxi reſpondere judicat,

Digitized by Google

cat, licet aliis negotiis impeditus hactenus eadem uti nondum potuerit. Ut vero alii utantur, eam fideliter deſcribit. Artificium, quod *Zahnius* in Oculo artificiali ad formandos conos vitreos commendat, judice noſtro, minus ſuccedit. *Gervaſius Mattmillerus*, Opticus quondam Imperatoris, qui notante *Traberо* conos vitreos primus polivit, ſuum inſtar myſterii celavit. Sed Noſter candide exponit modum, quo aliquoties cum ſucceſſu uſus. Quoniam vero colores per refractionem radiorum ſolarium in cono factam anguſtiori ſpatio coarctantur, quam qui priſmatis ope gignuntur: duplicem conſtruxit conum, quo lumen coloratum ampliavit. Noſtri quoque methodus, qua priſmata annularia expolivit, diverſa eſt a *Zahniana*. Tandem de priſmatis triangularibus, tetraedris atque polyhedris poliendis diſſerit, ubi denuo expertus eſt, vitra coloris ſubcœrulei atque ſubviridis colores intenſiores produxiſſe, quam pura & cryſtalli inſtar pellucida. Mentionem quoque facit polyhedri pyramidalis, cujus ſingulares deprehendit effectus. c. 5.

In parte poſteriore primo loco ſe ſiſtunt vitra cauſtica, tum communia ſeu mediocria, tum majora, quorum in ſphærulis microſcopicis conficiendis uſum hactenus non animadverſum inter alia commendat. Notat etiam in conclavi aperto objectorum imagines oculo inter feneſtram & vitrum cauſticum majus collocato pone ipſum ſitu erecto atque clarius & diſtinctius, quam in camera obſcura, apparere: candela autem exigua in foco collocata lumen valde intenſum per amplum ſpatium ad inſignem diſtantiam diffundi. Succedunt perſpicilla tum convexa, tum cava, quorum illa presbytas, hæc myopes juvant. Sequuntur microſcopia diverſæ ſtructuræ, tam ſimplicia (quæ inter plano-convexa præfert utrinque convexis) quam compoſita. Comparet inter ea microſcopium multiplicatorium, non tantum augens, verum etiam multiplicans objecta, & ciſtula microſcopica, ſingulare Autoris inventum, quo curioſorum oculi valde delectantur. In tuborum numero ſunt 1. communis Batavus, ex vitro objectivo convexo & oculari cavo conſtans; 2. Aſtronomicus, qui & objectivum, & oculare convexum habet, 3. terreſtris ex quatuor vitris convexis compoſitus, 4. helioſcopicus Part. 2. c. 1. 2. 3. 4.

ex

ex vitris coloratis aliisque artificiis conſtructus, 5. binoculus, & 6. curioſus ex tetraedro & polyhedro confectus. Proportiones vitrorum pro tubo Batavo *Traberianas* & *Zahnianas* minus fidas pronunciat, adeoque iisdem alias ſubſtituit, quales etiam pro tubo aſtronomico atque terreſtri deſcribit. Ocularia plano-convexa diſtinctius repræſentare objectum, quam convexo-convexa expertus eſt: uſum etiam meniſcorum inſignem in microſcopiis reperit. Similiter didicit, tubum binoculum clarius repræſentare objectum, quam ſimplicem: minime tamen obſervavit, quod objectum auctius & vicinius appareat, quemadmodum *Rheita* affirmat. Modum talia teleſcopia conficiendi optimum

c. 5. pronunciat, quem *Cherubin* in dioptrica deſcribit. Inter varia camerarum obſcurarum genera exhibetur genus quoddam cameræ obſcuræ portatilis, quæ iter facientibus prodeſt ad proſpectus obvios mira facilitate delineandos, etiamſi artis delineandi

6. fueris ignarus. Dum Laternæ magicæ ſtructuram exponit Noſter, artificia quoque tradit, quibus imagines fiunt illarum ope,

7. ſub gigantea forma in parietem projiciendæ. Tandem polyedrorum uſum in imaginibus deformatis ad formam revocandis explanat. Appendicis loco ſubjungitur deſcriptio microſcopii compoſiti, de quo diximus in Actis A. 1713 p. 315, & additur alterum ab artifice Anglo *Johanne Marſhall* excogitatum.

Cl. *Wolfius* in præfatione de uſu vitrorum politorum in amplificanda ſcientia naturali, Aſtronomia atque Geographia, differit. Oſtendit inter alia, quomodo per lentes cauſticas *Tſchirnhuſianas* lumen lunare ad eum gradum intendi poſſit, qui convenit terreſtri, quo luna in pleniterrio reſplendet. Jubet ſcilicet latitudinem vitri dividi in 500 particulas æquales & circa diametrum 133 deſcribere circulum, intra cujus peripheriam lumen lunare per lentis cauſticæ ſuperficiem diffuſum coarctari debeat, ut ſit æquale lumini, quo Luna a terra colluſtratur. Similiter docet, quomodo per lentes cavas lumen ſolare ſit diſpergendum, ut obtineamus diverſos intenſitatis gradus, quos habet in planetis ſuperioribus. Horum vero notitia opus eſt ad ſtatum Telluris a ſtatu reliquorum planetarum exacte diſcernendum. Novum etiam uſum vitrorum convexorum & cavorum in Metaphyſicis mon-

Digitized by Google

monſtrat non modo in ratione continui illuſtranda, quem obiter tantum indicat, ſed inprimis in notionibus quibusvis rerum corporearum confuſis evolvendis, & vice verſa in diſtinctis confundendis. Quemadmodum prius præſtatur per microſcopia, quæ objectorum magnitudinem adaugent; ita in poſteriorem finem conſtrui jubet inſtrumenta, quibus eandem imminuere liceat. Experimentis enim debita induſtria magnoque numero ſumtis, fore tandem ſibi perſuadet, ut ex notione confuſa judicemus, quicquid diſtincti in ea contineatur; & e contrario, qualis proditura ſit notio confuſa ex confuſione motuum & figurarum datorum. In ea nimirum eſt ſententia, quod notiones corporeorum nil niſi motus & figuras exhibeant, quæ rebus repræſentatis ſimiles ſint.

INSTITUTIONUM MATHEMATICARUM Libri tres, Autore R. P. ERNESTO VOLS, e Societate Jeſu, Philoſophiæ & S. S. Theologiæ Doctore.

Viennæ Auſtriæ, typis Jo. Georgii Schlegel, 1714, 4.
Alph 5 plag. 12 Tabb. æn. 89.

QUæ admodum R. P. *Vols* Græcii & Viennæ aliquot Religioſis a curſu Philoſophico abſoluto animum ad Mathemata percipienda appellentibus intra quadriennium aliquoties in calamum dictitavit; ea ſuperiorum judicio typis deſcribi curavit, ut ſublato prolixæ ſcriptionis & figurarum depingendarum labore uberius ſpeculationi tempus ſuppeteret. Monet tamen, ſe per hoc opus ſolertioribus Profeſſoribus libertatem nullatenus reſtringere, quin hinc inde aliquid de ſuo inſpergant, præſertim cum hac ætate mathematicæ inventiones indies creſcant. Dividitur autem opus inſtitutionum Mathematicarum in tres libros, quorum primus de ſcientia mathematica & illius objecto, de elementis geometricis, de proportionibus quantitatum, de elementis ſphæricis, de trigonometria elementari, plana & ſphærica atque architectura militari; ſecundus de ſphæra, nempe de Coſmographica, Geographia, Hydrographia, Horographia & Aſtrolabiis; tertius denique de Aſtronomia, Solis nimirum ac Lunæ motibus calculo ☉ & ☽ ac utriusque luminaris eclipſium,

refractione & parallaxi ſiderum motibus cometarum & calendario eccleſiaſtico tractat. In his autem pertractandis Autor non more veterum Geometrarum in ſuccinctas definitiones ac propoſitiones ſingula digeſſit; ſed more communi diſcurſu liberiori & perſpicuo expoſuit & libros in capita, capita rurſus in articulos diſtribuit, pro numero materiarum, de quibus dicere inſtituit.

Lib. I. c. I. Dum Lib. I de ſcientia mathematica & illius objecto agit, tum de natura & partibus Matheſeos, tum de quantitate continua & diſcreta, tum de linearum & ſuperficierum ſpeciebus disſerit. Matheſi omnimodam certitudinem tribuit ac bene obſervat, ſi quando contingat, aliquas ejus partes ſubalternas, veluti Opticam, Staticam, Aſtronomiam, in aliquibus concluſionibus terminos probabilitatis non excedere, id non ex Matheſeos imperfectione, ſed ex mixtura cum aliis diſciplinis provenire. Dum de objecto Geometriæ, quantitate nimirum continua, diſſerit; magnitudinum ſpecies definit, varias pedum magnitudines recenſet, & angulorum quoque menſuram deſcribit. Dum quantitatem diſcretam, Arithmeticæ objectum, conſiderat, tum unitatem, tum numerum ex *Euclide* definit, quasdam numeri diviſiones affert numerorumque ſpecies enumerat. Mox etiam de

c. 2 linearum & ſuperficierum ſpeciebus diſcurrit. In elementis geometricis notat defectus in methodo Geometrarum, quos nonnulli ſibi obſervaſſe viſi ſunt, paſſim a multis, qui methodi hujus vim minime percepere, inculcatos. In *Euclidis* definitiones, theoremata & problemata Scholia conſcribit & ſupplementa quædam annectit. Atque hac ratione palmaria Geometriæ explicat, quæ tyronibus ad cetera per ſe intelligenda ſufficere judi-

c. 3. cat. Rationum doctrinam tradit primum in abſtracto; deinde præcipua de proportionibus linearum atque ſuperficierum theoremata ac problemata affert: ubi etiam de Circini proportionis conſtructione ac uſu agit. Inter problemata nondum ſoluta refert triſectionem anguli, inſcriptionem heptagoni aliorumque nonnullorum polygonorum regularium, inventionem duarum

c. 4. proportionalium datis extremis & quadraturam circuli. In Sphæricis libri primi atque ſecundi Sphæricorum *Theodoſii* pro-

po-

poſitiones faciliori modo demonſtrare nititur & iis triangulorum Sphæricorum doctrinam annectit. In Trigonometria elementari poſt definitiones canonis triangulorum atque logarithmorum conſtructionem & uſum docet. In plana fundamenta calculi trigonometrici ponit, dimenſionum cautelas recenſet, euthymetriæ, planimetriæ & ſtereometriæ præcipua problemata reſolvit. Similiter in Sphærica reſolutionem triangulorum ſphæricorum tam rectangulorum, quam obliquangulorum ex præmiſſis theorematibus derivat. Regulas illas ſolvendi triangula cum rectilinea, tum Sphærica ſingulas ſingulis exemplis illuſtrat. In Architectura militari nonniſi antiquam muniendi formam Belgicam paucis delineat. c. 5. c. 6. c. 7. c. 8. c. 9.

Librum ſecundum a definitionibus coſmographicis, geographicis, hydrographicis, horographicis & aſtrolabii orditur: quibus præmiſſis, ad res ipſas tractandas progreditur, & quidem in Coſmographia triplicem primum explicat ſiderum motum, nempe diurnum, proprium & eum, qui fit ſecundum profunditatem, quorum motuum diverſitas exemplo inprimis motuum Solis illuſtratur. Ad rationes eorum reddendas explicat duo celebria mundi ſyſtemata, *Copernicanum* & *Tychonicum*, & licet illud Scripturæ atque ſenſui adverſum pronunciet, calculo tamen percommodum fatetur. Recenſet etiam phænomena motus planetarum tam ſuperiorum, quam inferiorum ſingularia, & adſpectuum ſpecies definit, una cum phaſibus Lunæ. Immo thematum cœleſtium rationem aperit. Docet deinde modum obſervandi phænomena & ex obſervationibus per Trigonometriam Sphæricam ſolvendi problemata primi mobilis. In Geographia ſe magis ex Philoſophia catholicorum ſupponere, quam probandum ſuſcipere ait, quod terra in firmamenti centro quieſcat. Addit tamen hanc rationem, quod durum ſit ſtatuere, diametrum orbis annui ad diſtantiam fixarum a terra habere rationem inſenſibilem. Recenſet argumenta, quibus rotunditas Telluris probatur, & notat, *Bonifacium*, Epiſcopum Moguntinum, magis pium quam doctum, ex fidei fundamentis negare voluiſſe antipodes, ne novi homines novusque Chriſtus introduceretur in mundum: cui tamen erudite, quamvis initio infelici- Lib. 2. c. 1. c. 2. c. 3.

 ter,

ter, ſe oppoſuerit *S. Virgilius*, Germaniæ Apoſtolus. Docet inveſtigare circuli maximi terreſtris gradum & ſupputare longitudines locorum, ſeu diſtantias a primo meridiano. Explicat diſtinctius illuminationem telluris a Sole, conſtructionem mapparum geographicarum, dimenſionemque diſtantiarum & altitudinum.
c. 4. In hydrographia de inclinatione & declinatione magnetis diſſerit, inſtrumenta navigationum deſcribit, rhomborum theoriam delineat, problemata loxodromica ſolvit, mapparum denique hydrographicarum conſtructionem ac uſum declarat.
5. In Horographia jactis fundamentis horographicis horologia ſolaria in quovis plano deſcribere docet, ſimulque oſtendit, quomodo circuli Sphæræ mundanæ horologiis inſcribantur. Habet etiam nonnulla de horologiis, quæ certis corporum ſuperficiebus inſcribi ſolent.
6. Denique in capite de aſtrolabiis primo uſum globorum cœleſtis atque terreſtris tradit, problemata Analemmatis declarat, & aſtrolabiorum tam univerſalium, quam particularis, præſertim horizontalis, ſtructuram delineat.

Lib. 3. c. 1. 2. 3. 4. 5 & 6. In Aſtronomia Autor noſter ex theoricis perſpicue explicat, quæ ad calculum motuum Solis ac Lunæ itemque eclipſium tam lunarium quam ſolarium rite intelligendum neceſſaria ſunt, & ipſe calculus exemplis ad tyronum captum illuſtratur, ut adeo hic liber commendari mereatur calculi tyronibus, præſertim ſi quis terminorum aſtronomicorum non ignarus proprio Marte calculi formam ſibi familiarem reddere decreverit. Adduntur etiam Tabulæ aſtronomicæ, ne elementa calculi aliunde petere opus habeant tyrones.
7. Cometarum explicantur natura & ſpecies, accidentia, motus principia & diſtantia a terra.
8. Calendarii recenſentur partes, enarratur correctio, epactarum denique evolvitur conſtitutio & computi eccleſiaſtici forma deſcribitur.

PROBLEMATA ARITHMETICO-GEOMEtrica acutiſſimis Mathematum cultoribus propoſita


a

FERDINANDO ERNESTO Comite ab HERBERSTEIN, A. 1716.

Inter

Digitized by Google

INter infinitas easque admirandas numerorum proprietates non poſtrema eſt, quæ tribus quibuscunque numeris certa lege in Figuram Δli diſpoſitis ſummas Perpendiculis adſcriptas exhibet ſemper æquales. Fertiliſſimæ hujus meſſis fructus vel ex ſolo manipulo ſub hoc Schediaſmate contento nullo labore deteguntur: Ut porro ad ulteriora pateat aditus, ſequentia Geometris proponere libuit.



1. Invenire Speciem Figuræ Geometricæ rectilineæ ita ut adſcriptis ſingulis Figuræ angulis quibuscunque numeris, ſummæ binorum quorumcunque eidem lineæ adſcriptorum, & numeri adſcripti angulo eidem lineæ correſpondenti, ſint omnes inter ſe æquales.

2. Idem efficere in Δ'o, qui ſua circumvolutione generet conum datæ ſoliditatis.

Digitized by Google

3. Idem efficere in Δlo, cujus Perpendicula ſint in ratione data.

4. Idem invenire in Δlo, ſuper cujus lateribus deſcripti circuli ſint Arithmetice progreſſionales.

5. Idem præſtare in Δlo, ſuper cujus lateribus tanquam diametris deſcripti circuli ſint in ratione imperata.

6. Idem exhibere in Δlo, ita ut ſumma laterum referente magnitudinem ſpeculi plani, ſumma Perpendiculorum exhibeat diſtantiam objecti a ſpeculo ad hoc ut videatur præciſe totum.

7. Idem efficere in Δlo, cujus tria Perpendicula A. B. C. A. quidem & B. ſint numeri Trigoni B. & C. Hexagoni, A. & C. Heptagoni.

8. Idem efficere in Δlo, cujus unus angulus ſit æqualis elevationi poli datæ civitatis.

9. Idem præſtare cum Δlo, ita ut ſumma numerorum lateribus adſcriptorum exhibeat annum 1716.

10. Idem exhibere in Δlo, ita, ut quando ſumma duorum laterum eſt numerus imperatus, & ſimul tempus durationis in horis alicujus Eclypſis Solaris 3tium ſit digiti obſcurandi in eadem Eclypſi.

NOVA LITERARIA.

Argentorati Cl. Pfeffingerus SS. Th. P. P. O. Commentarium Philologico-Theologicum in Epiſtolam Pauli ad Epheſios proxime nos expectare jubet. Cl. Lederlinus poſt Aphthonium, cujus edendi animum nondum abjecit, Commentarium Theophylacti in XII Prophetas, cujus inſignem Codicem MS. ſervat Bibliotheca Reipubl. Argentoratenſis, publico deſtinavit. Prelo etiam paratum habet Commentarium in Calendarium Judaicum variis obſervationibus curioſis & eruditis refertum. Nunc totus eſt in illuſtrandis Antiquitatibus Hebraicis, Græcis atque Romanis, quarum in N. T. fit mentio, inque tractatu de Præconibus veterum ad umbilicum perducendo. Norimbergæ Cl. Lochnerus Hiſtoriam Medicorum Litterariam ex nummis & ſtatuis ſuſcepit illuſtrandam, cui negotio egregia dabunt incrementa, quæ ſubinde ad ipſum mittuntur ex Italia Galliaque celeberrimorum Medicorum numiſmata. Varias quoque idem molitur Diſſertationes Aſclepiadeas, ut ſunt, de Baculo Æſculapii ejus-

ejusque apud Coos feſto Exaltationis Baculi; de Pentagono Hygieiæ: de Metharifſheo Hygieiæ; de Maza Hygieiæ; de Tripode Aſclepiadeo; de Teleſphoro Æſculapii & Hygieiæ comite. Idem quoque Centuriæ Ephemeridum Naturæ Curioſorum Societatis Leopoldinæ, quam proxime expectamus, appendicem de Rhododaphne, Rhododendro & Nerio veterum addet, qua præcipue evincere conabitur, ramum, qui in Gemmis Nerei & Nereidum conſpicitur, neque laurum neque myrthum, ſed Nerionem eſſe, qui ab ipſis hoc nomen gerat. Cum etiam Rhododendron ſpecies quædam Ciſti ſit, peculiari olim diatriba de nummo Ciſtophoro, cujus apud Ciceronem, Livium, & Feſtum mentio, diſquiret. Ratisbonæ D. Georgius Andreas Agricola invenit modum arbores tum fructiferas, tum ſilveſtres in immenſum multiplicandi, ope namque mumiæ cujusdam vegetabilis radices ex quavis arboris gemma, ſurculo aut ramo breviſſimo temporis ſpatio elicit, ita ut deinde in arbores maxime vegetas evadant. P. Hieronymus Pez Ord. Bened. in monaſterio Mellicenſi prope Viennam, Corpus Scriptorum Hiſtoriæ Auſtriacæ adhuc ineditorum congeſſit, quos inter eſt Nepachlonis Chronicon Bohemiæ Seculo circiter VI ſcriptum, Excerpta item ex Chronico Cremiſanenſi Bernardini Norici, nec non Chronicon vetus Mellicenſe, aliudve Chronicon Auſtriacum Seculo quaſi XV exaratum aliaque. Hujus Operis Tomum I proxime, ſi per librarium licuerit, eſt editurus. Frater ejus P. Bernardus Pez, prædicti monaſterii Bibliothecarius, Vir eruditiſſimus, Scriptorum Ordinis S. Benedicti Bibliothecam Generalem maximo conatu ex omnibus Ordinis ſui aliisque Bibliothecis colligit. Interim, dum iſta undique conquiruntur, prelo ſubjecit Auguſtæ Vindelicorum Bibliothecam Benedictino-Maurianam ſeu de ortu, vitis & ſcriptis Benedictinorum P. P. e Congreg. S. Mauri in Francia libros II.

Genevæ modo recuduntur Caroli Muſitani Opera omnia, Medica, Chymica & Chirurgica, II Voluminibus, itemque Bern. Ramazzini Opera Medica & Mathematica, utraque variis acceſſionibus augenda, nec non Jo. Jac. Mangeti Theatrum Anatomicum, adjectis Barth. Euſtachii Tabulis Anatomicis, Romæ nuper a Celeberrimo Lanciſio editis. Floret quoque ibidem ab aliquo tem-

Digitized by Google

tempore Societas Medicorum præſide V. Cl. Dan. Clerico, quæ Secretarium habet Butinium, nuperque in publicum edidit Meditationes de ſtrage pecudum ejusdemque remediis. Nunc varias de variis humani corporis morbis obſervationes ab eadem ſocietate expectamus.

Cl. D. Jo. Diecmannus, Brema, quo Danico exercitu appropinquante ſeceſſerat, nuper Stadam redux, Animadverſiones eruditiſſimas in Gloſſarium Rabani Mauri ſecum advexit, natas ſibi in hoc ſeceſſu ſuo, cumque eruditis aliquando communicandas. Harburgi Cel. Benthemius Hiſtoriam Epiſtolarem celebrium Virorum meditatur, quam in rem jam ultra 30000 epiſtolarum tum editarum, tum in ſcriniis eruditorum hucusque latentium, perlegit, ſeduloque, quæ ad inſtitutum facere videbantur, excerpſit. Compellandi itaque ſunt Viri eruditi, ſi forte in manibus ipſorum ſint ineditæ doctorum epiſtolæ, ut inſtitutum laude digniſſimum benevole promoveant. Helmeſtadii Ven. Schmidius, Abbas Marenthalenſis, magno numero collegit Diſſertationes quasque præſtantiſſimas Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lucem fœnerantes, quas ſub titulo Theſauri Eccleſiaſtici in publicum eſt emiſſurus. Idem Vir Celeberr. in memoriam Jubilæi Lutherani, proximo anno celebrandi, III Tomis imprimi curabit B. Lutheri Epiſtolas a Jo. Aurifabro collectas, ſed ex parte tantum editas, addetque præter complures Epiſtolas ineditas, varias Obſervationes Hiſtoricas, vitam Lutheri, indicesque neceſſarios. Proxime ab eo expectamus partem alteram Introductionis Sagittarianæ in Hiſtoriam Eccleſiaſticam, quæ præter ſupplementa Tomi prioris binis capitibus novis conſtabit, quorum altero de Conciliis, altero de antiquitatibus Eccleſiaſticis agitur, adjectamque habebit Diſſertationem Boſianam de comparanda notitia Scriptorum Eccleſiaſticorum longe plurimis locupletatam acceſſionibus. Gothæ Cel. Cyprianus juſſu Ser. Principis ſui editurus eſt, quæ B. Tentzelius vernaculo ſermone de Hiſtoria Lutheraniſmi collegit, inque Bibliotheca Ducali aſſervantur, quamvis ea ultra primum biennium non procedant. Ipſe tamen in elaboranda Hiſtoria Eccleſiaſtica ab an. 1500 ad an. 1715 nunc occupatur, quod opus brevi tempore ad colophonem ſe perducturum ſperat.

Corrigenda in M. Junio Anni 1715.

P. 243 l. 7 poſt exemplum *inſere* extat. P. *244 l. 19. lege* quatuorve. *P. 249 l. 13 leg.* conicæ. *P. 253 l. 5 a fine pro* a f h *leg.* a f k. *P. 254 l. 23 poſt litteram M dele comma, tribusque litteris* +M+N+P *ſuperinducatur linea. Ibid. l. 26 poſt* turbinationibus *inſere* ſyſtematis. *P. 257 l. 10 leg.* ſolidorum.

* * * * * *

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Julii, Anno MDCCXVI.

LES OEUVRES D' ARCHITECTURE DE Pierre Poſt,

hoc eſt,

OPERA ARCHITECTURÆ PETRI POST, Architecti Principum Arauſionenſium.

Lugduni Batavorum, apud Petrum Vander Aa, 1715, fol. Reg. Plag. 22 Tabb. æn. 75.

Editor in hoc opere congeſſit ichnographias & orthographias cum externas, tum internas, una cum deſcriptionibus, ædificiorum magnificorum, cura *Petri Poſt*, Architecti celebris, paſſim per Bataviam exſtructorum, quæ antea ſigillatim cum deſcriptionibus Batavo idiomate prodierant. Reperies ibi 1. ædificium ſplendidum, pilis Ionicis undiquaque ornatum, quod *Johannes Mauritius*, Naſſaviæ Princeps, Ordinis S. Johannis Hieroſolymitani Magiſter, Ducatus Cliviæ, Principatus Mindenſis & Comitatuum Marcæ & Ravensbergæ Gubernator, Hagæ Comitum multis ſumtibus exſtrui juſſit. Succedit 2. aliud non minus ſplendidum, quod a parte ſui præcipua Batavis *de Sael van Orange* dicitur. Exſtructum eſt in media ſylva ſumtibus *Ameliæ*, Principis viduæ Arauſionenſis, una cum hortis aliisque ædibus minoribus. Loci amœnitas multos, qui Hagæ Comitum degunt, animi gratia illuc trahere ſolet. Sequitur 3. ædificium publicum in campo libero inter Amſtelodamum & Harlemum excitatum, ut ibidem ſtatis temporibus conveniant, quibus aggerum furentibus aquis oppoſitorum & cataractarum armatarum cura commiſſa, quorum aggerum cum cataractis deſcriptio & ichnographia una exhibetur in uſum Archi-

Digitized by Google

chitecturæ aquarum egregie profutura. Batavi vulgo *Swanenburgh*, itemque *de gemeene Lords-Huys* vocant. Comparet ibidem 4. ædificium magnificum, *Jacobi Emmeri* L. B. *de Waſſenaer*, non procul ab oppido *Waſſenaer* ſitum, duabus leucis a Lugduno Batavorum totidemque ab HagaComitum diſtans, & 5. Curia, qua Trajectum ſuperbit. Repræſentatur etiam 6. ædificium publicum, quod Goudæ librandis mercibus deſtinatum, tandemque 7. domus pilis Corinthiacis ornata, quæ vulgo *Vredenburg* appellatur. Ultimo loco habentur delineationes ac deſcriptiones 23 Caminorum, quos Architectus noſter paſſim conſtrui curavit.

LES NOUVELLES OEUVRES D' ARCHITECTURE de Philippe Vingboons &c.

hoc eſt.

NOVA OPERA ARCHITECTURÆ PHILIPPI VINGBOONII, Architecti Amſtelodamenſis, in duos Tomos diviſa.

Lugduni Batavorum, apud Petrum Van der Aa, 1715, fol. reg. Plag. 11 Tabb. æn. 80.

IN hoc opere ſane ſplendido continentur ichnographiæ & orthographiæ externæ ædificiorum, quæ pleraque Amſtelodami in uſum mercatorum ab A. 1649 usque ad A. 1679 extruxit *Philippus Vingboon*, Architectus inſignis. In eorum numero continentur quoque, quæ, ut regulis Eurythmiæ facilius ſatisfieret, ſub eodem tecto fuerant excitata. Annectuntur ſub finem aliquot ædificiorum ideæ, quæ ab Architecto noſtro inventa equidem, ſed non actu condita ſunt. Prodierunt hæ ædificiorum deſignationes jam ante cum deſcriptione Batavo idiomate adornata: in hac vero iterata editione deſcriptiones in linguam Gallicam traductæ. Juvabit hoc opus illorum conatus, qui in concipiendis ædibus privatis operam collocant.

JOVILABIUM, ID EST, INSTRUMENTUM Aſtronomicum, quo in ſyſtemate Joviali poſitiones Jovis & Satellitum ejus inter ſeſe, ut & eclipſes eorum atque occultationes

Digitized by Google

tiones mutuæ, ad quodvis tempus, ſine aut concurrente calculo, facile, exacte ac prompte exhibentur & prædicantur. Opera ac ſtudio LOTHARII ZUMBACH de KOESFELD, Med. Doct. Illuſtr. Carolinæ Caſſellis Mathem. Prof. Ordin. Regiæ Scient. Societ. Boruſs. Membri.

Amſtelodami, ſumptibus Gerardi Valk, 1716, in 4. Plag. 6. Tab. æn. in chart. aug.

PRimus inſtrumentum, aut, ſi mavis, automaton motus Satellitum Jovis repræſentans conſtruxit *Olaus Rœmerus* & ejus deſcriptionem cum *Flamſtedio* A. 1679 communicavit, qui deinde aliud excogitavit & in Tranſactionibus Anglicanis n. 178 p. 1262 A. 1685 publice exhibuit. Enimvero cum Cl. *Zumbachius* perpenderet, machinas illas ſumtuoſas non facile a quovis comparari poſſe, nec ignoraret, quod propter motuum & magnitudinum incommenſurabilitatem pluribus annis ſine errore notabili aut interveniente correctione phænomenis ad amuſſim ſatisfacere non poſſint; aliud ſimplicius excogitavit, ex paucis quibusdam circulis in plano ſive chartaceo, ſive metallico delineatis conſtans, quod omni tempore phænomenis eodem modo ſatisfacit & quo poſitiones mutuas Circumjovialium admodum facile ſine calculo inveſtigare, immo eclipſes & occultationes adeo exacte definire licet, ut a calculo *Caſſiniano* vix ultra minutum primum aberrent. Atque hoc inſtrumentum *Jovilabium* appellat & in præſenti tractatu deſcribit, ejusque uſum per ſingula motuum Circumjovialium problemata exemplis illuſtrat. In ſubſidium ſubinde vocat *Planetolabium* ſuum, hoc eſt, ſimile inſtrumentum, quod pro motibus Planetarum ante excogitatum peculiari tractatu deſcripſit, nobis hactenus non viſum. Ceterum tam Planetolabium, quam Jovilabium jam conſtructum haberi poteſt apud *Gerardum Valk*, chalcographum Amſtelodamenſem, cujus ſumtibus deſcriptio utriusque inſtrumenti prodiit. Appendicis loco Cl. Autor ſubjungit novam rationem inveniendi per obſervationem parallaxin Lunæ, quotiescunque Luna apparet. Jubet ſcilicet 1. duobus diebus proxime invicem ſuccedentibus obſervare Lunæ longitudinem, quando in nonogeſi-

mo exiſtit, quia tum viſa cum vera eadem, & 2. tempore intermedio longitudinem & latitudinem viſam, quando nonageſimum ſuperavit. Tum 3. ſupputanda eſt ex Tabulis *Philippi de la Hire* aut aliis æque probatis ad tempus triplicis obſervationis longitudo Lunæ vera. 4. Capienda eſt differentia longitudinum Lunæ ſupputatarum prioris & poſterioris diei, ut habeatur motus tabularius interea factus, & eodem modo inveniendus eſt obſervatus. 5. Inveſtigandus motus tabularius, itemque obſervatus, inter tempus primæ obſervationis in nonageſimo & tempus obſervationis extra nonageſimum. 6. Inferendum: ut motus ſupputatus prior ad ſupputatum poſteriorem ita motus obſervatus a primo nonageſimo usque ad alterum ad motum Lunæ a primo nonageſimo usque ad tempus obſervationis intermediæ. 7. Data igitur vera longitudine ad tempus iſtud, habetur parallaxis longitudinis: unde 8. per reſolutiones triangulorum Sphæricorum eruitur parallaxis cum latitudinis, tum altitudinis.

METHODUS INCREMENTORUM DIRECTA & inverſa; Autore BROOCK TAYLOR, L.L. D. & Regiæ Societatis Secretario.

Londini, typis Pearſonianis, proſtat apud Guil. Innys, 1715, 4. Plag $15\frac{1}{2}$.

SEries Numerorum utiliter examinari ſolent per *differentias*, inter duos quosque numeros in ſerie ſibi proximos, quibus creſcunt vel decreſcunt; quas *immediatas* appellare poſſis. Porro Ill. Leibnitius adhuc adoleſcens conſideravit, Terminos Serierum dare ſummas differentiarum immediatarum, ita quidem ut differentia inter terminos duos extremos ſit ſumma omnium differentiarum immediatarum intermediarum, & cum terminus alter extremus ſerie in infinitum decreſcente evaneſcit, evenire, ut termini ſeriei ſint ſummæ omnium ſequentium differentiarum, nempe immediatarum; nam κατ' ἐξοχὴν per differentias ſolent intelligi immediatæ niſi aliud ſignificetur. Porro cum differentiarum ſeries rurſus conſideratur ut ſeries aliqua terminorum: hujus ipſius quoque ſeriei quæri poſſunt differentiæ, hoc

hoc eſt, differentiæ differentiarum ſeu ſecundæ, & ita ad tertias & quartas &c. pergi poteſt. Eaque conſideratione Leibnitius uſus eſt egregie ad multas ſummas inveniendas. Sane perfacile hinc inveniuntur ſummæ integrorum quorumcunque velut naturalium, quadratorum, cuborum &c. & formularum ex his compoſitarum. *Integros* autem appellamus hic omnes formulas vel formas, ubi variabilis non ingreditur in denominatorem. Sed tamen hinc etiam inveniuntur ſummæ ſerierum ex fractis conſtantium complurium, quales ſunt ſeries, ubi fractionum numerator eſt unitas, denominatores vero ſunt omnes numeri triangulares, vel omnes numeri pyramidales, &c. qui vulgo figurati dici ſolent. Cum enim aſſumſiſſet ſeriem fractionum naturalium, earumque quæſiſſet differentias primas, ſecundas, tertias &c. prodiere ipſi ſeries, quarum termini ſunt fractiones triangulares, pyramidales, triangulo-triangulares &c. per conſtantem aliquam in eadem ſerie numerum multiplicatæ; quarum proinde inveniebantur ſummæ; quod attigit in Epiſtola ad Henricum Oldenburgium Societatis Regiæ Anglicanæ Secretarium data Anno Dom. 1673, quæ in Commercio Epiſtolico Collinſii extat. Eadem via innumeræ aliæ ſummæ inveniri poſſunt; imo plerumque reciproce, data ſerie numerica inveſtigari poteſt his artibus, utrum in numeris detur ſeries ſummatrix, ſeu cujus differentialis det ipſam ſeriem datam. Leibnitius autem cum his meditationibus numericis poſtea Geometricas adjunxiſſet, & animadvertiſſet inventioni differentiarum & Summarum numericarum reſpondere in Figuris inventionem Tangentium & Quadraturarum; hinc tandem via vere Analytica *Calculum Differentialem* vel infiniteſimalem excogitavit, cujus ſumma utilitas ab Eminentibus Mathematicis, Bernoulliis, ſed Johanne inprimis, & Marchione Hoſpitalio primum, deinde & ab aliis oſtenſa; & ab Anglis etiam ex eo ſub nomine Calculi Fluxionum eſt celebrata. Nam *differentiæ infiniteſimales* ſeu momentaneæ linearum, vel quantitatum continuarum, fluxiones appellari poſſunt. Et quidem Calculus differentialis in Geometria commodior redditur quam in Arithmetica, quia enim in Geometria ſeu continue variatis differentiæ ſunt quantitatibus diffe-

Digitized by Google

rentibus incomparabiliter minores, & illæ juxta has poſitæ in addendo vel ſubtrahendo evaneſcunt; hinc fit ut plurimi termini qui in Arithmetica conſervantur, in Geometria evaneſcant. Interim vera via Analytica procedit a Numeris indefinitis ſeu Magnitudinibus generaliter ſumtis, ad Geometriam, tanquam a genere ad ſpeciem.

Sed Clariſſimus Autor hujus libri, quem nunc recenſemus, inverſo itinere a Fluxionibus in Anglia (ut diximus) celebrationibus rediit ad conſiderationem generalem *differentiarum*, quod vocabulum quæſito ſtudio evitat, & pro iis *incrementa* ſubſtituit, unde agnoſcit fluxiones derivari: *differentiæ* autem appellatio eſt generalior, nam continet tam incrementa quam decrementa. Porro Veteres (inquit in præfatione) inſcripſerunt & circumſcripſerunt figuras ex partibus finitis & cognitis conſtantes, Cavallerius & recentiores *contemplarunt partes iſtas* (ſic loquitur) *ut in infinitum diminutas*. Addit ibidem nullas eſſe partes ejusmodi, primas naſcentes vel ultimas evaneſcentes, in natura, & tamen vult partium primarum naſcentium, vel ultimarum evaneſcentium dari proportiones ſeu rationes: poſſunt pro his limites adhiberi, citra quos ſtatur. Tandem vero facilioris conceptus cauſa etiam partes hujusmodi tanquam infinite parvas introduci poſſe agnoſcit; atque ita ad Leibnitianas expreſſiones ſe recipit. Sed notas adhibet ſingulares; & cum Angli pro dx, ddx, d^3x &c. adhibeant puncta. .. ∴ literæ x vel alteri ſuperpoſita; ipſe propterea pro differentiis in genere, ut tam infiniteſimales quam alias comprehendat, puncta ſupponit. Interdum & pro punctis adhibet numeros ſubſcriptos vel ſuperſcriptos, nonnunquam etiam adhibet accentus graves. Exempli gratia apud ipſum $\grave{x}$, $\grave{\grave{x}}$, x, $x_{\grave{}}$, $x_{\grave{}\grave{}}$ ſunt ejusdem quantitatis valores quinque ſucceſſivi (nos quinque affectiones ſucceſſivas diceremus) quarum x eſt valor præſens; accentum habentes ſuperiorem ſunt præcedentes ſeu ſummæ, habentes inferiorem ſunt ſubſequentes ſeu differentiæ. Pulcherrimam analogiam Leibnitianam inter differentias & variorum graduum infiniteſimales quantitatum formatarum per multiplicationes, & potentias ordinarias quantitatum formatarum per additionem, in Miſcellaneis

Bero-

Digitized by Google

Berolinenſibus expoſitam, quæ hujus loci eſſe videbatur, Dn. Autor vel non obſervavit, vel præteriit; & præter Cavallerium & Walliſium obiter nominatos in præfatione, neminem in toto opere nominat niſi Newtonum.

Diſtinguitur opuſculum in duas partes, generalem quæ in præceptis conſiſtit, & ſpecialem quæ in exemplis. Ex parte generali obſervatio ejus in ſcholio ad prop. 6 nobis inprimis notatu digna videtur: *Reductio,* inquit, *æquationum propoſitarum ad æquationes integras in hac ſolutione plurimum pendet a ſolertia Analyſtæ in inventione incrementorum exercitati. Quare in hunc finem utile eſt, quantitatum variis modis compoſitarum incrementa quærere* (id eſt, varias formulas differentiare) *eaque in Tabulas referre, quæ deinde conſuli poſſunt, quoties opus eſt alicujus incrementi integralem invenire.* Subjicit etiam Tabellam quandam, ſed faciliorem. Ceterum aliæ artes expectari poterant. Interim quædam theoremata generalia in ſeries euntia exhibet Autor, & in eam rem methodos præſcribit, quæ non videntur ſpernendæ, & in prop. 10, quoties integratio haberi non poteſt per æquationem ordinariam finitam, habet rem pro deſperata, tanquam ſolæ ſeries infinitæ ſubſidiariæ ſint reliquæ. Itaque non videtur uti velle Methodis Leibnitii rem ad Logarithmos per Calculum exponentialem vel alia quædam ſubſidia reducentibus quæ perſæpe deſiderio ſatisfaciunt. Quædam etiam affert, quæ quadraturis Newtonianis illuſtrandis inſervire poſſunt. Tandem in ultimo ſcholio concludente partem priorem ſcribit: *Æquationes quadraticæ revocantur ad æquationes ſimplices per extractionem radicis, atque æquationes Cubicæ reſolvuntur per regulam Cardani, & æquationes plurium dimenſionum etiam reſolvi poſſunt per ablationem terminorum intermediorum.* Ubi ita loqui videtur tanquam ars terminos intermedios tollendi jam ſit cognita. Sed ea ſaltem nondum publice extat, niſi usque ad æquationes quadrato-quadraticas. Quod ſi talis ars nota eſt Domino Autori, plurimum ejus publicatione analyſin augebit. Methodus certe quam Dn. D. T. in Actis noſtris tentavit, non ſucceſſit, nam in altioribus cadit in æquationes æque difficiles ac ipſa reſolvenda.

In parte poſteriore ſua præcepta exemplis illuſtrat, & in

prop.

Digitized by Google

prop. 15 applicat ad Geometriam; ubi exemplo 4 radium oſculi indagat, & prop. 18, 19 de catenaria, prop. 20, de figura lintei, prop. 21 de figura fornicis fluidum onus ſuſtinentis & lamina Elaſtica agit, de nervo etiam tenſo prop. 22, 23, de centro oſcillationis prop. 24, de centro percuſſionis prop. 25, de denſitate atmoſphæræ terræ prop. 26, in quibus ab aliorum inventis, in his præſertim Actis publicatis, non abludere videtur. Tandem propoſitione ultima, nempe 27 quærit refractionem lucis in atmoſphæra terræ radiique curvaturam, & poſt multos calculos appropinquationesque concludit, curvaturam radii luminis horizontalis prope ſuperficiem terræ eſſe ad curvaturam circuli maximi terræ, ut 1 ad 5.

EPISTOLA PRO EMINENTE MATHEMATICO, Dn. JOHANNE BERNOULLIO, contra quendam ex Anglia antogoniſtam ſcripta.

QUi Tibi aſſeveravit, Vir celeberrime, quod inventio calculi integralis proprio Marte obtenta ſit a Dn. *Johanne Bernoullio*, nihil a veritate alienum dicit; ſi præſertim hunc calculum a calculo differentiali, quem utique totum illuſtri *Leibnitio* deberi etiam apud ipſum *Bernoullium* extra controverſiam eſt, diſtingvere velimus. Quod ſi Tu contendas, calculum integralem eſſe tantum partem calculi differentialis, hoc quidem libenter largiar, ne in logomachiam abeamus: nihil interim impedit, quo minus hujus partis (quam etiam *Bernoullius* primus nomine integralis baptizavit) inventionem eidem tribuere liceat: quod Te non invito dixerim, modo attendere digneris ad geſtorum ſeriem. Reperies enim, Ampliſſimum *Leibnitium*, cui ſimilem calculum, quem *Summatorium* vocat, innotuiſſe nec ego nego, nec (quod novi) celeberrimus *Bernoullius* negat, nihil omnino ante ipſum Fratremque ejus in lucem edidiſſe; unde colligi potuiſſet, quomodo regulæ eſſent condendæ pro integrandis quantitatibus differentialibus; adeo ut ſuo Marte eruendæ *Bernoullio* fuerint, ex quibus algorithmum concinnavit. Eas autem regulas a ſe excogitatas primo Fratri aperuit, qui, quod

co-

eorum ſoliditatem non ſtatim perciperet, initio ægre eas admittebat, veritus ne illarum uſq; in paralogiſmos deduceret; mox vero demonſtrationum vim ſentiens adoptavit hunc calculum integralem & excoluit ipſe, retentoque ipſo nomine *integralis*, quod ei indiderat *Johannes* aliud commodius tunc neſciens, publice uſus eſt, & quidem prima vice (nihil enim antea hujus nominis uſurpatum in ullo libro invenies) in Actis Eruditorum A. 1690 p. 218, ubi oſtendit, integrale quantitatis compoſitæ irrationalis $dy\sqrt{}(bby-a^3)$, qualis per calculum hunc nunquam antea fuit integrata. Illuſtris *Leibnitius* hujuſmodi integrationem núnquam dederat publice. Dedit equidem in Actis An. 1686 p. 297 exemplum integrationis, nempe ipſius xdx, ſed quod, ut ipſe notat, immediate adeo ex directo calculo differentiali fluit, ut nulla arte, nedum analyſi ad id opus fuerit: dicitque porro, quod $\int dx:(2x-x^2)$, ſeu ut *Bernoullius* vocat, integrale ipſius $\frac{dx,}{\sqrt{2x-x^2}}$ exhibeat arcum circuli, quod quidem ex nuda arcus differentiatione patet: Sed hoc pariter pro methodo integrandi nihil confert. Interim *Jacobus Bernoullius* agnovit, demonſtratione curvæ *Leibnitianæ* his Actis inſertæ, in qua grave deſcendens æqualiter horizonti accedit, ſibi primum oculos apertos, ut uſum calculi differentialis ad problemata ſolvenda perſpiceret. Conſtat igitur ex hactenus dictis, calculum integralem & rem, & nomen à *Johanne Bernoullio* habuiſſe, ſiquidem in juſtas regulas eum redactum & ad algorithmum quendam revocatum primus tractare docuit in forma analyſeos. Specimen inſigne ejus rei dedit per ſolutionem problematis catenarii, quod primo Fratri ſuo privatim propoſuerat, hic vero illud cum ſolvere non poſſet publice propoſuit, ut liquet ex Actis A. 1691, ubi plura alia exempla per calculum integralem a *Bernoulliis* ſoluta conſpiciuntur. Fatendum tamen eſt, nec ſagaciſſimum mortalium *Leibnitium* in arte integrandi vel, ut ipſe vocat, ſummandi jam tum hoſpitem fuiſſe, quia ipſe problema catenariæ a *Jacobo Bernoullio* propoſitum a ſe ſolutum fuiſſe primus ſignificavit, quæ ſolutio poſtea cum altera *Johannis Bernoul-*

Digitized by Google

noullii edita eſt in his Actis. Quousque *Johanni Bernoullio* debeatur calculus integralis inventus, nunc paſſim uſitatus, nec non & ipſius calculi differentialis promotio, & propagatio, loquuntur porro ea, quæ durante peregrinatione ſua cum eruditis in ſcripto communicavit, præſertim in Gallia, ubi præ ceteris *Hoſpitalio* liberaliſſime omnia ſua myſteria præſens ore & calamo, poſtea vero abſens per litteras aperuit & explicavit. *Hoſpitalius* deinde ex lectionibus a *Johanne Bernoullio*, cum Pariſiis commoraretur, in uſum ipſius conſcriptis ipſique traditis librum ſuum contexuit Gallicum de Analyſi infinite parvorum, complectentem quidem tantum primam partem ſeu calculum differentialem: alteram vero ſeu calculum integralem poſtea traditurus erat, niſi morte occupatus fuiſſet; habebat enim ex MSC. *Bernoullianis* materiam ejus paratiſſimam. Id non ignorant plures Mathematici, qui eorundem MSC. apographa ſibi compararunt, inter quos & ipſe noſter *Hermannus*, ſicut & quidam alii Germani, nonnullique Itali & Angli, qui ſub *Bernoullii* manuductione ſtudia mathematica proſequentes facultatem ab ipſo impetrarunt deſcribendi primum illud apographum, quod ipſemet prudenti conſilio deſcripſerat ab originali, antequam nempe *Hoſpitalio* exhiberet, ne ſe proprio fœtu privaret. Quin & Illuſtris *Leibnitius*, qui, quæ narravi, non ignorat, dictorum veritati teſtimonium perhibere poſſet, & partim jam perhibuit, quippe qui non tantum in litteris ſuis privatis tam ad ipſum *Bernoullium*, quam ad alios ſcriptis, ſed & in Actis A. 1697 p. 202 publice profitetur; *calculum hunc jam Bernoulliis non minus quam ſibi deberi*. Certe ut ab ipſo originem habet, ita *Johannis Bernoullii* potiſſimum opera invaluiſſe & promotum fuiſſe agnoſcit ipſe. Hæc vero, quæſo Vir celeberrime, ne eo animo dicta putes, quaſi de meritiſſimis laudibus *Leibnitii* quicquam detractum velim, aut Viro ſummo palmam dubiam reddere contendam: novi enim, ipſum *Bernoullium* pro eo, qui excelſa ingenia comitatur, candore auſum hunc improbaturum. Non ægre adducor (id quod ſupra jam monui) ut credam, Virum hunc habuiſſe calculum ſuum ſummatorium in eadem perfectione, eodem tempore & forte citius, quam *Bernoullio* inventus eſſet calculus integralis: quid

Digitized by Google

quid enim hujus Viri ſagacitas penetrare non poſſet? Nihil itaque aliud evincere volui, quam quod *Bernoullius* ex propria ſua induſtria calculum integralem ſeu differentialem inverſum excogitaverit, anſam quidem præbente calculo directo, & quod ante ipſum Fratremque ejus *Jacobum* nemo quicquam in lucem ediderit pro integrandis quantitatibus compoſitis & irrationalibus, quando interim *Bernoullii* varia ejus ſpecimina primi exhibuerunt: ut ita non videam, cur inter inventores non æque poni mereatur *Johannes Bernoullius*, quam qui diu ante ipſum quoque eum poſſediſſet, nihil tamen evulgaſſet. Quod interim ad calculum differentialem proprie ſic dictum attinet, ejus quidem inventionem, non invito *Bernoullio*, in ſolidum ſemper attribui *Leibnitio* &, quicquid dixerint Angli aliqui, etiamnum attribuo. Neque ignoro, *Bernoullium*, qui modeſtiæ limites nunquam transgreditur, nihil hactenus gloriæ popoſciſſe, nullamque inde lauream ſibi arrogare: tametſi non tam paucis iſtis pagellis, in quibus calculum differentialem tanquam per ænigmatis nebulam conſpiciendum propoſuit *Leibnitius* in Actis A. 1684, calculus iſte celebritatem acquiſiverit, immo non tam ab eruditis intelligi cœperit ex illo ſchediaſmate, nedum inclareſcere, quam frequentibus ænigmatis illius explicationibus & commentationibus, atque ex variis in eam rem & copioſis exhibitis Speciminibus *Bernoullianis*, itemque ex *Johannis* apud exteros Geometras in itinere habitis converſationibus, ſine quibus omnibus neſcio annon calculus iſte in pagellis illis ſepultus etiamnum deliteſceret inglorius: cum enim per quatuor fere annos inibi latuiſſet a nemine perceptus, antequam *Bernoullii* eum in lucem protraherent, potuiſſet haud dubie diutius conquieſcere ſine ſtrepitu, & forſitan tunc nunquam Anglorum æmulatio procitata fuiſſet. Ex quibus ergo porro liquet, quid tenendum ſit de lite illa inter Anglos aliquos & Germanos exorta, utrum ſcilicet *Nevvtonus*, an *Leibnitius* pro primo inventore hujus calculi ſit habendus. Quæſtio haud abſimilis videtur ei, qua quæreretur, utrum hic vel ille primum lapidem jecerit præclari alicujus ædificii, quinam vero fuerint illi, qui ædificium ipſum ad faſtigium ſuum vel ſaltem aliquousque evexerint, nemo eſſet qui quæreret:

Pp 2 quaſi

quaſi nempe illi, qui rem quandam ab incunabulis inceptam longe promovent, nihil laudis, illi alii autem, qui prima ejus ſtamina poſuere, ſoli omnem honoris mercedem meruiſſent: quod nec *Leibnitius* pro candore ſuo probat, qui ſe *Johannem Bernoullium* potiſſimum in extollendo ædificio adjutorem habuiſſe, & non exigua ab ipſo accepiſſe fatetur. Non jam urgeo, quod inique faciant, qui nihil penſi habent, cui attribuenda ſint tot alia inventa, quæ ſane nuda methodo ſive differentialium, ſive fluxionum nullo modo nituntur. Ex innumeris, quæ ſilentio prætereo, ſit calculus exponentialis, per quem quantitates ad dimenſiones indeterminatas differentiare, curvasque ejusdem nominis tractare primus publice docuit *Bernoullius*, quod Tu ipſemet, Vir clariſſime, in litteris Tuis pro ea, qua es, æquitate agnoſcis. Abſit tamen ut negem, eundem primo jam innotuiſſe *Leibnitio*, qui & hoc nomen impoſuit, & de eo per literas cum *Hugenio* diſceptavit, ſed non diffitetur quod eum *Bernoullius* primus publice adhibuerit, cum ipſi cognitum fuiſſe ignoraret. Poteram producere atque monſtrare Tibi, Vir clariſſime, excerpta quarundam epiſtolarum jam olim inter *Bernoullium* & Geometras quosdam commutatarum, quæ dictis his fidem conciliaſſent: ſed ne in molem nimiam excreſcant hæ litteræ, confiſusque cauſæ bonæ apud Te judicem æquiſſimum fidem habituræ, reliquum, quod ſupereſt, temporis ſpatium amoliendis a *Bernoullio* frivolis accuſationibus & impactionibus impendam, quibus eum oneravit Anglus quidam, qui, ut noſti, ſe pro *Newtono* crucifigi pateretur, & cui indifferens eſt omnia, quæ ab idolo ſuo proveniunt, tam mala, quam bona acerrime propugnare.

Iſte igitur in reſponſione ſua (quam potius invectivam dixeris) inſerta Diario Gallico litterario Hagienſi Menſ. Jul. & Aug. p. 320, arrepta occaſione præter omnem neceſſitatem *Bernoullium* perſtringit, variaque ipſi imputat, ad quæ me reponere oportet ſequentia. In ſcripto illo volante, quod ſub forma epiſtolæ d. 29 Julii 1713 in lucem prodiit, aſſeritur p. 3, *Newtonum* rationem veram capiendi fluxiones fluxionum, vel rectam methodum differentiandi differentalia nondum cognitam ha-

habuiſſe, cum ſcriberet ſua Principia Philoſophiæ naturalis mathematica, additurque per parentheſin, *hoc ab eminente quodam Mathematico dudum notatum eſſe*. Jam vero Anglus iſte conjectat, quod per hunc Mathematicum celeberrimus noſter *Bernoullius* ſit intelligendus idque ex eo, quod in Actis A. 1713 p. 93, 94 *Nevvtono* imputaverit dediſſe modum differentiandi differentialia vitioſum per ſeriem quandam, cujus termini tertius, quartus, quintus &c. ab ipſo ſumti ſint perperam pro differentiali ſecundo, tertio, quarto &c. Hinc ergo Antagoniſta audax anſam capit ſuum in *Bernoullium* ſtringendi calamum, quo vero jure, quo ſucceſſu, nunc patebit. Obſervavit olim *Bernoullius* errorem, quem *Nevvtonus* commiſit in Princip. Phil. mathem. edit. prim. p. 265, & quibusdam aliis in locis, ubi nempe aggreſſus eſt determinare rationem gravitatis ad reſiſtentiam in corporibus datam lineam deſcribentibus, quam proportionem a *Nevvtono* traditam cum deprehendiſſet erroneam & a ſua diverſam, ejus mentionem fecit in ſuo ſchediaſmate, quod de hac materia aliisque huc ſpectantibus publicavit in Actis A. 1713 menſ. Febr. & Mart. nec aliter poterat, quam monere lectorem ſuum lapſus *Nevvtoniani*, ne ſi ipſe animadverſurus fuiſſet diſcrepantiam inter *Nevvtonianam* regulam & *Bernoullianam*, ille Viri ſummi autoritate motus vitium in regula ſua latere præcipitanter judicaret: interim monuit de errore omni qua potuit civilitate & veluti in tranſitu, adeo ut mirer, Antagoniſtam dicere auſum, *quod hoc ſchediaſma in Actis publicaverit eum tantum in finem, ut hunc errorem* Nevvtoni *propalaret & toti mundo patefaceret*. Vid. Diarium Hagienſe l. c. p. 345. Quaſi nempe nihil aliud in eo egiſſet, quam quod errores alterius notaſſet: quod quam falſum ſit judicent illi, qui virum ad abſtruſa & abdita detegenda natum ab hoc more criticum agendi alieniſſimum norunt, & qui in illo ſpecimine multa nova eademque præclara invenerunt & laudarunt. Sufficiebat equidem errorem *Nevvtoni* animadvertiſſe ex eo ſolo, quod ipſius regula abluderet a vera, quam demonſtraverat *Bernoullius*, ipſeque *Nevvtonus* poſtea monitus agnovit: poterat itaque nuda erroris detectione acquieſcere *Bernoullius*, eumque in Actis ſimpliciter commemorare.

 Enim-

Digitized by Google

Enimvero agnatus ipſius *Nicolaus*, cui lapſum *Nevvtoni* indicaverat, curioſus ex quo fonte originem traxiſſet, examinavit totam ſolutionem prop. 10, quæ in prima editione p. 260 Princip. Phil. extat, retulitque paulo poſt, ſibi videri fontem erroris conſiſtere in non recto uſu ſeriei, quam *Nevvtonus* ibidem p. 263 adhibet, pro ſumendis differentiis ulteriorum graduum, cujus nempe ſeriei, quæ per evolutionem vel extractionem radicis applicatam curvæ exprimentis emergit, terminus tertius ex mente *Nevvtoni* exhibeat differentiam applicatæ ſecundam, terminus quartus differentiam ejusdem tertiam & ita deinceps. Deceptus namque videbatur *Nevvtonus* ſucceſſu duorum primorum terminorum, dum forte putavit, quemadmodum primus ſeriei terminus exponit applicatam ipſam, ſeu ejus differentiam nullanam, & ſecundus ſeriei terminus dat applicatæ differentiam primam, ita tertium ſeriei terminum dare differentiam ſecundam, quartum terminum differentiam tertiam & ita porro. Hæc cum vidiſſet *J. Bernoullius* probabilitate minime carere, nullam habebat rationem dubitandi, quin in hoc ipſo ceſpitaverit *Nevvtonus:* in qua opinione eo magis confirmabatur, videns poſtea, *Nevvtonum* alio in loco aperte eandem hanc ſententiam falſam foviſſe de ſumendis terminis ſeriei pro differentiis differentiarum. Inſpice modo, ſi lubet, ejus Tractatum de quadratura curvarum, invenies ab initio Scholii, quod in fine ſubnectitur, hæc verba: „ Quantitatum fluentium fluxiones eſſe primas, „ſecundas, tertias, quartas aliasque, diximus ſupra. Hæ fluxio- „nes ſunt ut termini ſerierum infinitarum convergentium. Ut ſi „z^n ſit quantitas fluens & fluendo evadat $(z+o)^n$, deinde reſol- „vatur in ſeriem convergentem $z^n + noz^{n-1} + \frac{nn-n}{2} o^2 z^{n-2} +$ „$\frac{n^3-3n^2+2n}{6} o^3 z^{n-3}$ &c. terminus primus hujus ſeriei z^n, erit „quantitas illa fluens; ſecundus noz^{n-1} erit ejus incrementum „primum ſeu differentia prima, cui naſcenti proportionalis eſt „ejus fluxio prima, tertius $\frac{nn-n}{2} o^2 z^{n-2}$ erit ejus *incrementum* „*ſecundum* ſeu *differentia ſecunda*, cui naſcenti proportionalis eſt

eſt ejus fluxio ſecunda; quartus $\frac{n^3-3n^2+2n o^3 z^{n-3}}{6}$ erit ejus" *incrementum* tertium ſeu *differentia tertia*, cui naſcenti fluxio" tertia proportionalis, & ſic deinceps in infinitum." Ergo diſertis verbis *Nevvtonus* affirmat, terminum tertium eſſe incrementum ſecundum ſeu differentiam ſecundam & terminum quartum eſſe incrementum tertium ſeu differentiam tertiam: interim vera differentiandi methodus, quam *nunc* Nevvtoniani admittunt, docet, quod illius ſeriei terminus tertius ſit tantum ſubduplum incrementi ſecundi ſeu differentiæ ſecundæ, & quartus terminus tantum ſubſextuplum incrementi tertii ſeu differentiæ tertiæ. Sciendum autem, tres quatuorve jam diverſas editiones hujus Tractatus de quadraturis in lucem prodiiſſe, in quibus omnibus hic locus citatus iisdem verbis & ſine ulla mutatione expreſſus conſpicitur, adeo ut nec *Nevvtonus* ipſe, ſub cujus auſpiciis & reviſione iteratæ hæ impreſſiones prodierunt, nec ullus alius ex ejus promachis tam perſpicax fuerit, qui ibi latentem inveniſſet errorem typographicum. Sed audi, Vir nobiliſſime, quid poſtea factum. Scilicet Agnatus *Bernoullii* ante aliquot annos, ut noſti, apud Anglos agens monſtravit *Nevvtono* hunc locum pro argumento valiturum, quod error ipſius circa rationem reſiſtentiæ ad gravitatem commiſſus ex eo ortus fuerit, quod terminos ſuæ ſeriei convergentis p. 263 pro differentiis ulterioribus & ſpeciatim terminum tertium pro differentia ſecunda applicatæ perperam ſumſiſſet. Hujus argumenti vis cum facile eludi non poſſet, ſurgit nunc Antagoniſta, qui lynceus ſatis eſt, ut in verbis Nevvtonianis ex tractatu de quadraturis citatis primus perſpiciat, vel ſomniet potius, a typotheta fuiſſe erratum. Itaque in omnes ſe vertit partes torquetque ſe ceu mus in pice, ut lectori probet, lapſum hunc faciliime committi potuiſſe a typotheta, etſi qui factum ſit, quod error toties recuſus non fuerit animadverſus, excuſare non curet. Interim videamus paulo propius, qua arte Antagoniſta incruſtare conetur commentum ſuum de vitio typographico & qua correctione eidem mederi ſe ſperet. P. 347 & 348 Diar. Litter. ita magiſtraliter intonat Antagoniſta: *Dans la lettre*, inquit . . . . *laquelle eſt imprimée dans le Commercium,*

il

je fis voir que les termes de la Suite convergente ont toujours une certaine proportion aux differences correſpondantes, & par conſequent, que ces termes avec le coëfficient o ſousentendu, pour les rendre infiniment petits, peuvent deſigner tres juſtement les differences des quantités, quand il ne s'agit que de conſiderer des proportions: Mr. Nevvton a auſſi fait voir la meme choſe a la fin de ſon traité des quadratures, mais il s'y eſt gliſſé une erreur dans l'imprimé, le mot ut *ayant eté mis d'abord & enſuite oublié.* Ergo ſi antagoniſtæ credimus, culpa eſt typographi, qui particulam *ut* omiſit. Id vero credat Judæus Apella, non ego: fictio enim eſt tam craſſa tamque palpabilis, ut etiam imperitioribus vix illudere poſſit. Neſcio ſane, annon longe melius honori ſummi *Nevvtoni* conſuluiſſet, ſi hic ſcapham ſcapham vocaſſet, confitendo rotunde, *Nevvtonum* ipſum aliquid humani paſſum & per inadvertentiam lapſum eſſe, quam quod ridicula adeo & ab omni veriſimilitudine aliena excuſatione culpam in typographum rejicere voluerit. Quod enim hæc excuſatio ne umbram quidem veriſimilitudinis habeat, vel hinc colligere eſt, quia particula illa *ut* non ſemel tantum omiſſa eſſe debuiſſet, tum (quod maxime arguit effictam excuſationem) quia in iteratis editionibus omisſio illa iterata ſubterfugere debuiſſet correctoris ſorteque ipſius *Nevvtoni* revidentis curam. Hoc num probabile ſit, judicent alii. Sed & ridicula eſt excuſatio taliſque videbitur, quicunque eam attente conferet cum verbis ipſis Nevvtonianis. Nam ſi ea ad mentem excuſatoris corrigere velimus, ſenſum fundent prorſus puerilem & tanto Viro indignum, adeo ut inſertio particulæ *ut* magis deformet quam emendet, potiusque infarciat inutile quam ut ſuppleat defectum. Immo forte a falſo in falſius dejicere poteſt lectorem talis infarctio. Quid enim ſi legendum eſſet, *tertius terminus* $\frac{nn-n}{2}o^2z^{n-2}$ *erit UT ejus incrementum ſecundum & quartus terminus* $\frac{n^3-3n^2+2n}{6}o^3z^{n-3}$ *erit UT incrementum tertium*; quid, inquam, annon Lector putaret, per particulam *ut* eandem utrobique proportionem indigitari? Hoc quippe ſenſus naturalis requirit, quaſi nempe *Nevvtonus* innuere voluiſ-

Digitized by Google

voluiſſet, tertium terminum eſſe ad incrementum ſecundum ſicut eſt quartus terminus ad incrementum tertium: id quod falſiſſimum. Minime itaque probabile eſt, *Nevvtonum*, qui alioquin accuratus adeo eſt in expreſſionibus ſuis, voluiſſe lectorem ſuum in ambiguitate relinquere, & quidem tunc cum clariſſime & maxime determinate loqui potuiſſet & dicendo tantum, *tertius terminus erit ſubduplum incrementi ſecundi & quartus terminus erit ſubſextuplum incrementi tertii*: id quod poſtea antagoniſta ipſe (perſpiciens interim veram *Leibnitii* differentiandi differentialia rationem) probe obſervavit, dum in Commercio epiſtolico p. 115 ab initio agens de eadem materia non contentus dicere, terminos illos tertium & quartum eſſe *ut* incrementa ſecundum & tertium; ſed meliora edoctus diſerte monet, priorem ex illis terminis eſſe dimidium incrementi ſecundi & alterum eſſe ſextantem incrementi tertii. Sed piget plura dicere de conficta iſta antagoniſtæ excuſatione, cum, quam detorta, quam coacta ſit, nemo non videat. Hoc unum adhuc addere liceat, antagoniſtam nimirum nimis quantum ſuffenum eſſe, ut credat, ſe ſolum ſapere ſeque rem habere cum talpis, quibus cum cœcutiant quidlibet pro quolibet obtrudi poteſt. Ut enim commentum ſuum de omiſſione particulæ *ut* plauſibilius reddat, pilulam iſtam inaurat his verbis: *le mot Ut ayant eté mis d'abord & enſuite oublié*, quaſi dicere vellet, *particula iſta*, *de qua hic agitur, cum initio appoſita ſit, nemo non videt illam poſtea omiſſam eſſe per incuriam typothetæ*. Sed parum emunctæ naris oportet eſſe, cui dolus iſte non ſuboleat, ubi enim illud *ut Nevvtonus* expreſſit, nempe in his verbis, *hæ fluxiones ſunt ut termini ſerierum infinitarum convergentium*, alio omnino reſpexit, nullamque per conſequens affinitatem habet illud *ut* hoc loco expreſſum cum altero, quod antagoniſta intrudere cupit in ſequentibus lineis. Legenti namque facile patet, *Nevvtonum* hic per fluxiones intelligere non ipſas differentias naſcentes, ſed tantum velocitates, quibus naſcuntur, quod utique ſequitur ex verbis hiſce *differentia prima, cui naſcenti proportionalis eſt fluxio prima*; adeo ut mirum non ſit *Nevvtonum* hic dixiſſe, *Fluxiones ſunt ut termini &c.* quia dicere non poterat, *velocitates ſunt lineæ*, ſed *velocitates ſunt*

Digitized by Google

ut linea. Tantum igitur abeſt, ex eo, quod illud *ut* initio poſitum ſit, concludi poſſe, *Nevvtonum* idem illud in ſequentibus quoque in MSC. ſuo aut ſaltem in mente habuiſſe, ut potius contrarium ſequatur. Nam ex eo ipſo, quod putavit differentias exprimi per terminos ſeriei convergentis, differentiis vero ipſis cum ſint proportionales fluxiones, naturali deductione, licet ex falſo principio, collegit *fluxiones eſſe ut terminos ſerierum*. Faceſſat ergo tandem antagoniſta cum miſero ſuo incruſtamento.

Pergo nunc ad alterum argumentum ſpecioſius revera, ſed nihil magis ſolidum, quo antagoniſta probare nititur, *Nevvtono* tunc, cum Principia Philoſ. math. ſcriberet, jam innotuiſſe veram methodum differentiandi differentialia. Dixerat *Bernoullius* cum Agnato ſuo, errorem *Nevvtoni* circa determinationem reſiſtentiæ ad gravitatem ex eo veniſſe, quod *Nevvtonus* in Princip. p. 263 in ſerie quæ exprimit DG, terminum quemlibet ſumat pro aliqua ejus differentiali tanti gradus, quantæ dimenſionis exiſtit littera o in ipſo termino: quod aſſertum ſuum confirmari oſtenderunt per id, quod ſupra ex Tractatu de quadraturis excerpſimus: unde factum ut, quemadmodum ibi $\frac{no}{e}$ ſumitur pro differentia prima ipſius DG & recte quidem, ita quoque ſecundum terminum $\frac{n^2o^2}{2e^3}$ pro ſecunda differentia & tertium $\frac{an^2o^3}{2e^5}$ pro tertia differentia ſumi debere falſo putaret. Nunc vero antagoniſta in Diario litterario p. 344 probaturus, *Nevvtonum* ſumſiſſe differentiam ſecundam æqualem ipſi $\frac{n^2o^2}{e^3}$, non vero æqualem ipſi $\frac{n^2o^2}{2e^3}$, demonſtrationem aliquam adornat, qua evincitur, differentiam ſecundam eſſe = FG + kl, citatque Princ. p. 264, ubi *Nevvtonus* recte ponit FG + kl æqualem duplo termini tertii, hoc eſt, ipſi $\frac{n^2o^2}{e^3}$. Sed nihil hoc juvat antagoniſtam, niſi ſimul probet, *Nevvtonum* jam tum temporis, cum Principia ſua ſcriberet, ſciviſſe vel animadvertiſſe, quod FG + kl ſit ſecunda dif-

differentia ipſius DG, ſiquidem ex hactenus dictis ſatis ſuperque conſtet, illum ſumſiſſe FG+kl pro duplo differentiæ ſecundæ. Quare quilibet videt, hoc alterum argumentum antagoniſtæ eſſe puram putam petitionem principii. Hæc, ni fallor, jam ſufficere poſſunt ad probandum, *Bernoullium* cum Agnato ſuo ſonticam graviſſimamque habuiſſe cauſam referendi originem erroris *Nevvtoniani* ad perverſum, quem fecit, uſum Serierum convergentium. Ceterum vero ſi perrexerit antagoniſta aliter interpretari mentem *Nevvtoni*, quam ipſius verba diſerta volunt, per me licebit; ſed quia *Bernoullius* non tenebatur divinare mentem male expreſſam, ſive *Nevvtoni* ipſius, ſive typographi culpa, non video quo jure antagoniſta audeat p. 345 Diar. litt. *Bernoullium* poſtulare erroris ex culpa alterius enati, eumque vocare errorem enormem & *generis omnino extraordinarii*. Verum ſi dicendum, quod res eſt, ex eo *Bernoullio* crimen facit antagoniſta, quod viderit detexeritque errorem *Nevvtoni* de male determinata reſiſtentia. Deprehendit aliquid ſiniſtri in viro, quem tanquam idolum adorat, quemque infallibilem putat. Debebat venerabundus diſſimulare & ſilentio premere. Hoc autem non fecit: hinc illæ lachrymæ! *cur aliquid vidit? Cur lumina conſcia fecit?* Quis ergo miretur, ſi tanti ſceleris reus condemnetur ibidem ab antagoniſta ad deprecationem publicam delicti & ad confeſſionem erroris, quem alius commiſit. Nec interim auſit quiſpiam ſciſcitari, cur *Bernoullio* non tribuat juſtitiam *Nevvtonus*, qui ab Agnato ipſius in Anglia degente erroris commonitus in nova operis ſui editione eum poſtea correxit, nulla interim facta mentione nec Detectoris, nec Monitoris. Sed hoc nihil novi eſt in quibusdam Anglis, qui ſibi ſolis licere putant aliorum inventa tanquam ſua impune uſurpare, quando ipſi Hominesque Deosque invocant, ubi vident, vel ſaltem videre arbitrantur, extraneos in ſuorum inventa manus inferre. Exempla ſunt quorundam ut *Cheynæi*, *Des Hayes*, *Taylori* aliorumque, qui paſſim inventis *Bernoullii* ſunt uſi alieniſque, vel nulla prorſus facta mentione Autoris, vel eum in præfatione tantum ambigue nominantes, ita ut, quid proprie ad ipſum pertineat, ex ipſo contextu non appareat. Id quod inprimis obſervare eſt in *Des*

Digitized by Google

Hayes, qui certe maximam libri ſui partem ex *Bernoullianis* compilavit, quæ fere de verbo ad verbum in vernaculam ſuam linguam tranſtulit, unde vero ea deſcripſerit, altum ſervat ſilentium, niſi quando *Nevvtoniana* refert, tunc enim inventoris nomen frequentiſſime occurrit.

Propero ad alia. Audet antagoniſta in Diar. Litt. p. 346 inſinuare, *Bernoullium* de ſeriebus convergentibus dixiſſe, quod ſint erroneæ. Ego vero hoc nego & pernego: ſcit enim *Bernoullius*, has ſeries eſſe veras & exhibere id, quod exhibere debent, nempe valorem quantitatis irrationalis in ſeriem expanſæ: ſed id dixit, quod etiam ego dico, incautum ſcilicet abuſu earum ſerierum facile in errorem abduci poſſe, ut certe ipſi *Nevvtono* contigiſſe ante oſtendimus. De cetero non apparet, quid iſtis ſeriebus opus nunc ſit, poſtquam calculus integralis una cum differentiali invaluit, per quem brevius, commodius & jucundius conſequimur, quicquid per ſeries illas obtinetur, & multo plura. Deinde non capio, quid moverit antagoniſtam ad ſibi perſuadendum, *Bernoullium* non bene intellexiſſe, ut ibidem ait, doctrinam ſerierum convergentium, cum tamen in hac materia ſerierum cujuscunque generis, ſi quisquam alius, magnam olim temporis ſui partem triverit, ut colligere eſt ex illis, quæ paſſim hac de re publicavit. Immo & ipſiſſimam ſeriem per extractionem radicis continuatam more *Nevvtoni* inventam, ipſe proprio Marte, antequam id a *Nevvtono* præſtitum ſciret, per methodum aliam & a *Nevvtoniana* diverſiſſimam eruit, & jam tum communicavit cum Illuſtri *Hoſpitalio*, cum vix Geometriam ſublimiorem delibare per unum alterumve annum incepiſſet.

Sed revertar venia Tua, Vir celeb. ad conſiderationem reſiſtentiæ determinandæ corporum curvas datas deſcribentium, ubi vidimus hallucinatum eſſe *Nevvtonum*, qui ergo monitus, ut in altera editione Princip. Phil. ſuum errorem corrigeret, ſubſtituit chartis diſſectis (locum enim illum, ubi error extabat, typi jam ſuperaverant, cum ſe erraſſe reſciſceret) aliquot folia, in quæ conjecerat novum canonem pro invenienda ratione reſiſtentiæ ad gravitatem. Ut igitur videat antagoniſta, me veritatem venerari, quomodo & quandocunque ſe mihi offert,

me-

Digitized by Google

meque paratum eſſe unicuique ſuum tribuere, candide & ingenue confiteor, quod novus iſte canon *Nevvtoni* ſit verus, bonus & elegans; an autem tantæ ſit præciſionis & tam extraordinariæ elegantiæ, ceu antagoniſta pro more ſuo exaggerat, ut ideo alter ille, quem *Bernoullius* in Actis A. 1713 p. 121 dederat, ei præferri non mereatur, judicet peritus lector, qui legerit utrumque, ac tum obſervaverit, quod is, quem *Nevvtonus* dedit, porrigatur duntaxat ad caſus particulares, ubi nimirum gravitas ſupponitur uniformis & nonniſi ſecundum directiones ad horizontem perpendiculares; quod autem canon, quem *Bernoullius* exhibuit loco citato, ſit multo & clarior, & univerſalior, utpote ſeſe extendens ad gravitatem non ſolum uniformem, ſed quacunque lege variabilem, & non tantum ad horizontem perpendiculariter, ſed ad quodcunque datum punctum tendentem. Teſtem produco celeberrimum *Hermannum*, qui in ſuis ad *Bernoullium* litteris d. 14 Jun. 1715 hæc habet: *Ceterum*, inquit, *ſubſtituta (a Nevvtono) erronea methodus inveniendi denſitatem medii, ut mobile datam curvam in hoc medio reſiſtente deſcribere poſſit, etſi bona videtur, nulla tamen ratione cum tua idem multoque plura præſtante comparari meretur, quod quidem* Nevvtonus *ipſe fateri quodammodo videtur, quod colligo ex illis, quæ* Cl. Varignonius *in poſtremis ſuis mihi ſcribit* " Mr. Moivre *me mande auſſi, que* Mr. Nevvton *eſt charmé de la ſolution, que* Mr. Bernoulli *l'oncle a donnée de ſon probleme.* Quod *Hermannus* a *Varignonio* ſibi ſcriptum refert, hic idem quoque *Bernoullio* ſcripſit. Immo & Cl. *Moivreus*, egregius ſane Geometra apud Anglos, judicium *Nevvtoni* de ſolutione *Bernoullii* cum ipſo communicans his utitur verbis in litteris ſuis ad eum exaratis d. 28 Jun. 1714: *j'ai vu, inquit, Mr. Nevvton, qui m'a dit, qu'il avoit lu avec beaucoup de plaiſir vôtre methode de reſoudre le probleme de la reſiſtance, il vous rend juſtice en Homme, qui n'eſt nullement offenſé, il dit qu'elle eſt admirablement belle, & meme qu'elle eſt commode pour des expreſſions finies.* Ex quibus fere colligere licet, antagoniſtam partes *Nevvtoni* tueri ultra quam *Nevvtono* gratum eſt, & non ex veritatis amore, ſed *ex præpoſtero in gentem ſuam ſtudio.* An autem deceat virum cordatum omnia, ſive bona, ſive mala,

 mor-

Digitized by Google

mordicus defendere, ideo tantum, quia ad populares ſuos ſpectant; de eo judicent ſaniores. Antagoniſta, qui minaciter adeo inſultat Viris de re mathematica longe meritiſſimis, deberet ipſe prius *ſua oſtendere inventa*, quibus divinam hanc ſcientiam locupletaverit, quam ſe de aliorum inventis in judicem erigere ſuſtineat. Sed nihil hactenus ab eo videre mihi contigit, quam quod ex aliis & quidem ex ipſo *Nevvtono* exſcripſit, & ſæpe quidem ſuppreſſis Autorum nominibus compilavit. Scilicet ipſi licent, quæ in aliis tam indignabundus carpere conatur! Ceterum neſcio an a ſuis laudem, quam forte expectabit, ſit reportaturus, eo quod *Nevvtonum*, Virum ſane magnum, ſed hominem tamen, ſupra humanam ſortem evehere conetur, quaſi errare, quod humanum eſt, ab eo alienum eſſet, aut, ſicubi erraverit, id ab alio notari nefas eſſet atque profanum? quo immodico placendi ſtudio vereor ne ſe ſuſpectæ fidei reddat antagoniſta apud modeſtiores Anglos tunc quoque, cum in *Nevvtonum* juſtiſſima & meritiſſima congerit encomia, quando ſcilicet vident, illum ad omnia defendenda æque paratum & promptum exiſtere tanquam ex tripode dicta. Sciat enim velim, præter illum jam notatum errorem de proportione reſiſtentiæ ad gravitatem male determinata, forte & alios monſtrari poſſe in Princip. Math. qui emendari merentur, quosque, ſi *Bernoullius* tanto, ut putat antagoniſta, carpendi pruritu laboraret, quin propalaſſet nihil impediviſſet. Liceat hic exempli loco commemorare eum, cujus jam meminit Cl. *Hermannus* in Phoronomia ſua nuper edita p. 394, ubi optime notat *Nevvtonum* paralogizantem in Princip. Math. p. 330 primæ edit. quando demonſtrare conatur, *aquam ea cum velocitate erumpere ex vaſis, qua motu ſuo in altum converſo ad dimidiam altitudinem aquæ ſupra foramen evehi poſſit*, quam autem propoſitionem (cujus falſitatem ipſa quoque experientia refellit) in altera editione omiſit, ſed nullam aliam ſubſtituit pro vera velocitate aquæ erumpentis demonſtranda, quæ tanta eſt præciſe, quantam acquireret corpus grave caſu accelerato ex altitudine aquæ ſupra foramen: cujus rei veritatem ab aliis ſine demonſtratione aſſumtam *Bernoullius* primus apodictice demonſtravit, ſuamque demonſtrationem

ante

ante quatuor circiter annos Cl. *Hermanno* ex Italia reduci & Baſilea transeunti Francofurtum expoſuit, cujus vero poſtea oblitus exiſtimavit, ſe primum eſſe demonſtratorem principii illius hydraulici. Vid. Phoron. p. 393. Sed cum nuper per litteras ei refricuiſſet memoriam, ſuamque demonſtrationem de novo expoſuiſſet, recordatus eſt, verum eſſe quod dixi, promiſitque pro candore ſuo hoc publice agnoſcere & ſimul demonſtrationem illam *Bernoullianam* in lucem edere. Interim non eſt cur credat antagoniſta, alterum hunc errorem *Nevvtoni* eo nunc fine adduci, ut ejus exiſtimationem elevare velim, ſed quemadmodum eum cum aliis quibusdam a ſe obſervatis diu diſſimulavit *Bernoullius*, nec a me in apricum foret prolatus niſi hoc ante me feciſſet Cl. *Hermannus*.

Patere, Vir Nobiliſſime, ut paucis adhuc reprimam inſultus antagoniſtæ, quibus aggreſſus eſt ſolutionem *Bernoullianam* problematis inverſi virium centralium publicatam in Comment. Acad. Reg. Scient. Paris. A. 1710, p. 521 edit. Pariſ. usque adeo enim *Bernoullium* perſequitur, ut nusquam & ne poſt altare quidem tutus ſit, tanta ſcilicet eſt profanatio tamque inexpiabile crimen aliquid contra *Nevvtonum* tanquam ſacratiſſimum caput muſſitaſſe. Nova illa aggreſſio antagoniſtæ extat in Transact. Londin. Menſ. Septemb. 1714 n. 340, ſed demum publicata anno ſuperiori 1715. Scriptum ipſum, quod ad me non pervenit, non vidi; ſed quantum video ex eo, quod inde excerptum, mihique transmiſſum eſt, nullius quidem erroris *Bernoullium* arguit antagoniſta; ſed tota ejus accuſatio ad hæc tria redit capita, 1. quod lemma more ipſius demonſtratum p. 524 in Comment. Acad. Scient. nihil aliud ſit quam ipſa *Nevvtoni* Propoſ. 40 Princip. math. p. 125 edit. primæ, & demoſtrationem ejus ab ipſo traditam eſſe ſimpliciorem *Bernoulliana*; 2. quod male egerit *Bernoullius*, quando *Nevvtono* imputavit, eum ſupponere ſine demonſtratione curvas a *tali vi* deſcriptas eſſe ſectiones conicas, nempe vi centripeta exiſtente reciproce proportionali quadrato diſtantiæ: item quod in *Bernoullium* retorqueri poſſit, ipſum etiam non poſſediſſe demonſtrationes plurium propoſitionum, quas indemonſtratas paſſim publicaverit; 3. quod *Bernoulliana* demon-

demonſtratio hujus propoſitionis inverſæ ſit admodum intricata; quod vero in nova Principiorum editione facilior multo & magis clara licet tribus verbis extet. Ad quæ repono: 1. Lemma illud idem eſſe cum prop. 40 *Nevvtoni* non diſſimulavit *Bernoullius*, ſed contra aperte dixit p. 524 Comment. Pariſ. ejus demonſtrationem reperiri in *Nevvtoni* Princip. Math. p. 125, adeo ut huic Viro ſuum tribuerit. Quid ergo hac in parte reprehendat antagoniſta & quo jure, non capio. Sed decretorie pronunciare, ut antagoniſta facit, *Nevvtonianam* demonſtrationem eſſe *Bernoulliana* ſimpliciorem, non eſt de officio antagoniſtæ partium ſtudio nimis addicti: atque nemo ſanus eum pro judice idoneo agnoſcet. Sit judicium penes alios, qui nondum jurarunt in vexillum *Nevvtoni*. 2. Inepte ageret, qui vellet cauſari, *Bernoullium* demonſtrationes non poſſediſſe plurium propoſitionum ab ipſo ſine demonſtrationibus publicatarum. Quis enim inveniet & publicabit aliquam veritatem, cujus demonſtrationem non habeat? niſi id fiat forte per inſpirationem vel revelationem ſupernaturalem. Tale quid autem in rebus mathematicis de *Bernoullio* vel de aliis cogitare aut ſuſpicari ridiculum eſſet. Sed multo magis ridiculum eſt, quod antagoniſta tam diſparem retorſionem faciat, quæ ne γρῦ quidem ſimilitudinis habeat cum eo, quod in *Nevvtono* modeſte reprehendit *Bernoullius*. Nam, quod probe notandum, nec poſtea ſecus interpretandum, minime reprehendit, quod ſtatuerit *Nevvtonus* propoſitionem inverſam virium centralium, quæ quadratis diſtantiarum a centro reciproce proportionantur, neque quod nullam hujus propoſitionis inverſæ demonſtrationem dederit. Poterat quippe ſimpliciter hoc affirmare & aſſerere, ſe habere demonſtrationem propoſitionis hujus inverſæ, qua nempe ſolas ſectiones conicas ſatisfacere probatur: tantum certe tribuiſſet candori *Nevvtoni* æquus meritorum Viri ſummi judex *Bernoullius*, ut ipſius verbis ſine ullo ſcrupulo fidem habiturus fuiſſet. Attendat igitur antagoniſta, quid ſit illud, quod fuerit improbatum, certe non ipſa aſſertio, ſed forma aſſertionis, dum ex demonſtratione propoſitionis directæ colligendam eſſe contendit eadem opera propoſitionem inverſam, *Ex tribus*, inquit p. 55

Princ.

Digitized by Google

Princ. edit. prim. *noviſſimis propoſitionibus conſequens eſt &c.* Quid quæſo ſibi vult *τὸ conſequens eſt?* Annon idem eſt ac ſi dixiſſet, ex propoſitionibus iſtis *directis ultro fluunt inverſæ?* Porro p. 49 contra regulam bonæ converſionis colligit & concludit ſine demonſtratione his verbis, *Unde viciſſim, ſi vis ſit ut diſtantia* &c. Quod ſi hoc non in forma concluſionis protuliſſet, ſed ſimpliciter aſſeveraſſet, ſibi aliunde conſtare de veritate illius converſæ, hoc ſane, ut jam dixi, nemo improbaſſet. At vero hoc improbandum eſt, quod velit poſterioris veritatem ex prioris demonſtratione ſponte fluere, pateſcere, ſequi & colligi poſſe, utpote quod non majori jure ex eo concluditur, quam ſi quis vellet ex affectione, qua gaudet Spiralis logarithmica, qua nempe fit ut ad illam deſcribendam requiratur vis centripeta cubis diſtantiarum reciproce proportionalis, protinus concludere dicendo, *unde viciſſim ſi vis ſit reciproce ut cubus diſtantiæ, movebitur corpus in Spirali logarithmica:* nam nulla foret neceſſitas ſequelæ, quia eadem lege virium exiſtente moveri poſſet in ſpirali hyperbolica aliorumve generum curvis, ceu jam notum eſt. 3. Quod antagoniſta analyſin *Bernoullii*, ex qua patet veritas inverſi, nempe ſolas ſectiones conicas deſcribi poſſe per vim centripetam quadratis diſtantiarum reciproce proportionalem, intricatam & perplexam cauſetur, nihil, puto, *Bernoullium* movere debet. Quis enim neſcit, homini præjudiciis occupato & in fidem alterius mancipato, nec ſui juris amplius exiſtenti, omnia diſplicere, ſive pulchra ſint, ſive non, modo ſciat non provenire ab eo, cui ſe addixit. Audiamus potius judicium aliorum, qui harum rerum ſunt intelligentiſſimi & a partium ſtudio longe remoti. Inter eos nequaquam poſtremus eſt Celeb. *Varignonius*, Vir profundæ eruditionis & in Geometricis acutiſſimi ingenii. Ille in Comment. Pariſ. A. 1710 p. 533 analyſin iſtam verbis admodum honorificis extollit. Neque minus luculentum eſt teſtimonium, quod eidem tribuit in fine ſui ſcripti p. 543, ubi inter alia dicit "*la conſtruction, qu'il vient de donner de la courbe requiſe en ce cas & la maniere, dont il fait voir, que cette courbe doit toujours etre une ſection conique, ſont d'une ſagacité & d'une adreſſe, qui repondent a ce, qu'il en paroit dans tout*"

ce, qu'il a donné jusqu' ici au public. Sic igitur *Varignonius* longe melius vim percepit demonſtrationis *Bernoullianæ* quam antagoniſta percipere voluit, nimirum percepit quod aliquid altius quam nuda demonſtratio nominari mereatur, & quod ſit potius via analytica, qua *a priori* penetrari poteſt ad cognitionem omnium curvarum ſatisfacientium hypotheſi virium reciproce proportionalium quadratis diſtantiarum. An vero cum tali methodo in comparationem venire poſſit demonſtratio illa *Nevvtoniana* tribus, ut inquit antagoniſta, verbis extans in nova Princ. edit. aut an inde concludi poſſit, *Nevvtonum* reapſe habuiſſe methodum analyticam inveniendi omnes poſſibiles curvas, quæ datæ virium hypotheſi conveniant, antagoniſtæ non eſt judicare: ſed judicent alii, quorum non intereſt huic illive favere, & qui nil niſi veritatem ſectantur. Judicent quoque de inſipida illius exagitatione, qua proſequitur formulam *Bernoullianam* $dz = aacdx : \sqrt{(abx^4 - x^4)}\ \int (\phi dx - aaccxx)$, ideo tantum quia identitatem quandam deprehendit cum expreſſione *Nevvtoniana* prop. 41, quando inficete jocatur, *Bernoullianam* non magis a *Nevvtoniana* diſcrepare, quam verba Latinis literis expreſſa differunt ab iisdem verbis ſcriptis in Græcis characteribus. Judicent, inquam, annon vel ſola diverſitas, quæ maxima eſt inter utriusque notandi rationem, ſatis ſuperque indicet, *Bernoullium* ne cogitaſſe quidem de inſtituenda comparatione inter utramque formulam. Examinent etiam conſiderentque, quam brevi via quamque diverſa a *Nevvtoniana* inceſſerit *Bernoullius*, dicantque poſtea, an alius quispiam præter antagoniſtam ſibi perſuadere poſſit, meam formulam ex *Nevvtoniana* eſſe deſumtam. Hoc interim non temere dico, quod ſi antagoniſta non firmiora habet argumenta, quibus probet alium aliquem calculum ſuum mutuatum eſſe a *Nevvtono*, nobis fas erit credere, chimæram eſſe, quicquid argumentorum loco nobis obtrudere voluit. Ut enim hoc unum addam, etſi vel maxime formula *Bernoulliana* idem exprimat, quod *Nevvtoniana* (& qui poſſent in diverſum abire, niſi alterutra falſa eſſet?) nullam video conſequentiam, *Bernoullianam* ab illa eſſe mutuatam; quid enim impediat, quominus una eademque veritas per vias

toto

toto cœlo diverſas obtineatur, Antagoniſta nullam rationem allegabit.

FOEDERA, CONVENTIONES, LITERÆ &c. *accurante* THOMA RYMER.

Tomus XII.

Londini, per A. & J. Churchill, 1711, fol.
Alph. 9.

HIc Tomus acta publica ab A. Chr. 1475, qui fuit Eduardi IV regnantis XV, usque ad A. Chr. 1502, Henrici VII decimum ſeptimum, complectitur. Magnam Eduardus excitaverat expectationem ducto in Galliam exercitu. Sed Ludovicus XI data pecunia tempeſtatem diſpulit. Habemus hic (p. 14) mandata ab Eduardo Legatis ſuis data, & (p. 15 & 16,) inſtrumentum conventionis, qua Rex Angliæ acceptis 75000 aureis (*ſcutis auri*) reverſurum ſe cum ſuis promittit. Controverſiæ autem utriusque Regis arbitrio Archiepiſcopi Cantuarienſis, & Ducis Clarenciæ, nec non Archiepiſcopi Lugdunenſis & Comitis Duneſii permittuntur. Sequitur (p. 17) formula induciarum in VII annos, ad annum ſcilicet 1482, d. 29 Auguſti, poſt Solis occaſum. Conſtituuntur utrinque *conſervatores treugarum* ex primoribus nonnulli, qui *damnificantes* puniendi, & damna illata reparandi jus autoritatemque habeant. Hanc excipit fœdus (p. 19) inter utrumque Regem ſancitum, & (p. 20) exemplum literarum Ludovici XI, quibus promittit ſe quotannis, vita utriusque durante, 50000 aureos Eduardo ſoluturum. Cum Burgundica domo arcta huic Regi amicitia, firmata ſororis nuptiis, interceſſit. Vetera fœdera Maria & Maximilianus renovarunt 1480 (p. 123) in eorumque firmamentum matrimonium inter Philippum, Cadreleſii tum Comitem, & Annam Eduardi filiam, decretum, utque alterutri forte deficienti, alii ex utriusque familiæ liberis ſubſtituantur. (p. 128 & ſeq.) Cum Friſiis (p. 51) orientalis & occidentalis pagi incolis (*partium terræ Friſiæ de Hoſtergo & Weſtergo*) cum quibus antiquiſſima concordia nuper turbata fuerat, ſempiternæ amicitiæ fœdus percuſſum A. 1478, & mutua commeandi mercandique libertas utrique po-

pulo aſſerta. Cum Dano itidem turbæ quid aliquandiu fuit: ſed tentata mox mitiora conſilia, & A. 1480 Hamburgi priſcum fœdus in biennium prorogatum, (p. 119) ut interea amica ratione omnia diſſidiorum ſemina penitus tollantur. In formula prorogationis interdicit ſuis Angliæ Rex, ne in Islandiam niſi impetrata diſertis verbis a Chriſtierno facultate proficiſci audeant.

Breve infelicis pueri, *Eduardi V* regnum, nihil memorabile ſuppeditat.

Richardi III acta fere ad ſtabiliendum domi regnum, firmandumque exterorum amicitiis pertinent. Leguntur hic monimenta negociorum cum Regibus Hiſpaniæ, Galliæ & Scotiæ, & cum Duce Auſtriæ, & Britanniæ tractatorum. Mercatores Angli tum frequentiora in Italia negocia exercere, & præcipuam eorum ſedem Piſis ponere cœperant, quorum inſtitutum Rex probat, ac proprium iis judicem, Laurentium Strozzi, Mercatorem Florentinum, conſtituit, p. 207. Fecialium collegium in Anglia peculiari ratione conſtitutum eſſe conſtat. Pars jurium, quibus gaudent, atque inſtitutorum tribuuntur hic illis (p. 215) litteris Regiis ſub titulo *Incorporationis Heraldorum*.

Sub *Henrico VII* agitatum miſere Eboracenſium & Lancaſtrenſium factionibus regnum placide iterum conquievit. Habentur hic p. 281 induciæ cum Carolo VIII Galliæ Rege in triennium initæ A. 1485 d. 17 Januarii. Tres bullæ Pontificis p. 294, 297 & 313 ad diſpenſationem, confirmationemque matrimonii cum Eliſabetha datæ. Secunda jus Henrici in regnum, hæreditarium domus *Lancaſtrenſis* vocat, & novum inſuper titulum jure victoriæ, ac ex conſenſu ordinum Regni accepiſſe eum agnoſcit. Cum Maximiliano, filii tum tutelam gerente, renovata priſtina amicitia, arctius etiam fœdus A. 1490, *ad reprimendam Caroli dominandi libidinem* initum (p. 397 & 408) quo mutuam ſibi opem addicunt, ſi vel ipſi vel Anna Britanniæ Dux a Gallis invadatur: invitatique inter alios Caſtellæ Rex & Regina ac Rex Daciæ. Dabant mox materiem executioni Caroli adverſus Annam Britannam conatus. Sed illos primum per Legatos infringere tentavit Henricus, ut ex datis illis mandatis (p. 435) intel-

telligimus. Sed conſtat nequicquam tentata fuiſſe amica remedia, & reperimus (p. 443) literas Maximiliani & Annæ *Regis ac Reginæ Romanorum*, quo titulo illa in pluribus monimentis utitur, requirentium Henrici auxilia. Datæ ſunt Rhedonibus (*Rennes*, male *Reimes*) A. 1491 d. 23. Maii. Anglo itaque bellum ex fœdere parandum erat, ad quod gerendum cives ſubſidium poſcit. Literæ d. 2 Julii præferunt, ac cauſam belli afferunt, quod Carolus Rex Franciæ non modo *regnum Franciæ, & Normanniæ Andegaviæ, Turonis & Aquitaniæ ducatus injuſte occupet*, ſed Angliæ ipſi jugum minitetur. Ipſe Rex in Galliam copias traduxit, cum paulo ante denuo legatos miſiſſet, quorum inſtructionem p. 481 legimus. Quoniam vero Maximilianus, quamvis maxima injuria affectus, erepta ſcilicet ſibi ſponſane dicam an conjuge, exercitum cogere, atque ut convenerat in Gallum ducere non potuerat, & hyems præterea inſtabat, ac difficilior Bononiæ obſidio videretur, quam initio crediderant, accepta 149000 libr. ſterl. ſumma, inducias in vitam utriusque Regis duraturas Gallis (p. 497) conceſſit. Recipit ibi Anglus, nullam ſe Maximiliano aut Philippo filio, ſi forte vim Gallo intulerint, opem laturum. Conſtituuntur utrinque pacis conſervatores, & decernitur, rogandum eſſe Papam, ut diris devoveat, quicunque prior fidem violaverit. Annuit Pontifex (p. 531) & multum ſpatii occupant formulæ ratihabitionis, quam ſinguli Galliæ ordines paci adjecerunt. Notum eſt ex hiſtoria Gallica, quanti Maximiliano & Carolo V conſtiterit, quod non æque cauti in faciendis cum Gallo fœderibus fuerint. Interea Anglorum cum Hiſpanis amicitia, a longo jam tempore utrinque quæſita, magis indies magisque effloruerat. Actum ſubinde de Catharina Arragonia Arthuro Walliæ Principi elocanda, & confecta tandem res A. 1500, cujus teſtes tabulæ exhibentur p. 741. Cum Rege Daniæ ac Sveciæ Johanne fœdus perpetuæ amicitiæ mutuæque commerciorum libertatis A. 1489 ictum (p. 374) & cum Portugallis renovatum fœdus, (p. 378) quod Richardus II cum Johanne notho 1387 pepigerat. Cum Scotis multa negotia fuerunt actitata. Sed auſpicatiſſimum Britannis fuit Margarethæ cum Jacobo connubium, unde Stuartorum poſtea in Angliam jus. Ta-

Digitized by Google

bulæ A. 1501. d. 24 Januarii confectæ p. 787 leguntur. Controverſia interdum cum Hanſeaticis Henrico fuit, cujus veſtigia, ſed levia, p. 441 & 651 deprehendimus. A. 1493 Rex Civi Veneto Johanni Cabotto filiisque ejus poteſtatem fecit ſub auſpiciis ſuis, quinque navibus Oceanum orientalem, occidentalem atque ſeptentrionalem obeundi, & quascunque terras infidelium occupandi, modo dominium, titulus & jurisdictio, ad Regem referatur (p. 595) quod quidem communi tum Chriſtianorum opinioni tribuendum, qui religionem ſibi ſuam in populos ab ea alienos jus aſſerere putabant.

MEMOIRS OF THE LIFE AND NEGOTIAtions of Sir Wil. Temple.

h. e.

COMMENTARII DE VITA ET LEGATIOnibus Gvilielmi Temple, Equitis Baronetti, una cum relatione de ſcriptis ejus.

Londini, apud W. Taylor, 1714, 8 maj.
Alph. 1 pl. 4.

IS fuit G. Templius, ſive publicam ſive privatam ejus vitam ſpectes, ut titulus ſtatim libri lectores invitet. Habemus Commentarios ejus & Epiſtolas, ſuntque multæ in Arlingtonianis, quæ ad intelligenda conſilia illius, & rerum quas tractavit ſeriem faciunt. Ex his fere ſua deſumſit, & eadem ſæpe verba retinuit novus ſcriptor, qui eo præcipue conſilio Templium in ſcenam videtur revocaſſe, ut civibus ſuis exprobraret, quod Gallorum & Romana ſacra profitentium conſiliis Europæ nuper cauſam, & poſtea regni quoque & Eccleſiæ ſalutem fere immolari paſſi fuerint. Eſt ſane de tempore, nunc ubi *illa* accidere, repetere animo, quibus initiis, quibusque auctoribus illa molimina cœperint, quæ jam tum in magnum verſura malum videns, ſemper præclarus civis averſatus eſt. Sed relinquimus illa penitius indolem mutationum, quæ ab exceſſu Caroli II in Anglia contigerunt, cognoſcere cupientibus, & hic privatæ tantum vitæ momenta præcipua annotabimus: ubi nollemus, Autori aut

Digitized by Google

aut propoſitum, aut ſubſidia prolixioris ſcriptionis defuiſſe. (p. 418) Quis enim, ubi Bruxellis, Aquisgrani, Hagæ, Neomagi ſumma cum gloria, & in ſummo civilis vitæ ſplendore verſantem Templium ſuſpexit, non cuperet illum in epicureo hortulo ſuo agentem, & liberale illud otium, quo negotiorum intervalla diſpungere ſolebat, intueri. Natus fuit Guilielmus in antiqua familia Templiorum, patre Johanne, rotulorum magiſtro, & ab intimis Hiberniæ conſiliis, qui Mariam Hammondam, clariſſimi Theologi ſororem, in matrimonio habuit. Adoleſcentiam ejus Academia Cantabrigienſis erudivit. Meliorem autem vitæ partem, quamque ipſe rebus gerendis maxime idoneam rebatur, ab anno ſcilicet ætatis 32 usque ad 52, in obeundis negotiis patriæ, reliquam in ſeceſſu egit. Prima quaſi prudentiæ in obeundis legationibus rudimenta dedit, cum A. 1665 ad Epiſcopum Monaſterienſem miſſus eſſet, belli adverſus Batavos ſocietatem apud Anglos affectantem, cum quo intra triduum fœderis tabulas confecit. Inde Bruxellis usque ad exitum A. 1667 Legati reſidentis munere functus, revocatusque inde in patriam, ſtatim ſub auſpiciis ſequentis anni extra ordinem ad Fœderatos Belgas ablegatus eſt. Compoſita enim interea erant Bredæ utriusque populi diſſidia & Gallica arma late per Flandriam victricia vehementem Anglis, a Gallorum partibus alienis, ſuſpicionem injecerant. Erit hæc ſine exemplo Legati Anglici gloria, quod tum pro conſervando Belgio Hiſpanico Generales Ordines induxerit, ut inconſultis provinciis fœdus cum Anglis pangerent, quæ res in ſummum illos diſcrimen dare poterat. Sollicitata deinde, ut in partem veniret, Suecia, tanta ſubito triplicis fœderis auctoritas fuit, ut Galli in pacis conditiones, quas Angli & Belgæ tulerant, Aquisgrani conſentirent, & Auſtriaci fœderi ſe tanquam validiſſimo adverſus Gallicam ambitionem munimento applicarent. Multum profuerat Templio in tam difficili negotio, ſumma ipſius cum Wittio neceſſitudo, animorumque & ſtudiorum conſpiratio, quanquam hunc propter Arauſionenſis cum Rege cognationem alienum ab illis partibus fore putarent. Plena ſunt Templii ſcripta ſummi Viri laudibus, quem tamen poſtea ob illud ſtudium haud minus gratum

Gui-

Gvilielmo Principi fuiſſe conſtat. Et tum quidem rebantur ſe egregie conſuluiſſe libertati Europæ, & in ſinu gaudebant, ſibiq; gratulabantur, cum converſa in Anglia ſcena, Gallica factio obtineret, revocatoque Templio conſiliorum illorum prorſus inſcio, bellum in Batavos frivolo prætextu ſumeretur, eodem tempore, quo Galliarum Rex omnem terra marique vim ad opprimendam Rempubl. converterat. Templius ſummo dolore affectus, quod ſic acta ejus in ludibrium reciderent, quæ in magnam expectationem omnem modo Europam erexerant, frigidisſimeque inſuper in aula habitus, in ſuburbanum ſuum ſeceſſit: ubi inter alia privatæ vitæ oblectamenta horticulturæ inprimis deditus fuit. Verum bellum, quod minime rationibus Anglorum, & ſtudiis populi conveniebat, durare diu non poterat, cumque ad pacem deſcendere opus haberet Rex, Templii iterum opera uti voluit. Qua Weſtmonaſterii 1674 facta, Hagam iterum miſſus eſt, ut belligerantibus pacis conſilia, Regisque in procuranda illa operam offerret. Non minus ſpecioſa hæc Legatio, ſed æque difficilis, in perpetuo illo conſiliorum in Anglia æſtu, qui ſæpe Regis animum in contraria extrema trahebat. Lectu digna eſt hæc commentariorum ejus pars. Pervicere tandem Gallicæ artes, ut fere in leges, quas ipſi propoſuerant, Neomagi pax iniretur, cui Templius haud ſane lætus ſubſcripſit. Deſtinabatur tum illi locus Secretarii ſtatus, quem *Coventrius* adhuc tenebat. Sed exulceratis adeo rebus ſtudioſe illum declinavit. Agitabant enim aulam & per vices partiebantur Eboracenſis ac Monumethenis factio, ac irreconciliabili inter Regem & concilium populi ſimultati materiam dederant. Implicitus nonnunquam tempeſtati & Templius fuit. Spargebatur non obſcuris auctoribus per inferiorem ſenatum calumnia, Templium multa diſſimulato nomine in publicum emiſiſſe, quæ & libertatem populi imminuerent, & Romanarum partium principiis faverent. Iamque in eo erat, ut dicam illi ſcriberent. Ea occaſione, amicorum hortatu, quæ olim ſparſim commentatus fuerat, in faſciculum colligi ſub Miſcellaneorum titulo paſſus eſt, ut melius criminationem dilueret. Nec favit, quantavis officia præſtaret, aura aulica. Vix pecuniam quæ propter factas in legationem impen-

penſas debebatur, extorquere ab ærarii præfectis poterat. Eleganter & prorſus philoſophice diſſerit ipſe Templius de ſecundo ſuo ſeceſſu. Pertæſus enim artium ſeculi, ad quas generoſum animum demittere dedignatus fuerat, & virtutem, quam ludibrio iis eſſe videbat, ſolam amplecti auſus, ineunte A. 1681 abdicata R. P. rus ſe contulit. Vixit usque ad A. 1700, quo ſeptuagenario major obiit. Ex uxore Dorothea Osbornia novies pater, unum tantum filium adultum vidit, filiam etiam ſuperſtitem reliquit. Et ille quidem cum multa promitteret, iamque Guilielmo Regi, cui ſui & Patris cauſa cariſſimus erat, a ſecretis belli eſſet, melancholicis animi affectionibus ſuccumbens 1689, præcipitem ſe in Tameſin dedit. Triſte fatum patri, & durum philoſophiæ in propria cauſa experimentum. Aſſentiri enim Stoicis, & ſapienti jus in propriam vitam tribuere ſolebat. Duas ex illo neptes heredes nominavit poſtea, ſed addita lege, ne Gallis nuberent, quanquam Gallica matre natæ eſſent: adeo infenſus erat illorum moribus. Soror ingenii laude celebratur, habuitque illam individuam vitæ per multos annos, perque itinera comitem, ac præcipuum ſenectutis ſuæ ſolatium. Quæ ſuperſunt ingenii illius monimenta, tantæ in hiſtoria ſui temporis ſunt auctoritatis, & in tanta gratia apud amatores Philoſophiæ, liberaliumque diſciplinarum, quarum ſummus admirator, & autor elegans fuit, ut recenſendo illa honorificentiſſimum meritiſſimo Viro tumulum ſtatuamus. Commentariorum, quos in filii gratiam ususque A. 1683 componere cœperat, de vita ſua prima pars lucem non vidit: ſecunda ab A. 1673 usque ad 1679, connivente illo 1689 impreſſa, & Gallice verſa eſt. Tertiam D. Jonathan Svvift, qui diu in familia ejus fuerat, poſt obitum autoris Londini 1709 edidit, qua res A. 1679 & 1680 continentur. Sed non vacabat ſuſpicione hæc editio, notavitque illam publice ſoror Templii, Giffardia (*the Lady Giffard.*) Epiſtolarum volumina duo, paulo poſt obitum ejus Svviftius publicavit, qui & tertium A. 1703 adjecit. Miſcellaneorum faſciculus primus qua occaſione 1679 editus fuerit, ſupra dictum eſt. Sequebatur ſecundus 1686; ubi quæ pro veterum ingeniorum gloria adverſus quosdam obtrectatores Gallos dixerat, Wottonum

in contraria ſtudia provocaverunt, & quoniam de epiſtolis Phalaridis & Æſopi fabulis magnifice admodum locutus fuerat, Cl. Bentlejum quoque exciverat. Ita in Anglia etiam bellum literarium pro principatu inter antiquitatis & ſui ſeculi ſtudioſos efferbuit. Et quantum quidem ad Templium, adornavit ille defenſionem, ſed non perfecit. Inſerta ſunt, quæ reliquit, tertio faſciculo A. 1701 edito. Obſervationes ſuas de fœderati Belgii Republica in priori ſeceſſu in ordinem primum redegit, editæque primum ſunt A. 1672 Anglice, ac poſt a Vicquefortio Gallice verſæ. Nota eſt libri laus, ſed meliorem a Viquefortio verſionem expectaſſes. Quæ ibi de variarum circa religionem opinionum tolerantia diſſerit, ita nonnullorum ex ſacro ordine teneras aures offenderunt, ut allegaret illa Epiſcopus Elienſis, cum impedire conaretur, ne ab Academia Cantabrigienſi ad concilium populi deputaretur. Introductionem in hiſtoriam Angliæ in lucem emiſit, cum Guilielmus in Jacobi locum ſuffectus fuiſſet, quem facile agnoverunt amici in Conqueſtore, cujus cauſa & ſucceſſus ſpecioſe repræſentabantur. Plura de omnibus hiſce operibus Lector in ipſo libro inveniet.

LA CRITIQUE DU THEATRE ANGLOIS, &c.

hoc eſt,

CENSURA SCENÆ ANGLICANÆ, AUTORE COLLIERIO, nunc Gallicum in ſermonem traducta.

Pariſiis, apud Nicolaum Simartum, 1715, 12.

Pl. 22.

C*Ollierius* Anglus, pluribus jam *ſcriptis moralibus* in patria nobilis, ſolo conſcientiæ inſtinctu ad conſcribendum hunc librum, ut ipſe in Præfatione ait, compulſus eſt, cum videlicet judicaret, nihil plus contuliſſe ad corrumpendum ſæculum noſtrum, quam ſpectacula ſcenica, quippe quæ non pravos ſolum mores, verum etiam religionis contemtum ſpectatoribus inſpirent. Septem autem capitibus comprehendit, quæ diſſerere in animo habuit, univerſa. Ac *primo* quidem obſcœnitatem

ver-

verborum theatri Anglici accuſat. Nolle ſe ait hujus rei exempla verbotenus adducere, cum tam fœda ſint, ut produci ea ſit nefas. Imo, ſi laſciviſſimæ beſtiæ loqui poſſent, turpiori, quam in theatris Angliæ, ſermone uſuras non eſſe, ſibi perſuaſit. Indicat tamen ex notiſſimis Anglorum comœdiis perſonas aliquot obſcœne locutas, ne vana & injuſta videri poſſet ipſius criminatio. Hinc declarat, quantum valeat verborum obſcœnitas ad animos corrumpendos & a virtute abducendos ad vitia. Animadvertit hinc, facetias obſcœnas eſſe proprias hominum de infima plebe, qui morum elegantiam non callentes, ſapientiæ penuria hiſce ſtercoribus ſeſe oblectent. Maxime eos inſectatur, qui ipſas feminas in ſcenam producant obſcœne loquentes, laudatque e contrario Euripidem, qui Phædram, inceſtæ Veneris œſtro percitam, tam caſto utentem ſermone induxerit, ut laudatiſſima quæpiam matrona loqui non poſſit caſtius. Deinceps theatrum Anglicum cum ethnicorum veterum Romæ & in Græcia theatris comparat, atque horum longe minorem, quam illorum, turpitudinem eſſe demonſtrat. In univerſis Plauti, quamvis non parum licentioſi, comœdiis non tantam ſcribit ineſſe fœditatem verborum, quanta ſæpe ſit in una ſcena Anglica, meretricesque Plautinas eſſe Veſtales virgines in comœdiis Londinenſibus: in Terentio autem unam tantummodo obſcœnam dicendi formulam ſibi occurriſſe. Qua tamen in re falſus videtur *Collierius*, qui & ipſe ſtatim fatetur, verborum turpium penuriam rerum turpitudine a Terentio compenſari. Ceterum Terentii comœdias etiam, quod ad artem & prudentiam poeticam attinet, Plautinis præfert. Illud ſingulare, & Anglis comicis erubeſcendum, animadvertit in Plauto, Terentio, imo & ipſo Ariſtophane, horum in comœdia nullam induci mulierem adulteram. Hinc judicium docte ſcienterque fert de tragœdiis Æſchyli *p. 41 ſq.* Sophoclis *p. 45 ſq.* Euripidis *p. 49* (Senecæ *p. 163*) item de comœdiis Ariſtophanis *p. 59 ſq. 70 ſqq. Capite ſecundo* impietatem Anglicani theatri perſtringit, quam duplicem eſſe ait, dum ibi & execrationes imprecationesque horribiles audiantur, & ſacræ Scripturæ religionisque totius abuſus turpiſſimus occurrat. Cumque nemo facile ulla re magis offen-

Digitized by Google

datur, quam contemtu ſui, exinde arbitrari nos jubet, quantum in eo more ſit peccatum, quippe cum frequentia jurandi manifeſto prodat contemtum atque neglectum divini Numinis. Omnium maxime in *Drydenio* notat literarum ſacrarum abuſum ac profanas religionisque violatrices voces. Rurſus facta comparatione oſtendit, talia multo rarius occurrere in ethnicorum Poetarum comœdiis. *Tertio capite* oſtendit, quam contemtim in comœdiis Anglicanis habeantur clerici: non tam ſacerdotes, quam ipſum munus eorum, turpiſſime traduci: idque religioni Chriſtianæ eſſe fraudi. Obſervavit, veteres Poetas (uno excepto Ariſtophane, quem atheum fuiſſe nihil dubitat,) de ſacerdotibus locutos eſſe ſumma cum reverentia. Hinc ſtatuit, allatisque affirmat rationibus, plane non oportere ſacerdotem produci in ſcenam, idque ob gravitatem perſonæ ſuæ. Ad ultimum digreſſione facta commonſtrat, omni ævo & apud omnes gentes ſacerdotibus maximum fuiſſe honorem habitum. *Capite quarto* docet, in theatro Anglico vitiis honorem præſtari, eaque poni in loco virtutibus debito: honeſtiſſimum quemque hominem, qui ibi prodeat in medium, eſſe atheum, blaſphematorem, libertinum, conſcientiæ virtutisque incurioſum: id quod exemplis comprobat. Hoc ad hominum mentes vitiis imbuendas quantum faciat, præclare Noſter ediſſerit, adjunctis ſummorum veteris & noſtri ævi virorum teſtimoniis, quod joci obſcœni ab omni poeſi debeant eſſe remoti. *Capite quinto* animadverſiones ſuas exhibet in quatuor Londini celebratiſſimas comœdias, *Amphitruonem*, *Regem Arthurum*, *Don Guichotum*, & *Relapſum*: quarum priores duæ *Drydenium* habent Autorem, tertia *Durfeium*, quartæ Autorem non indicat. Singulis autem his comœdiis ineſſe ea, quæ in ſuperioribus notavit capitibus, vitia, pluribus oſtendit. Sequitur novum *Caput*, (*p.309*) Collectionem ſiſtens judiciorum variorum de ſpectaculis. Omnia eo redeunt, poeſin dramaticam eſſe matrem vitiorum, corruptricem juventutis, ſcaturiginem malorum infinitorum. Partitus autem eſt illa judicia in tres claſſes. In prima comparent Autores ethnici, Philoſophi, Oratores, Hiſtorici celeberrimi, imo ipſi Poetæ: in altera leges civiles ea de re latæ, quibus Comici judi-

judicantur perſonæ inhoneſtæ: in tertia canones Conciliorum, actores ſcenicos e Rep. Chriſtiana excludentes, ac teſtimonia Patrum Eccleſiæ. Tandem ultimo *Capite* exhibetur *Concluſio*, in qua omnes elabendi rimas Autor obſtruit hodiernis ſcenicorum ludorum defenſoribus, ſtatuitque, eos, religioni quippe bonisque moribus maxime exitiales, eſſe omnino in Chriſtianorum civitatibus abrogandos. Hæc ſunt argumenta libri, lectu omnino laudeque digniſſimi, ſed, ut ipſa ratio facile perſuadet, prætereaque interpres Gallus in Præfatione ſua docet, plurimis in Anglia excepti ſatyris, autore tamen tandem denique glorioſo imbellium adverſariorum victore. Nec illud prætereundum ducimus, quod appendicula præfationis ab interprete adjunctæ docet, *Drydenium*, cujus ſcenas tam ſæpe, tam juſte reprehendat *Collierius*, (nos vero A. 1700 p. 321 facultatem ejus poeticam laudavimus,) tandem catholicam, quam vocant, religionem amplexum eſſe, comicam ſcilicet licentiam ſuam acerba pœnitentia expiaturum.

SAPIENTIA SCENÆ ROMANÆ, CUM ANnotationibus C. A. HEUMANNI.

Iſenaci, ſumtu I. A. Boetii, 1716. 12.
Pl. $6\frac{1}{2}$.

DIſſentire a laudato proxime *Collierio* videri poſſet *Heumannus* inſcriptionem præſentis libelli intuentibus. Verum Præfationem, quæ longiuſcula eſt, lecturi deprehendent ſuavem inter eos concordiam. Diſerte enim ibi reprehendit eos, qui Plauti Terentiive comœdias adoleſcentibus legendas præbeant, ratus, Comicos illos nec ſatis fideles eſſe ad Romanam eloquentiam duces, & elegantias ſuas nimis caro vendere, dum ſummopere teneras mentes corrumpant. Nec vero aboleri vult eorum monumenta, imo ne caſtranda quidem cenſet. Tironum duntaxat e manibus ea excuti, viriſque reſervari cupit. Ceterum juniorum in gratiam floſculos ex Comicorum hortis decerpendos judicat, cum oratorios, tum morales. Priorem aliis relinquens laborem, poſteriore ipſe defungi voluit opera, propo-

Digitized by Google

nens hic tironibus gnomas ex Terentii Plautique comœdiis, atque ex Publii Syri mimis, ſelectas, quas annotationibus moralibus, philologicis, & criticis diſtinxit. Inſeruit etiam Præfationi brevem diſſertationem de talium ſententiarum natura & varietate: quo facto Plautinas cum Terentianis comparans, has illis præponit. Hactenus Præfatio. De ipſo libello uberiorem notitiam lector nullus deſiderabit: nec tamen alienum videtur, ex criticis annotationibus ac philologicis nonnullas afferre. Terentianum illud: *Homini homo quid præſtat ſtulto intelligens? quid intereſt?* aliter & interpretatur Noſter *p. 9* & interpungit, quam vulgo fit, utriusque rei expoſitis rationibus. *Malitiam* proprie advocatis, item *cavere*, tribui, *p. 19* & *109* obſervat. Cl. *Clerici* emendationem in Terentio factam laudat, & ex Plauto confirmat *p. 31.* Improvidum *Poireti* calamum *p. 32* notat, ita ſuam *Burignoniam* deſcribentis, quod fuerit *facilis, univerſalis uſus, omniumque, imo & puerorum, capacitati ſeſe accommodans:* quod elogium in Petronianam quoque Quartillam cadere exiſtimat. P. 38 Plautina facula illuſtratur illud Pomponii ICti dictum: *in pretio emtionis & venditionis naturaliter licere ſe mutuo circumvenire. Patiendi* verbum quam ſcite uſurpetur de conſtantia in utraque fortuna, pluribus docet exemplis *p. 43 ſqq. Factioſos* novo ſenſu a Plauto dici homines *actuoſos*, id eſt, qui multum ſibi faceſſant vel ſaltim faceſſere videri velint negotii, obſervat *p. 58*, addens ſimilem ex Athenæo locum, ubi tales vocantur *ποιητικοί*. Quid apud Curtium ſit *multa vita*, *p. 105* liquido monſtrat, & intempeſtivum Criticorum cultellum inhibet. *Ignoti* vocabulum ſenſu etiam activo reperiri, multis probat exemplis *p. 111 ſq.* Plura non adducemus. In Publii Syri mimis aliquot errata tollit, metri ſequens ductum. Ad ultimum ſubjungit ſelectiſſima monita ex Phædro & Pſeudo-Catone.

Joh. Auguſtin Egenolffs Hiſtorie der Teutſchen Sprache.

h. e.

JOH.

JOH. AUGUSTINI EGENOLFFI HISTORIA *Linguæ Germanicæ.*

Lipſiæ, apud Joh. Frid. Braun, 1716, 12.

Plag. 5.

INdignatus Autor doctiſſimus, plures hodie ex noſtris exoticarum linguarum, quam vernaculæ, curioſos, Hiſtoriam linguæ Germanicæ quatuor Partibus condere aggreſſus eſt, quarum prima, quæ nunc ſeorſim prodiit, id imprimis egit, ut oſtendat, originem linguæ vernaculæ æque ac aliarum linguarum neutiquam ex Babylone deducendam, ſecunda hiſtoriam literarum Japeti,earumque originem ac ſenſum, & in Europæas linguas migrationem, tertia argumenta, quibus ſingulas Europæ linguas ex Japeti idiomate, quod & Cimbricum & certo ſenſu Germanicum dicatur, natas, oſtendet, quarta deniq; linguæ Germanicæ fata, ætates diverſas ac hodiernam faciem accurate tradet. C. 1. Ut itaq; de prima jam dicamus, quam undecim capitibus diſtinxit, primo loco ſcriptores recenſet, qui ad hiſtoriam linguæ Germanicæ facere poſſint, veteres nimirum Græcos & Romanos, qui ſe a Barbaris populis loqui didiciſſe fateantur, tum recentiores, Becanum, Wackium, Riccardum, Chamberlaynum, Hickeſium, Wormium, Rudbeckium, alios, e noſtris, Cluverium, Schottelium, Bœdickerum & Morhofium, cujus ſe ſecuturum ſpondet veſtigia, ordine recenſet. Hinc linguas mutationi ob- 2. noxias oſtendit, ejusque rei cauſas inquirit, ubi inter alia ex ſententia Medicorum obſervat, ideo Helvetos ceteris Germanis ululare magis quam loqui videri, quod ſtrumis, quæ ex aqua 3. arenoſa oriuntur, plerique laborent.Nihilominus quandam linguarum harmoniam ac ſimilitudinem deprehendit Autor, quod fuſius docebit parte ſecunda. Neque vero originem linguarum 4. Europæarum e turris Babylonicæ exſtructione petendam, tum auctoritate Schrickii, Dureti, Lœſcheri, Schottelii aliorumque, tum eo potiſſimum demonſtrat, quod Japetus, Europæorum pater, nunquam Babylonem pervenerit, nec quicquam commercii habuerit cum turris conditoribus; ac cum Bocharto aliisque montem Ararath vel ipſum Caucaſum montem vel

certe

Digitized by Google

certe extremam Armeniæ partem fuiſſe credit, ubi Noachus aliquandiu commoratus liberos in varias inde regiones dimiſerit.
C. 5. Qua occaſione de tempore, quo aliqui e filiis Noachi turrim exſtruere tentaverint, diſſerit, & unum conſilii hujus autorem e Lutheri ſententia agnoſcit Nimrodum. Atque hinc firmiter ſibi perſuadet, Noachi filios jam pridem ante in ſuas plagas, & Japetum imprimis in Europam diſceſſiſſe, quam turris Babylonica excitari cœperit.
C. 6. Europæos porro omnes a Japeto originem trahere luculenter demonſtrat, ac poſterorum Japeti varia
7. nomina, qualia ſunt Gomari, Cimerii ſeu Cimbri, Scythæ, Cel-
8. tæ, evolvit, Scythasque docet a Romanis nominatos fuiſſe Sarmatas, & ex his ortos Dacos, Getas, Thraces, Pannonios & Illyrios; ex Celtarum nomine nomen Gallorum ortum; Phryges,
9. Francos, Friſos idem denotare, & reliqua. Ex Aſcena imprimis Teutones ortos, filiosque ejus Aſcaniæ nomen dediſſe putat, quod & illi hodienum a Judæis Askenakim vocentur, & va-
10. ria paſſim in Germania loca a voce *Ask* nomen acceperint. Japetum ac primos Europæos uſos eſſe lingua Scythica, quæ Celtica poſtea dicta, teſtimoniis confirmat & Mericum Caſaubonum arguens, quod Germanica potius e Græcis, quam Græca e Germanicis derivet, Morhofii ſecus ſentientis judicium præ-
11. fert. Denique Cl Autor ſubjungit quatuor regulas, quas & illuſtrat & explicat: ſcilicet 1) quo citius populus aliquis e ſua nativa ſede in alias regiones migravit, eo minori mutationi obnoxia fuit illius lingua, & contra, quo diutius hæſit in ſuis ſedibus, eo magis cum vocabulis finitimarum gentium confuſa fuit ac corrupta. 2) Quo rarius populus quisque cum aliis gentibus verſatur, hoc purius ſervatur illius idioma, & contra. 3) Quo ſimplicior lingua, aſperior item & incomtior fuerit, eo certius ejus naturam & cognationem cum aliis licebit perſcrutari. 4) Quo breviora in quavis lingua vocabula occurrunt, eo exiſtimanda eſt antiquior.

MEMOIRS OF S. GEORGE, AND OF THE moſt noble order of the Garter, by Thomas Dawnſon.

i. c.

COM-

Digitized by Google

COMMENTARII HISTORICI DE VITA S. Georgii, Anglorum Patroni, & Nobiliſſimo ordine Equitum Periſcelidis, Autore THOMA DAVVNSON.

Londini, apud Henricum Clementem, 1714, 8.
Pl. 22.

EQuidem hiſtoriam ordinis Periſcelidis Ashmolius, & Vitam S. Georgii Seldenus atque Heylinus dudum vulgaverunt, Præf.
ſed operibus vel nimium diffuſis, vel ævo noſtro rariſſimis, unde permotus Autor Sancti iſtius atque Ordinis hiſtoriam unico ſimul volumine comprehenſurus, huncce libellum, S. R. Britannicæ Majeſtati dicatum, in publicum nunc emiſit, Antiquitates Vindeſorii, Monumentorum, quæ in Templo Regio ibidem viſuntur, Inſcriptiones, & Catalogum Equitum, qui illuſtri hoc ordine fuere decorati, deinceps daturus. S. Georgius, cu- p. 2. 3. 4.
jus vitam priori loco Noſter pertexuit, gente Cappadox, digni- p. 22.
tate Comes, bellica virtute clarus, (ab alio quodam Georgio, Ariano, probe diſtinguendus) ſub Diocletiani tyrannide Martyrium paſſus & capite truncatus eſt. Hujus memoriam die feſto 10. 11.
21 Aprilis, Templis in honorem ipſius extructis, & ordine Equeſtri a Conſtantino M. inſtituto, venerati ſunt Chriſtiani orientales, imo & Turcæ coluerunt. Idem ab occidentali eccleſia, 15.
inter Sanctos relatus, & olim ab Anglo-Saxonibus Divorum more die 23 April. adoratus, tandem a gente Anglorum bellicoſiſſima iſto præſertim tempore, ut veri eſt ſimillimum, quo Paſ- 17.
ſagia primum in terram ſanctam cœperant, Patronus eſt nominatus. Mutato inde eccleſiæ Anglicanæ ſtatu, atque multis diebus feſtis ab Henrico VIII abolitis, S. Georgio tamen ſuus honos manſit, usque dum feſtus iſte dies ab Eduardo VI ſolis Equitibus celebrandus relinqueretur. 20. Pingitur vero Georgius hic armatus, equo inſidens, 26. ad cujus pedes Draco, ſymbolica forſan diaboli ſignificatione, proſtratus cernitur. Ednardus III templum Vindeſorii, quæ illi patria fuerat, ædificatum, S. Georgio ſacrum eſſe juſſit, atque ibidem, (quod nonnulli Richardo I, 33.
ſubligaculo corii in expeditione ſacra Equitum crura liganti, falſo tribuunt,) Anno 23 regni ſui Equeſtrem Ordinem inſtituit, 43.

Tt non

non quidem ob faſciam cruralem Johannæ Saliſberiæ, uti qui-
31. dam fabulantur, coævis omnino tacentibus, ſed ut rotundæ Ar-
thuri tabulæ memoriam renovaret, atque viris fortiſſimis ad
auxilia contra Gallos ſibi ferenda excitatis, jus in Galliam quæſi-
41. tum vindicaret. Hanc ob cauſam colore ligaculi cæruleo &
aurea inſcriptione ad modum inſignium Gallicorum uſus eſt, ad-
ditis verbis: *hony ſoit qui mal y penſe*, velut erubeſcere jubeat eos,
qui juſtum in Galliam titulum ſibi denegent. Authenticum Sta-
tutorum Eduardi vetuſtate periit, ſupereſt tamen Apographum
46. Henrici V juſſu conſcriptum, quod alibi fruſtra quæſitum hic
69.71. reperies; hiſce nonnulla ab Henrico V, plura ab Henrico VIII
fuerunt adjecta, quæ hic ſimul exhibentur. Annales ordinis in
115. regiſtrum ordinis Chartaceum ad Henrici VIII, librum Nigrum
ad Eduardi VI, librum Cœruleum ad Jacobi I, librum Rubeum
& Carolinum usque ad Caroli II tempora digeſti, hodienum aſ-
117. ſervantur. De veſtitu & inſignibus Equitum plurima refert
131. Autor, unde notatu haud indignum duximus, Regiæ Conjugi &
optimatum uxoribus interdum fuiſſe permiſſum, ut Equitum
die feſto veſtem, pileum & armillam equeſtri haud diſſimilem
142. in brachio ſiniſtro acupictam geſtarent. De diebus, quibus vel
integro veſtitu, vel partibus ejusdem tantum amicti incedere
debeant Equites, de muneribus, ordinis Præfectis, Sigillo, Equi-
tum creatione, inveſtitura & inſtallatione, etiam exterorum, &
per Procuratorem, Juramento, mortuis & honore defunctis
habendo, degradatione, impenſis in inſtallationem faciendis,
in quibus multus eſt Noſter, nihil addimus.

Teutſchen Reichs-Staats uhrkundliche Nachrichten ꝛc.

i. e.

DEMONSTRATIONES AVTHENTICÆ DE ſtatu Imperii Germanici, ejusque Electoribus, præſertim de Archi-Oſtiarii officio, Burggravio Noribergenſi competente.

Pl. 13 in fol. cum ½ in 4.

Hujus

HUjus opuſculi hiſtoriæ & antiquitatis Germanicæ penu referti Autor Illuſtris, Wolffgangus Gabriel Pachelbl a Gehag, Conſiliarius Sereniſſimorum Marchionum Brandeburgo-Baruthini & Onolsbacenſis intimus, breve hoc Spicilegium & Augmentum editæ nuper Diſſertationis de originibus Electorum eſſe voluit, in ipſa quidem Dedicatione ordinationes præcipuas Reip. Germanicæ ex Sec. V petendas docens, quo tempore Electores quoque fuiſſe probat. Hinc de antiquo Germaniæ ſtatu ſollicitus Tuiſconem eodem modo ſuis imperitaſſe, quo hodienum Imperator una cum Electoribus & ceteris Imperii ſtatibus regnent: vetuſtos etiam Germaniæ Reges Mannum, Ingævonem, Iſtævonem, uti fieri aſſolet, minime rejiciendos; Gallos, Galatasque Germaniæ populos a Gallo Rege nominatos; ſummos autem Officiales in plurimis Regnis ſtatim poſt diluvium innotuiſſe, nec Turcis adeo ignotos, atque hic commendanda vetera Francorum geſta ab Hunnibaldo deſcripta, hisq; jungendos exoticarum gentium mores commemorat. Maxime vero ex Francicis & noſtratibus Hiſtoriarum monumentis, plus 64 jam ante Chriſti nativitatem annis ſub primis Francorum Regibus, Carolovingis inde & Germanorum Imperatoribus officiales Electorum officio functos evincit iisdemque temporibus jura ſummorum Imperii Statuum obtinuiſſe, nec diſſimilem Reip. formam Longobardis fuiſſe uſitatam, ſibi perſuadet. Modum eligendi per prætaxationem deinde deſcribit, & officiales jam ſub Merovingis propria habuiſſe bona, nomine Fiſcalium bonorum inſignita notat. Hos inter officiales Palatinos fuit *Imperii Oſtiarius*, ſeu *Manſionarius*, *Domeſticus*, *Oeconomus*, *Atrienſis*, Reichs Ertz-Pförtner aliis dictus, nec Merovingorum, nec ſequentium Imperatorum ætate ignotus. Iſto officio Burggravii Noribergenſes XI ſeculo feudi jure donati, inter Electores connumerari cœperunt, quod ex Matth. Paris, Alberto Argentin. Pontificis Epiſtola apud Raynaldum, Comitiis An. 1275 ap. Gevvold. de Septemvir. Comitiis An. 1363 ap. Limn. demonſtratum dedit Autor Illuſtris. Succeſſu temporis Electoribus in arduo Electionis negotio nimis invicem diffidentibus, iſtis litigiis abſtinuiſſe beneficio duxerunt Burggravii, nunc tamen

p. 9. p. 24. p. 27. p. 32.

tamen in omnia Jura Electoralia plene reſtituendi, diplomatibus quippe Imperatorum ſuffulti, quibus omnia contra eorum jura facta pro nullis habentur, unde civitatem Noribergenſem notat Autor Cel. & A. 1414 adhuc Burggravium multis Epiſcopis in ordine fuiſſe prælatum notat. Multis deinde probat, ad exemplum Regis Bohemiæ Burggraviis Noricis reditum ad Collegium Electorale haud denegandum, præſertim cum non a quantitate Territorii, ſed cauſa & titulo pendeant dignitates Imperii. His quædam notabilia de juribus Burggraviatus Norici ſubjiciuntur, monitumque de acceſſionibus hujus Burggraviatus & decrementis probe conſiderandis. In epilogo denuo animadvertit Ill. Autor ſuprema Principum Germanicorum jura omni tempore fuiſſe eximia; & quam neceſſaria ſit cognitio de origine Electorum, cui jungenda notitia Electoratus Norici, fuſius oſtendit. Denique Mantiſſam alteram Diſſertationis ſuæ de *origine Electorum* contra *Dn. Jani Prof. Witteb. Cel. Diſſ.* directam adjecit, qua brevibus, erudite tamen tradit, 1) Statum Imperii a Regibus Francorum petendum, 2) hos utpote Imperatorum Germanicorum anteceſſores, Germanis titulo & jure Regio, non Imperatorio præfuiſſe, cum dignitas Imperatoria poſtea demum acceſſerit, 3) a Germanis electos fuiſſe ſimul Imperatores, 4) hinc non a Romanis, ſed a Germanis & Francis electionem eſſe petendam, 5) ex his autem conſtare, non *ſolitarie*, vocabulo ſecundum *Clariſſ. Jani* ſenſum intellecto, ſed omni ævo ab officialibus Imperatorem fuiſſe electum, 6) Regnum Teutonicum temporibus Caroli M. ex IV gentibus conſtitiſſe, Francis nimirum, Suevis, Saxonibus, atque Bajoariis, quos inter Norici; eorumque Duces ſimul fuiſſe Electores, quorum ſententiam ſecuti Comprovinciales, 6) Welberti & Amandi teſtimonia, ſecus ac Cl. *Jano* viſum fuerat, haud adeo ſpernenda, illisque jungendos Ottonem Friſingenſem, Diploma Auſtriacis a Friderico I datum, Gervaſium Tilberienſem, & Leibnizium ad confirmandam antiquitatem Electorum. Tandem *Cl. Janum* in ſua Diſſertatione quædam in Burggraviatum Noricum iniqua confinxiſſe autumat.

Neue

Neue Zeitungen von gelehrten Sachen, auf das Jahr 1715.

i. e.

NOVA ANNI MDCCXV DE REBUS AD Eruditionem ſpectantibus, ſeu Relationes de omnibus, quæ hoc anno laude memoratuque digna per orbem eruditum contigerunt, in unum collectæ; cum Introductione in Hiſtoriam Literariam librariamque ejusdem anni.

Lipſiæ, apud Heredes Groſſianos & Theoph. Georgi, 1716, 8. Alph. 1 pl. $17\frac{1}{2}$.

AFfirmat in Præfatione ſub initium anni præteriti ſcripta Cl. Autor, qui nomen ſuum in calce Epiſtolæ nuncupatoriæ prodidit, Jo. Gottlieb Krauſe, annum fere exceſſiſſe, ex quo primum in animum induxerit, nova, quæ in commodum rei eruditæ per univerſam fere Europam variis linguis publicantur, aut quæ forte amicorum ope indagari poſſent, literaria, in unum locum cogere & ſeptimo quovis cum eruditis communicare. Id autem facere dum aliis diſtentus negotiis in diem differt, eadem fere provincia a nonnemine in Belgio occupatur, quem alii deinde Francofurti in 8 & apud nos quoque in 4 imitari cœperunt. Tantum vero abeſt, ut hi aliorum conatus ab inſtituto revocarint, ut potius ad perficiendum alacrius calcar addiderint, accedente præſertim Societatis noſtræ ſuaſu hortatuque.

Prodierunt itaque per annum præteritum (quemadmodum in Actis Anni ſuper. p. 182 & 232 nuntiavimus) plagulæ dimidiatæ LII, quibus tum ex Ephemeridibus Eruditorum omnibus, tum ex literis amicorum, præſertim ad nos ipſos ex ſingulis prope regionibus Europæ perſcriptis, excerpta exhibentur ordine Geographico nova literaria, ad vitas & ſcripta eruditorum, reliquumque Hiſtoriæ eruditæ apparatum ſpectantia. Adduntur omnium, quæ de rebus eruditorum referunt, linguaque Latina, Gallica, Italica, Anglica, Germanica, magno numero prodeunt, Diariorum contenta annotatis diligen-

ter, quæ de libris aliisque eruditorum hominum conatibus ibidem lata deprehenduntur, judiciis atque cenſuris. Immiſcentur etiam nonnullæ de antiquitatibus, aliisque argumentis amœnioribus diſſertationes. Cum vero paucarum adeo plagularum anguſtia omnia minime caperet, ſubnectere placuit Supplementa XII, in quæ rejicerentur, quæ ſerius ad notitiam Autoris venirent.

Non expectabit hic Lector a nobis ſpecimina, quamvis multa referri poſſent haud injucunda; maxime quod Autor ipſe Compendium operis præmiſit, Introductionis in Hiſtoriam anni 1715 librariam & literariam ſuccinctæ titulo ex re & vero inſignitum. Dum enim ſingula ad claſſes ſuas revocantur, obſcurum nemini eſſe poteſt, quantum hinc res literaria librariaque noſtri temporis, ipſaque adeo Eruditionis Hiſtoria juvari queat & amplificari. Præmiſſis itaque nonnullis, quæ monenda in rem præſentem videbantur, ſummos per Europam Mæcenates recenſet Autor, qui favorem in literas luculentis hoc anno ſpeciminibus prodiderint; additis, qui ex perſonis illuſtribus, ſexuque ſequiori ipſius eruditionis nomine innotuerunt. Separatim deinde exhibentur quæ ſpectant ad hiſtoriam & fata Societatum eruditarum, tum earum, quæ dudum celebritatem nominis ſunt conſecutæ, tum quæ hoc demum anno innotuerunt. His ſubjungitur Bibliothecarum, Numophylaciorumque aut Muſeorum uſibus publicis conſecratorum hiſtoria. Hæc de proſperis. Inter adverſa Reip. literariæ refert Autor Bibliothecarum, Muſeorumque magno ſtudio collectorum diſperſionem, Ephemeridum eruditarum intermiſſionem, tum vero præcipue Virorum doctorum obitus, qui ordine Geographico recenſentur.

Ad Libros deinde progreſſus, qui anno 1715 aut prodierunt, aut apud nos demum innotuerunt, vel etiam ab eruditis fuere promiſſi, non ſatis habet Claſſes quaſdam generales conſtituiſſe, ſed ad ſpecialiſſima deſcendit; in ſingulis etiam ſectionibus minoribus omnia eo proponens ordine, quo ipſæ diſciplinæ tractari ſolent. Sic in Theologicis fata primum Textuum S. Codicis, Verſionesque in varias linguas & Paraphraſes, nec non Indices, quos Concordantias vocant, commemorat;

Com-

Commentatores inde S. Scripturæ utriusque fœderis ordine proſequitur, cum ſcriptis Hermeneuticam S. juvantibus; Liturgica hinc atque Concilia attingit; eruditorum in Scripta SS. Patrum curas, operaque recentium Theologorum ſubjungit; mox ſcripta Theologiæ Theticæ, Polemicæ, Moralis, Myſtica item & Aſcetica, nec non Homiletica & Parænetica ordine convenienti enumerat, tandemque addit, quæ ad Theologiam Judæorum, Muhammedanorum, veterumque Gentilium ſpectant. Simili ratione in annotandis eruditorum lucubrationibus Juridicis, Medicis, Philoſophicis, Mathematicis verſatur. Hiſtoricis Geographi, Chronologi, Genealogici & Heraldici, Antiquarii item, & ſpeciatim quæ de Numis, deque Inſcriptionibus, Gemmis, &c. prodiere Commentationes, præmittuntur. Hiſtoriam deinde univerſalem Civilis excipit, eaque tum antiqua, Judaica pariter atque gentilis, tum recentior quatuor mundi partium, ſingularumque in primis Europæ regionum. In hiſtoria quoque Eccleſiaſtica expoſitis generalioribus ſpecialiora probe diſtinguuntur, & tum partium inter Chriſtianos diſſidentium, tum variarum regionum aut locorum hiſtoriæ recenſentur, ſubjunctis, qui de Conciliorum, de Ordinum religioſorum, de Perſecutionum aut Martyrum hiſtoria, deque Antiquitatibus Eccleſiaſticis ſunt commentati. In Literariæ denique hiſtoriæ ſcriptoribus ſeparatim exhibentur, qui Theologiæ, Juris, Medicinæ, Philoſophiæ, Literarumque hiſtoriam illuſtrarunt, qui Academias, Scholas, & Societates eruditorum, qui Bibliothecas tam publicas, quam privatas deſcripſerunt, qui hiſtoriam librorum tum in genere, tum in ſpecie aut veterum, aut recentium, variarum linguarum, aut ad ſcientias artesque ſpectantium explicuerunt. Tandem ſpecialioribus his partibus Hiſtoriæ additur ſpecialiſſima, quæ de perſonis agit; ubi ſcriptores de Prophetis & Apoſtolis, de Sanctis, de Cardinalibus, de Epiſcopis, de monachis & monialibus, de Politicis, de Eruditis tum generatim, tum de iis qui idem vitæ genus, aut eadem ſtudia ſecuti ſunt, aut eandem habuerunt patriam, nec non qui ſingulas eruditorum vitas delinearunt, exhiberi videas. In Philologicis denique Grammaticos, Criticos, Lexicographos linguarum, Hebrai-

cæ,

Digitized by Google

cæ, Græcæ, Latinæ, & ex recentioribus Gallicæ, Italicæ, Anglicæ, Hiſpanæ, Luſitanicæ; Rhetoribus deinde præmiſſis, Oratores, Epiſtolographos, Dialogorum item & fabularum mileſiarum ſcriptores recenſet Autor; artisque Poeticæ & reliqui apparatus huc ſpectantis collectoribus ſubjungit Poetas Græcos, Latinos tum veteres tum recentiores, Gallos item, Italos, Anglos, Belgas & Germanos, cum verſionibus poematum in alias linguas: ut merito mireris ex unius quaſi anni ſcriptoribus integram fere artium atque ſcientiarum colligi potuiſſe Bibliothecam.

Non omittendum eſt etiam, additam in fine legi Autoris anonymi deſcriptionem regionis morumque eruditorum veterum atque recentiorum, cui luſui allegorico anſam dedit lis in Gallia olim a Perralto mota de veterum, recentiorumq; eruditione æſtimanda, nuper admodum occaſione eorum, quæ de virtutibus vitiisq; Iliadis Homericæ inter Mottium Daceriamq; diſputata ſunt, renovata. Quam ingenioſam maxime Commentatiunculam ex Gallica lingua in vernaculam tranſtulit Noſter, notulisq; hiſtorico-criticis ad capiendum acumen Autoris oppido neceſſariis illuſtravit, & Proœmio inſtruxit, quo controverſiæ hujus eruditæ hiſtoriam breviſſime recenſet, ſuumque tota de re interponit judicium. Tabula quoq; ænea ad mentem Autoris apparatus ille bellicus omnis non injucundo ſpectaculo repræſentatur.

Poſtremum locum occupant Indices, alter Ephemeridum recenſitarum, qua pagina quævis Diarii alicujus ſectio exhibeatur, indicans; Autorum alter, cujus beneficio, ut unum hoc adhuc moneamus, facillimo negotio inſignique cum temporis & tædioſæ inquiſitionis compendio cognoſcere datur, an liber aliquis, & quibus in Ephemeridibus, quave cujusvis ſectione, quo articulo ſit recenſitus & quod de eodem latum ſit judicium.

Atque ita hactenus quoque ſingulis ſeptimanis dimidia plagula horum Novorum prodiit, quæ ſi pari, qua hactenus, felicitate, quod optamus, continuabit Cl. Autor, paulatim condendis Annalibus Literariis locupletiſſimis materiam ſuppeditabit.

Proſtat Supplementorum Tomi VI Sectio VI, & prelo ſubjecta eſt Sectio VII, intra paucos dies proditura.

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Auguſti, Anno MDCCXVI.

RECUEIL DE DISSERTATIONS CRITIQUES ſur des endroits difficiles de l'Ecriture Sainte.

h. e.

COLLECTIO DISSERTATIONUM CRITIcarum ad difficiliora S. Scripturæ loca.

Pariſiis, apud Petrum Witte, 1715, 4.
Alph. 3 pl. 12.

AUtor doctiſſimus, ordinis Ignatiani ſodalis, quemadmodum ex indiciis non obſcuris apparet, nomen ſuum, dubium qua de cauſa, ſuppreſſit. Prima Diſſertatione numos Hebræos examinat, qui vulgo Samaritani dici ſolent, ob characteres Samaritanos, quos viri eruditi in iis inveniſſe crediderunt. Eos Criticus noſter pro vetuſtis Hebræorum literis habet, nequaquam autem pro Samaritanis. Qua in re magnopere ſibi applaudit. Sed ignoravit, eandem ſententiam ſuperiori anno proditam, defenſamque eſſe a S. R. *Deylingio*, Collega noſtro indefeſſo, *Obſervationum* S. Parte *Tertia* p. 190. Uterque recte obſervat, characteres Samaritanos, in codicibus MSStis & Polyglottis Pariſienſibus atque Anglicanis obvios, male confundi cum literis, quas genuini & vetuſti Hebræorum numi exhibent. Male etiam a Waltono ſupponi, iſtos manu deſcriptorum codicum characteres eſſe vetuſtas & primævas Hebræorum literas. Uterque præterea illos Hebræorum numos, qui literis Aſſyriis, ſeu quadratis notati ſunt, pro adulterinis, & reliquos, vetuſtas ac inuſitatas literas præferentes, pro genuinis habet. Quos noſter Criticus in *quatuor* claſſes diſpeſcit. Nonnullos enim, Sime-

p. 165.
12
14. 15.

 onis

onis nomen, & ſignationis cauſam atque occaſionem, videlicet *liberationem Sionis, Iſraelis & Hieroſolymæ* exhibentes nullum dubitandi locum relinquere, quo minus cuſi ſint circa annum
p. 18. Seleucidarum CLXXI, quo anno, Græcis arce Sionis expulſis, Hieroſolymam in libertatem vindicarit Simeon populi Princeps, 1 Maccab. XIII, 49. In quibusdem quidem numis Si-
19. meonis nomen non comparere. Intelligi tamen ex inſcriptione, liberatione nimirum Sionis, eos ad eundem Simeonis principatum pertinere. Ad tertiam claſſem illos refert, qui ſupra vaſculum mannæ aut calicem, nunc unam, nunc duas literas inſcriptas habent, cum verbis: *Siclus Iſraelis*, & *Hieroſolyma ſancta*. Iſtas autem literas *Bouterovum* recte explicaſſe cenſet de primo, ſecundo & quarto anno liberationis Iſraelis ſub ponti-
22. ficatu & principatu Simeonis. Ad quartum ordinem illos refert numos, qui nulla certæ ætatis indicia habent, & qui Ba-
140. bylonica captivitate antiquiores eſſe poſſint. Incertæ quippe
25. originis eſſe. Horum numorum fide & autoritate evincit,
26. literas in illis conſpicuas eſſe genuinos veterum Hebræorum
27. characteres. Cum enim voces numis impreſſæ ex idiomate antiquo, & pure Hebraico petitæ ſint, quod Autor prolixe probat, nequaquam dubitandum eſſe ait, quin characteres ipſi ſint Hebraici atque antiqui, ante Babylonicam deportationem uſi-
37. tati. Verba Hebraica לחרות & לגאלת exponit *ob liberationem, ob redemptionem*, ſubintelligens יצרף aut שקל צרוף *ſiclus conflatus*, eodem ſenſu ac numi Romani habent: OB CI-
39. VES SERVATOS. Celeb. *Relandum* reprehenſurus Autor ignorare non debebat, Virum eruditiſſimum priorem ſen-
40. tentiam dudum mutaſſe, Diſſertatione *Quarta* de Numis Veterum Hebræorum, anno 1709 edita, p. 133, quod a nobis indi-
68. catum eſt in his Actis p. 417 ejusdem anni. Hos autem me-
70. moratos numos nequaquam a Samaritanis, ut nonnullis videtur, ſed a Judæis, & Hieroſolymis quidem, cuſos eſſe, prolixe
86. probat. Credi poſſet, tertio anno Sionis & Hieroſolymæ in libertatem aſſertæ nullos a Simone numos ſignatos eſſe, quia nusquam comparent, nec ullus ab Autoribus, qui Hebræorum numos deſcripſerunt, & gazophylacia perluſtrarunt, comme-

mora-

Digitized by Google

moratur. Noſter tamen in numophylacio R. P. *de Vitry* & *de Boſe* detexit aliquem, qui שנת שלש *annum* hunc *tertium* inſcriptum habet, quem unicum forte in univerſo terrarum orbe ſupereſſe, Noſter ſuſpicatur. Quinto hujus epochæ anno nullos a Simeone cuſos eſſe cenſet numos, ob metum Antiochi Evergetæ, jus cudendæ monetæ cum ipſa libertate Judæis forte adempturi. Sequente tamen anno denuo ſignatos eſſe, ex numis ab *Ez. Spanhemio* deſcriptis intelligi putat. Negat vero, Judæos ſub Simeonis demum principatu argentum figuris & inſcriptionibus ſignaſſe. Uno enim eodemque illo anno, quo cudendæ monetæ jus Judæis a Demetrio II indultum legitur, tantam æris vim uno impetu procudi nequaquam potuiſſe, niſi hanc artem probe calluiſſent, & inſtrumentorum apparatus in promptu fuiſſet. Æris ſignati uſum antiquiſſimum eſſe, vetuſta voce קשיטה probat, quippe quæ monetam, agni imaginem exhibentem, notet, perinde ac Βοῦς apud Athenienſes, & forte etiam apud Delios olim ſignificarit argentum bovis imagine notatum. Ex conſuetudine Hebræorum, qui argentum ponderaſſe leguntur, nihil probari poſſe contra monetæ uſum. Ipſos enim Romanos ſub Imperatoribus dixiſſe: pecuniam alicui pendere, pendere tributum, uſuram, vectigalia. Characteres Phœnicios ſeu vetuſtos Hebraicos, a Cadmo in Græciam allatos, ſimillimos fuiſſe illis hariolatur, qui conſpiciuntur in illis Hebræorum numis, quos vulgus appellat Samaritanos. Codices ſacros duplici olim charactere deſcriptos fuiſſe, quadrato nimirum, qui hodienum in uſu eſt: dein illis etiam literis, quas numi Hebræi nobis conſervarint, & quæ ante captivitatem Babylonicam Hebræis uſitatæ fuerint. Tali codice LXX Interpretes uſos eſſe, Autor noſter multis exemplis oſtendere conatur, ubi literarum ſimilitudine in errores videntur inducti. Ita Oſeæ XIII, 14, πȣ̃ ἡ δίκη σου θάνατε; ποῦ τὸ κέντρον σου ᾅδη; Græcos interpretes legiſſe איה דבריך מות איה קטבך שאול *Hieronymi* autem & *Thargumiſtarum* codicem utrobique habuiſſe אהי. *Capelli* opinio fuit, Græcos Seniores ordinem literarum *Jod* & *He* immutaſſe, Autori autem veri videtur ſimilius, errorem ortum eſſe ex ſimilitudi-

p. 88.
104.
105.
110.
142.
143.
144.
148.

litudine veterum characterum *Jod* & *He*, qui parte ſuperiori &
p. 155. maxima conveniant. Proxima Diſſertatione lilium in nu-
157. mis Herodis I obvium explicat de lilio Perſico, ſeu corona im-
periali, ſymbolo illarum regionum, quibus Herodes Ethnarcha
præfuerit. Hoc ab Hebræis שושן appellari & in Scripturis in-
158. dicari Cant. II, 1, 2, 16, IV. 5, VI, 2, Matth. VI, 28, dicique ita
putat ab urbe Suſan, metropoli Perſiæ, cujus agri olim his liliis
165. abundarint. Inde ad Theophilum Antiochenum delatus, lo-
170. cum *Libri II ad Autolycum p. 122* ita vult emendari: *Σκότος, διὰ
τὸ τὸν οὐρανὸν γεγονότα ὑπὸ τοῦ Θεοῦ ἐσκεπακέναι, καθάπερ
εἰ πῶμα, τὰ ὕδατα σὺν τῇ γῇ.* *Tenebras*, dicit Moſes; *quia
cœlum creatum a DEO contexit, quaſi operculum, aquas cum terra.*
175. 176. Leydeckerum caſtigat, quod Joannem Grammaticum & Philo-
179. ponum, tanquam diverſos Autores allegavit. Nomen DEI
183. 186. אל a radice inuſitata איל vel אול, *fortem*, *robuſtum eſſe* deri-
vat, eidemque fortitudinis ac ſummi roboris ſignificationem
193. 194. adſcribit, exploſa ſententia *Guſſetii*, ac Celeb. *Læſcheri* noſtri,
cujus Syſtema literarum Hebræarum Hieroglyphicum æque
chimæricum & ineptum eſſe pronunciat, ac *Neumannianum*,
200. ideoque indignum, quod prolixe refutetur. Natales & ſigniſi-
cationem vocis שדי inveſtigans, illis ſuffragatur, qui ex ש rela-
tivo, ab אשר formato, & ex די *ſufficit*, componi opinantur, ut
illum notet, qui robuſtus & ſufficiens eſt ad omnia perpetranda,
202. *παντοκράτωρ* & omnipotens, uti LXX & Vulgatus expoſue-
runt, quos Autor noſter defendit. Sub finem harum Diſſerta-
tionum tres comparent literæ, quibus Miſchnæ editio a *Suren-
610. huſio* adornata examinatur. Ubi laudata editoris induſtria &
inſtituto, deſcripta univerſi operis facie, judicium paullo incle-
mentius fertur, *Surenhuſium* nempe ſcriptorem barbarum eſſe,
interpretem negligentem, nec Criticum meliorem. Quod vi-
tium frequentiori commercio cum Judæis adſcribit. Quoni-
am vero eædem hæ literæ, idemque judicium in Commentariis
literariis, Trevoltii anno 1710 menſe Martio editis, p. 526,
totidem verbis exſtat, clare inde intelligitur, P. E. Soucietum,
Jeſuitam Gallum, harum Diſſertationum Autorem eſſe.

THEO-

Digitized by Google

THEODORI HASÆI DE ΟΝΟΛΑΤΡΕΙΑ, *Sive de calumnia cultus aſini a Gentilibus olim Judæis & Chriſtianis impacta Diatribe. Accedit JO. BAPT. OTTII de eodem argumento Epiſtola.*

Erfurti & Lipſiæ, ſumtibus P. C. Ehrts, 1716, 4.

Pl. 13.

DE memoratæ calumniæ origine & occaſione, in qua inveſtiganda multum laboris conſumſere Viri doctrina & ingenio clariſſimi, præſens emittere opus jam A. 1708 induxerat Max. Rev. ac doctiſſimus Autor, cum adhuc in Hanovienſi Athenæo munere Profeſſoris Philologiæ fungeretur. Eo enim anno primum hujus Diatribes Caput ſub diſputationis titulo publicavit, quam recenſeri meminimus in *Novis literariis* Hamburgi A. 1709 publicatis p. 202. Sed ex eo tempore in urbem patriam, Bremam, revocatus, hoc demum anno amicorum precibus id dedit, ut inchoatam telam pertexeret, totumque argumentum ſuis numeris abſolutum & quatuor digeſtum in capita publici juris faceret.

Cap. I hiſtoriam hujus criminationis perſequitur, adductis ipſis Joſephi, Taciti, Plutarchi, Diodori Siculi, Suidæ, (Strabonem enim putat falſo a nonnullis hanc in rem citari teſtem,) verbis diſertiſſimis. Nec ea veterum loca ethnicorum omittit, in quibus obſcurius illam calumniam renovarunt. Igitur Juvenalem producit ac Petronium, apud quos culti ab Judæis *cilli*, id eſt, aſini fiat mentio. Aſſentitur etiam Iſaaco Voſſio, qui celebratum illum Martialis *Anchialum* transmutavit in *angarium*, id eſt, aſinum: & vexatiſſimum illum locum Flori lib. III cap. 5 ita corrigit: *ſub aureo ſitum* (vel *quidem*) *cillo*. Atque adeo Cl. Haſæus in utroque loco, & Martialis & Flori, contineri putat illam de cultu aſini calumniam Judæis intentatam. Hinc ad Chriſtianos pedem promovet, quibus eandem aſini adorationem tributam olim fuiſſe, Minucii Felicis, Tertulliani & Origenis teſtimoniis manifeſtum facit. Quod ad tempus attinet, quo primum hæc calumnia nata eſt, Max. Rev. Autor ſatis vero

ſimile reddit, ortum hujus mendacii in illud incidere tempus, quo Pompejus Hieroſolyma capta templum intravit.

Cap. II Judæi pariter ac Chriſtiani ab objecto ὀνολατρείας crimine liberantur. Oſtendit ſcilicet doctiſſimus Autor, Judæorum religionem, cujus ipſi ſint tenaciſſimi, a cultu aſini prorſus abhorrere: idque ipſorum ethnicorum teſtimoniis confirmat. Contra apud ethnicos in honore fuiſſe aſinos docet, quippe quorum frequens uſus in ſacris. Aſinos immolari ſolitos Apollini, Marti, &c. Ægyptios adoraſſe aſinum: & quæ alia docte in hanc rem ex vetuſtis monumentis collecta hic exhibentur. Subnectit varia documenta, quibus probat, & Chriſtianis iis, qui Catholicorum appellatione a ceteris ſectis ſe diſtinguunt, magno in pretio fuiſſe aſinos, e. g. Romæ monſtrari inter ſacras reliquias caudam aſinæ Bileami.

Cap. III variæ doctorum Virorum de hujus dicterii origine conjecturæ recenſentur juxta & expenduntur. Eſt autem ingens earum opinionum numerus, quarum Autores ſuos quisque nacti ſunt aſſeclas, Fullerus, Rivetus, Gaffarellus, Seldenus, Tanaq. Faber, Bochartus, Steph. Morinus, Jaquelotus, Wagenſeilius, Carpzovius, Steph. le Moine, Iſ. Voſſius, &, cujus hac de re Epiſtola infra comparet, Cl. Ottius, Profeſſor Tigurinus. Singulas has conjecturas Autor noſter modeſte examinat, cauſasque, cur ſubſcribere earum nulli queat, profert.

Cap. IV ſuam Cl. Autor conjecturam de calumniæ iſtius origine producit, ſimulque, quomodo ad Chriſtianos illa derivata ſit, oſtendit. Videas hic & ubertatem ingenii, & maturitatem judicii. Namque adeo felix in conjecturando eſt, ut decem nondum ab aliis prolatas conjecturas proferat, quæ fabulæ iſti locum feciſſe videri poſſint: at eas ipſe repudiat omnes, aliamque affert ſententiam, quæ ipſi videtur veriſſima. Putat ſcilicet, occaſionem calumniæ huic dediſſe *lapidem fundamenti*, (אבן שתיה) de quo nuper ſingularem diſſertationem emiſit, in qua docet, lapidem illum poſitum fuiſſe in ſacratiſſimo templi Hieroſolymitani penetrali, eique ſuperimpoſitam olim fuiſſe arcam fœderis; ſed in ſecundo templo, cum arca fœderis eſſet ſublata, hoc tamen ſaxum trium digitorum altitudinem æquans ibi

ibi remanſiſſe, inſcripto nomine Dei ſanctiſſimo יהוה. Ratio autem effingendi hinc Divi Aſini hæc Noſtro fuiſſe videtur. Notum eſt, Judæis nefas fuiſſe, nomen illud Dei ſuis efferre literis. Quare ſolebant id vel ſimpliciter vel addito quodam epitheto vocare שם, *nomen:* uti etiamnum Samaritani nomen illud pronuntiant *Schima*, quod ipſi in literis ad Jobum Ludolfum datis faſſi ſunt. Ex hoc nomine, judice Noſtro, facile fieri potuit *Aſchima* & *Aſima*, quæ vox diſerte olim, ſi fides AbenEſræ, in Bibliis Samaritanis Geneſ. I, 1 legebatur pro *Elohim*. Porro apud Hebræos pariter ac Græcos, quicquid aliis rebus fundamentum præbet, cui innitantur, *aſini* nomen gerit. Sic *Aſinus lecti* Hebraico ſermone vocatur lignum illud, cui lectus imponitur. Denique apud Græcos ὄνος non ſolum *aſinum* ſignificat, ſed etiam *lapidem grandiorem:* imo & Romani præcipuum molare ſaxum vocabant *aſinum*. Jam Autor his in ſummam collectis ita cenſet. Dum in templo Hieroſolymitano interius penetrale tam ſanctum haberetur, ut intrare illud liceret nemini præter ſummum Pontificem, qui tamen nec ipſe niſi ſemel ſingulis annis eam poteſtatem habebat, Romani milites una cum Pompejo Hieroſolymæ verſantes, haud dubie, pretioſiſſima quæque in illo penetrali aſſervari, ſibi perſuaſerant. Aſt cum in ſacrarium iſtud irrupiſſent, nihil quicquam ibi videntes præter ſaxum quatuor inſcriptum literis, non potuerunt non interrogare Judæos, quodnam Numinis, cui hæc eſſent ſacra, nomen eſſet: quibus Judæos pro more ſuo reſpondiſſe credibile eſt: השם, vel אשימה. Quærentibus porro Romanis militibus, quid illud ſibi ſaxum vellet, ad quod precantes faciem converterent & manus, reſponderunt, impoſitam illi fuiſſe arcam, illamque ipſam vocatam eſſe *Haſchem* vel *Aſchima*. Denique interrogantes Romanos, quid quatuor illæ literæ ſignificarent ſaxo inſculptæ, pariter docuere Judæi, illud eſſe Dei nomen, & legi *Haſchem* vel *Aſchima*. Facile hinc factum eſſe putat Cl. Autor, ut Romani milites has voces vel minus recte intelligentes, vel malitioſe cavillantes, interpretarentur de *Aſina*, quaſi hoc Judæorum Dei nomen eſſet. Addit, & hoc accidere potuiſſe, ut milites illi, quid in ſacrario viderint, rogati reſponderent, ſe ὄνον ibi vidiſ-

vidiſſe, id eſt, *lapidem;* idque alii caperent de *aurita beſtia.* En ſententiam Cl. Haſæi, quæ Autori ſe ſuo eo magis probat, quod diverſæ ethnicorum hac de re narrationes inde commode reſol-
p. 84. 85. vi poſſunt omnes, ut §. 17 hujus poſtremi capitis oſtenditur, quem deſcribi brevitas noſtra vetat. Ceterum quomodo hæc imputatio a Judæis translata ſit ad primi ævi Chriſtianos, Cl. Autor commonſtraturus, urget primo affinitatem utriusque religionis: ob quam factum, ut Chriſtiani ac Judæi primis temporibus haberentur iidem ab ethnicis. Deinde oſtendit, in ſacris Gnoſticorum, ſpeciatim Ophianorum, occurriſſe nomina ὄνος & ὀνοήλ: quæ videtur occaſio fuiſſe, illam fabulam confirmandi. Denique auctum illum rumorem ex eo putat, quod Chriſtus *aſino* inſediſſe legatur, eaque res a propheta prædici meruerit, & iſta hiſtoria imaginibus expreſſa paſſim conſpiceretur in Chriſtianorum domibus, teſte Athanaſio.

Finitam ſic Cl. Haſæi Diatriben excipit Epiſtola Cl. Ottii, contendentis, calumniæ illius fundamentum reperiri in hiſtoria de columna nubis & ignis. Eſt, inquit, nubes *aſinus*, ignis *aurum*, gloria Dei inter Cherubinos *aureus aſinus penetrali ſacratus.* Scilicet arbitratur, nomen עָנָן, quo Hebræi *nubem* vocant, quodque ſono fere convenit cum Græco ὄνον, occaſionem præbuiſſe mendacio: cumque nubes illa dux viæ præiverit Judæis ex Ægypto egreſſis, hinc ortam eſſe narrationem de aſino, qui aquæ fontem Judæis monſtraverit. Quando vero ethnicorum hiſtorici tradidere, *aſinum aureum* in ſacratiſſimo templi loco fuiſſe repoſitum, Cl. Ottius id explicandum eſſe negat de externa aliqua figura, cum Tacitus teſtetur, vacuum omnino illum locum fuiſſe; ſed de gloria Dei inter Cherubinos ſedentis id capit, utpote quod præſentiæ divinæ ſignum luce ſua & ſplendore igni ſimile, nubeque circumdatum fuerit. In ſuæ conjecturæ confirmationem illud quoque urget, quod in illo penetrali omnia eſſent aurea, arca aurea, aureum propitiatorium, aurei Cherubini, aurei parietes. Quod ſi quis objiciat, hæc non extitiſſe in templo ſecundo, in promtu eſt reſponſio, ſarcaſmos gentilium reſpexiſſe ad ſtatum templi prioris.

AN-

Digitized by Google

ANDREÆ RUDIGERI, PHIL. ET MED. D. Phyſica divina, recta via eademque inter Superſtitionem & Atheiſmum media, ad utramque hominis felicitatem, naturalem atque moralem, ducens.

Francofurti ad Mœnum, typis Matthiæ Andreæ, 1716, 4. Alph. 5 Tabb. æn. 9.

CUm Cl. Autori nulla hypotheſium phyſicarum hactenus receptarum phænomenis naturæ ſatisfacere, immo philoſophia mechanica ad Atheiſmum, Ariſtotelica ad Superſtitionem ſeducere, neutra prudentiæ circa ſanitatem inſervire videatur; de novis principiis cogitandum eſſe arbitratur, quæ cum experientia melius conſentiant. Siſtit itaque ad rectius explicanda Naturæ phænomena duo elementa, *ætherem* & *aerem*, & duplicem ſpiritum, *animam* & *mentem*. Diverſus vero eſt *aer* iſte *elementaris* ab atmoſphærico, conſtans ex opinione Noſtri bullulis, quæ facultate motus a peripheria ad centrum ſeu contractivi gaudent. *Ætherem* conſtituunt particulæ radiantes, quæ facultate motus a centro ad peripheriam ſeu expanſivi pollent. *Spiritus* eſſentiam in genere in intellectione ponit Cl. Autor; in ſpecie autem naturam *mentis* in intellectu activo, *animæ* in paſſivo conſtituit. Ex utroque elemento componitur *Corpus inanimatum*, quod cum utrumque motum, cum contractivum, tum expanſivum participet, eſſentiam ejus in facultate elaſtica poſitam eſſe ait. Ad *corpus animatum* inſuper accedit ſpiritus; ad plantas quidem anima ſola; ad animalia vero nobiliora atque hominem anima cum mente. Ex his principiis Noſter nova prorſus ratione phænomena naturæ explicat. Notat vero præterea duo ratiocinandi vitia a Philoſophis mechanicis hactenus admiſſa, nimirum quod 1 ratiocinationem mathematicam cum philoſophica, & 2 poſſibilitatem cum probabilitate confundere ſoleant. Ratiocinationem mathematicam a philoſophica tota ſua natura diverſam eſſe arbitratur. Utriusque discrimen & olim in tractatu de ſenſu veri & falſi aſſignavit, & nunc quoque attingit: quod mox apertius ediſſeremus. Ceterum vitiis his notatis appariturum confidit, quod vix decima

Digitized by Google

pars phænomenorum naturæ ex principiis mathematico-mechanicis poſſit deduci. Qui enim de mechanicis hactenus ſcripſerint, mechaniſmum concepiſſe modo mathematicum, phyſicum haud attigiſſe, qui tamen longe plures in vera phyſica faciat paginas, quam mathematicus. Novum hoc opus phyſicum in tres dividitur libros. In primo de principiis generalibus, in ſecundo de principiis ſpecialibus cœli, in tertio de principiis ſpecialibus, terræ & rerum, quas ea continet, tractatur. Singula uniuscujusque libri capita triplex habent argumentum: nempe 1 opiniones *Ariſtotelis*, *Carteſii* atque *Gaſſendi* ita recenſentur, ut ſimul addantur rationes, cur ab iis diſcedendum ſibi eſſe judicaverit Noſter: 2 hypotheſis Cl. Autoris principiis ante commemoratis conformis proponitur: 3 hujus hypotheſeos uſus adverſus ſuperſtitionem & atheiſmum, nec non in prudentia circa Sanitatem indicatur, tum quod hoc ævo adverſus phyſicam mechanicam hoc maxime pharmaco opus eſſe credat, tum quod ſibi perſuadeat, non aliunde ſine petitione principii atheiſmum refutari poſſe ex lumine naturæ, tum denique quod hicce uſus univerſalis ſit veræ phyſicæ præter alios multos particulares, quos præſtet. Nos miſſis iis, quæ de *Ariſtotelis*, *Carteſii* atque *Gaſſendi* philoſophia notantur, & inſuper habita generali ſingulorum capitum recenſione, ea uberius proponemus, quæ Autori propria ſunt. Dum hiſtoriam emendationis Phyſices adornat, *Carteſium* cum aliis Philoſophis carpit, quod ratiocinationem mathematicam cum philoſophica confuderit: quam confuſionem *nocentiſſimam* appellat nihilque ſolidi in phyſicis unquam præſtari poſſe, niſi ea ſublata, pronunciat. Præter differentias, quas lib. 2 c. 4 in Tractatu de ſenſu veri & falſi primus & hactenus ſolus aſſignavit, nunc quidem ſequentes addit: 1 quod Philoſophi a ſenſione, Mathematici a poſſibilitate initium ducant, unde & objectum Matheſeos ſit ens poſſibile, philoſophiæ autem ens reale: 2 quod Philoſophi cauſas & modos rei conſtitutæ per definitiones ſuas aſſequi tentent; Mathematici quomodocunque conſtitutæ quantitatem æſtiment & ſic poſſibiles quoque definitiones ſumant, unde in Philoſophia nihil realiter concludatur: 3 quod Philoſophorum divi-

Digitized by Google

diviſiones ordinario ſint genus & ſpecies; Mathematicorum totum & partes: 4 quod Mathematici peculiaria habeant axiomata, quæ objectis philoſophicis applicari nequeant, v. gr. quod omnis [illegible]tatio ab aliqua cauſa exteriore procedat, quod in phyſica [illegible]iſſimum eſſe vel ſolæ bombycis mutationes oſtendant: 5 quod Mathematici propriam quoque habeant idearum claritatem & diſtinctionem, quæ nempe ſit individuorum, quemadmodum claritas & diſtinctio philoſophica abſtractorum: 6 quod Mathematicorum modi ſint varii, quia tantum poſſibiles; in Philoſophia vero unius rei nonniſi una cauſa, unus modus &c. Phyſicam Noſter definit, quod ſit doctrina, qua probabiliter cognoſcimus, quibus principiis, primo ſaltem intuitu inſenſibilibus, Deus in conſtituenda natura ſenſibili ſit uſus, ut, ſi quid rerum naturalium tractemus, prudenter circa illud verſari atheisque & ſuperſtitioſis maſcula ſoliditate occurrere poſſimus. Monet autem principia nonniſi Phyſicæ probabilia eſſe; concluſiones ex iis ratione demonſtrativa erui. Principia Phyſicæ ſtatuit *divina*, hoc eſt, talibus qualitatibus prædita, quas nec a ſemetipſis, nec ab ulla alia finita creatura, ſed a ſolo Deo nanciſci potuere, adeoque homini incomprehenſibilia quoad modum dependentiæ a ſua cauſa, quippe quorum non alia ratio quam omnipotentia divina a nobis dari poteſt. His ergo principiis cum utatur, *Phyſicam* ſuam *divinam* vocare voluit. Atque hujus Phyſicæ uſum præclarum eſſe contendit in profligando Atheiſmo, ad quem animum valde incliuet mechaniſmus mathematicus. Vocat autem *mechaniſmum mathematicum* conſtitutionem rei per figuram & motum, eique opponit *phyſicum*, quem conſtitutionem rei per ætherem & aerem appellat. Rationem aſſertionis hanc reddit, quia vi mechaniſmi mathematici omnia ſunt a figura & motu: quæ cum materiæ eſſentialia ſint, ut ea poſita ſimul ponantur, non opus eſt ut ab alia cauſa introducta concipiantur, neq; adeo divinitatem ullam arguunt, materiam enim ſumi poſſe æternam, quia in ea nil deprehenditur, quod aliunde habeat. Quodſi mechaniſmo accedat methodus mathematica, non ſolum perire cenſet argumenta exiſtentiæ Dei, ſed & contraria cudi. Rationem hanc addit, quod

 doctri-

doctrina de exiſtentia Dei ſit philoſophica, & adeo methodo mathematica æque tractetur abſurde, ac ſi ſartor forfice ſcrinium velit concinnare. Exemplo probat *Spinoſæ*.

Diximus ſupra, Cl. Autorem duo tantum ſtatuere elemen[illegible] *ætherem* atque *aerem*, quorum ille motu expanſivo, hic con[illegible]ctivo gaudet. Cum enim duplex in corpore obſervetur motus, expanſivus nempe atque contractivus, quorum hic iſti contrarius; unumquemque peculiare habere debere ſubjectum, adeoque unumquodque corpus conſtitui ex duabus ſubſtantiis, quarum altera expanſionis altera contractionis cauſa ſit. Priorem eſſe eam ipſam, quæ a Sole emittitur, probat, quia radiis ſolaribus expoſita corpora expanduntur, paucis exceptis, quæ expanſionem non admittunt. Poſteriorem eſſe aerem, hinc apparere putat, quia aer contrahitur, radiis ſolaribus ſubductis. Eum vero ex terra eodem veluti modo exurgere, ſicut æther ex Sole profluit. Sunt adeo ipſi duo corporum mundi totalium genera, planeta atque fixa, duo veluti elementorum maria. Ceterum ſua principia Moſi quoque probari arbitratur, dum Deum ab initio cœlum, h. e. ipſo interprete ætherem, & terram, hoc eſt aerem, creaſſe affirmat. *Ætherem* nihil aliud eſſe ait quam minimam quandam particulam radiantem, quæ imaginem Solis exprimat, hoc eſt, a centro ad peripheriam radios undiquaque protendat: aerem vero eſſe bullulam, quæ a peripheria ad centrum nitatur. Atque ideo ætherem vocat *particulam radiantem;* aerem vero *bullulam*. Particulas illas radiantes ipſis oculis conſpici, ſi conjiciantur in partem antimonii crudi foco vitri cauſtici expoſitam, antequam fumus emittatur: bullulas in conſpectum prodire non ſolum in ebullitione aquæ, ſed & plerisque ſolutionibus, Mercurii præſertim in aqua forti. In his elementis ſuis præter motum inteſtinum, de quo diximus, alium adhuc agnoſcit, quem *regreſſivum ad chaos ſuum*, ætheris nempe ad Solem ſeu fixam, aeris ad terram ſeu planetam appellat, & motum ætheris regreſſivum cauſam levitatis, motum vero aeris regreſſivum cauſam gravitatis aſſignat. Hunc motum impediri ab unione elaſtica, ita ut nec grave, nec leve ſit, quod unitum eſt, quemadmodum nec aqua in aqua, nec aer in

aere

aere, nec ullum fluidum in homogeneo gravitet. Materiam elementorum ita factam eſſe a Deo, ut in ſe redire & extra ſe iterum evolvi queat, veluti uteri animantium, eique inditum eſſe ab eodem Architecto ſummo *tonum* aliquem, qualem Medici in fibris partium imaginantur, vi cujus non ſolum ab aliis moveri poſſint elementa, ſed & ſeipſa quoque movere. Differre autem moleculas elementares viribus: unde *nobiliores* vocat, quæ alias antecellunt; *ignobiliores*, quæ cedunt aliis. Bullulas omni æthere privatas *terram* fieri, ſubſtantiam inertem, obſcuram & nulla magnopere qualitate conſpicuam. Quatuor oriri temperamenta per ætheris & aeris nobilioris atque ignobilioris combinationem: *ſangvineum* ſcilicet conſtituere ætherem & aerem nobiliorem, *phlegmaticum* ætherem & aerem ignobiliorem, *cholericum* ætherem nobiliorem & aerem ignobiliorem, *melancholicum* aerem nobiliorem & ætherem ignobiliorem. Spiritus exiſtentiam in corporibus organicis probat, quia ab eo corpus organicum formatur, cujus ſtructura omni mechaniſmo ſuperior ſit. Negat enim in ſemine latere plantæ futuræ ſtamina ſeu lineamenta, quæ, cum planta creſcit, tantum explicentur, quia ſemen inverſo ſitu terræ commiſſum non radices extra terram emittit & folia verſus inferiora intra eandem protrudit: quod argumentum Noſtro apodicticum videtur, cum plantæ extra terram elationem in hoc ſeminis ſitu legibus mechanicis adverſam credat. Recte autem ſpiritum h. e. ſubſtantiam intelligentem diſtingui, quemadmodum ſupra notavimus, in mentem & animam, hoc modo evincit. Intelligere idem eſt ac ideas recipere: ſubſtantia, quæ ideas recipit, aut eas ulterius componit & dividit, aut nullam in eas activitatem exerit, ſed ſaltem ſecundum eas agit. Illa igitur activo, hæc paſſivo tantum intellectu gaudet. Illam Noſter *mentem*; hanc *animam*, aut niſi nomen horreas, *Archeum* vocat. Dari in anima vim abſque organis conſuetis ſentiendi, exemplo noctambulonum probat, qui clauſis oculis & dormientes vias optime diſcernunt. Eidem quoque tribuit vim divinandi præſentia, quia conſtat, matrem ſæpius filii abſentis mortem eodem die, immo eadem hora, qua obiit, ita percepiſſe, ut ſingulari triſtitia fuerit afflicta.

 Du-

Digitized by Google

Dubitat tamen, an ad præterita & futura ſeſe extendat, quoniam animam memoria & ſignis deſtitutam cenſet, quorum illa ad præterita, his ad futura percipienda opus ſit. Horum principiorum uſum in reconditis aliquot naturæ phænomenis explicandis commonſtrat, qualia ſunt diverſitas ſexus in animantibus, animalia ex diverſis ſpeciebus generata, monſtra ex Sodomia enata, latratus & hydrophobia a cane rabido demorſorum, inſecta in ventriculo nata &c. Mentem duplicem diſtinguit, *humanam* & *brutalem*: illa memoria, ingenio & judicio pollet; hæc vel ſolam memoriam habet, qualem in plerisque brutis agnoſcit, vel memoriam ingenio junctam, qualem ſimiæ tribuit. Inſecta intermedium genus inter plantas & animalia eſſe cenſet, cum illis enim ratione ſpiritus ſui, cum his ratione corporis conveniunt, judice Noſtro. Similiter Mentes ſeparatas, h. e. nulli corpori junctas, in duas ſpecies diſtinguit, quarum aliæ ſola memoria præditæ ſunt, aliæ inſuper ingenio & judicio pollent. Illas *Dæmones*, has *Angelos* vocat. Tales dæmones eſſe virunculos metallicos atque domeſticos, quorum exiſtentiam *Agricolæ*, *Kircheri* & *Schotti* autoritate probat, quosque e diabolorum ſeu angelorum malorum numero eximit, quia nunquam ad peccatum homines irritant, quod diabolo naturale. His denuo utitur ad abdita quædam Naturæ phænomena, veluti de veneficis & ſagis, de ſignaturis, de energumenis, de ſpectris &c. explicanda. Suffecerit nobis annotaſſe, quod ſpectra, judice *Noſtro*, poſſent eſſe animæ demortuorum, quas non ſtatim cum corpore perire, ſed mente ab eadem ſeparata ſubtili corpore veſtitas adhuc aliquandiu circa corpus vagari arbitratur. Probat, quia ſpectra lumen fugiunt, quod ſubtiliſſima ipſorum corpora ita expandat, ut ipſis ægre fiat, atque hinc media nocte comparent & (quod exemplo domeſtico probat) in mediis tumultibus repente ſilent, ſi cum candela accenſa accedas. Huic etiam animæ cum ſanguine unitæ & ira exacerbatæ, immo occiſorem corporis ſui veluti invaſuræ tribuit, quod occiſi corpus ad præſentiam interfectoris ſanguinem fundat. Mittimus alia, quæ ad uſum medicum ex principiis ſuis deducit, viſuri adhuc, quomodo ex æthere & aere invicem permixtis prodeant corpo-

ra.

Digitized by Google

ra. Craſin ergo corporum explicaturus notat, alia unam habere bullulam cum pluribus particulis radiantibus, alia plures; inter hæc quædam vel unam intra ſe continere particulam radiantem, vel plures, easque vel ignobiliores, vel nobiliores, vel utriusque ſpeciei particulas ſimul. Bullulas ita ſibi invicem applicari, ut alia aliam involvat. Ignobiliorem non eſſe capacem ætheris nobiliſſimi, quia expanſioni reſiſtere nequit adeoque rumpitur. Ex eadem ratione bullulam non admittere ſuſpicatur plures particulas nobiliores, licet plures ferat ignobiliores. Unionem corpuſculorum fieri, quod radii unius particulæ tendant extra bullulam ſuam in ſpatia vacua bullæ alterius, ubi nempe minus reſiſtentiæ offendunt. Hanc unionem impediri, ſi altera bullula radios emittat breviores, altera longiores: cum enim longiores ad centrum perveniant minoris, antequam hujus radii alteram attingere poſſint, minorem ad majorem accedere non poſſe, quod ulterior progreſſus tollatur, cum ſi radius radio, tum ſi is centro bullulæ allidatur. Eodem modo Cl. Autor mixtionem, ſolutionem, præcipitationem, extractionem & fermentationem explicare tentat. Corporibus nullam concedit gravitatem & levitatem, quamdiu in proprio ſunt loco; ſed tum demum gravia vel levia fieri aſſerit, ſi in alieno fuerint loco absque unione, v. gr. quando aer in aqua eſt: in alieno enim fluido corpora ſequi motum illius elementi, quo fluidum antecellit, licet alias vi naturæ ſuæ eundem niſum & infra & ſupra exerat. Ita e. gr. aſſerem per aquam aſcendere, quod in aqua extra unionem ſit & plus in ſe habeat ætheris quam aqua. Ex elementis duobus nonniſi duo prodire corpora prima mechanica, *aerem* nempe *atmoſphæricum* atque *ignem*: in quorum illo aer elementaris, in hoc æther prædominetur. Conſtare nimirum aerem atmoſphæricum ex una bullula & una particula nobiliſſima, vel pluribus ignobilioribus, quia ſubtilior aliis fluidis. Atque hinc eundem tantæ eſſe elaſticitatis, quod una bullula expanſioni non adeo reſiſtat, quemadmodum plures. Vi principiorum ſuorum negat, aerem eſſe gravem, ſi cum ſimili aere conjunctus: negat conſequenter, quod per gravitatem aeris phænomena antliæ pneumaticæ aliaque recte explicentur. Experimen-

men-

mentum omni exceptione majus vocat, quo id probetur, quod veſica ſuillæ antliæ campanæ laxe circumligata non apprimatur ad eandem, dum aere educto campana firmetur. Ejusdem ponderis cenſet hanc rationem, quod in aere & in aqua ambulantes nullum ſentiant pondus. Alia igitur ratione phænomena iſta explicat, & barometra non aeris gravitatem, quæ nulla ſit, ſed bullularum nobilitatem & ignobilitatem indicare contendit. Calorem pariter ac frigus pro quodam ignis gradu habet & in motu conſiſtere negat. Acceſſione nimirum particularum æthereарum bullulæ fiunt calidæ, tandemque in ignem mutantur: quod inprimis in experimentis ſpeculorum & lentium cauſticorum manifeſtum eſſe notat. Cum adeo ex aere hac ratione fiat ignis; totum mundum igne periturum, ſi Deus omnem fixarum ætherem in atmoſphæras planetarum colligat. Cauſam peſtis conſtituit in bullulis aeris nobilioribus, quas anima œconomiæ animali inimicas ſentiens omni niſu ſtudioſe ab humoribus noſtris arcere ſoleat; ſed tum decepta admittat, ubi animali æthere eas impprægnari contingat. Omnia principia corporum ad quatuor claſſes revocat & hac ratione diſtinguit. *Mercurium* eſſe corpora fluidiſſima & inviſibilia unica bullula conſtantia; *aquam* fluida viſibilia ex duobus bullulis compoſita: *ſalem* corpora ſolida ex tribus & *ſulphur* ſolida ex quatuor compactis: neque enim ullam hactenus ſibi apparere rationem cenſet, cur corpus aliquod ex pluribus quam quatuor bullulis componat. Species diverſæ prodeunt ex diverſa cum æthere combinatione. Nimirum ſi bullula nobilior conjungatur cum particula una nobiliori, prodibit *frigus*; ſi cum pluribus ignobilioribus, *vapor*; ſi cum nobiliore & ignobiliore, *ignis*; ſi bullula ignobilior cum pluribus particulis ignobilioribus uniatur, *aer atmoſphæricus*. Atque has quatuor Mercurii ſpecies ſtatuit, eumque unionis medium eſſe affirmat. Eodem modo ipſi quatuor phlegmatis ſpecies prodeunt, nempe 1 *Spiritus acidus*, ſi duæ bullulæ nobiliores cum una particula radiante nobiliore conjungantur; 2 *phlegma in ſpecie*, ſi pluribus particulis ignobilioribus, 3 *Spiritus ardens*, ſi uni nobiliori cum pluribus ignobilioribus, & 4 denique *aqua*, ſi duæ bullulæ ignobiliores plu-

pluribus ignobilioribus jungantur. Salium ſpecies ſex enumerat, 1 *ſal commune*, ex tribus bullulis nobilioribus & una particula radiante nobiliore compoſitum ; 2 *alcali*, præter illas plures ignobiliores particulas habens; 3 *Saccharum* inſuper particulam nobiliorem admittens: 4 *Terram* tres bullulas ignobiliores cum pluribus particulis radiantibus ignobilioribus jungentem ; 5 *Tartarum* easdem cum unica nobiliore combinantem; 6 *Sal volatile*, quod in tribus bullulis ignobilioribus particulam unam nobiliorem & plures ignobiliores admittit. Sulphurum itidem ſpecies ſex conſtituit, nempe 1 *vitrum*, in quo una particula radians nobilior quatuor bullulis nobilioribus accedit; 2 *ſulphur fixum*, in quo ſunt plures ignobiliores ; 3 *ſulphur inflammabile*, in quo ignobilioribus inſuper accedit nobilior ; 4 *Gummi*, in quo quatuor bullulæ ignobiliores plures particulas ignobiliores continent; 5 *reſinas*, in quibus nonniſi unam nobiliorem ; & 6 denique *Oleum*, in quibus nobiliorem cum pluribus ignobilioribus admittunt. Sequitur tandem doctrina de motu & ſpatio. *Motum* definit per translationem entis creati e vicinia unius in viciniam alterius: etenim & Spiritibus motum tribuit. A ſe ipſis moveri ſola principia prima, nempe particulam radiantem, bullulam aeream & ſpiritum: corpora moveri vel ab elemento prædominante, vel a ſpiritu; quieſcere, ſi elementa æquali vi ſibi invicem obnitantur. *Motum mechanicum* vocat, qui ab elementis oritur ; *idealem*, qui a ſpiritu. Mechanicum in phyſicum & mathematicum ſubdiſtingvit. *Phyſicum* appellat, ſi aptitudo materiæ ad motum eſt ab elementis; *mathematicum*, ſi ab organis. Inſufficientem adeo eſſe doctrinam vulgarem, quæ præter mathematico-mechanicum alium non norit, & tam phyſico-mechanicum, quam idealem inſuper habeat. Speciatim deinde diſſerit de gravium deſcenſu, motu pendulorum & projectorum, refracto & reflexo, voluntario & naturali. *Spatium* definit per ſubſtantiam, in qua exiſtunt ſubſtantiæ creatæ. Atque hinc idem diſtinguit in *corporale*, quod corporum receptaculum eſt ac *loci* fert nomen & *non corporale*, quod ſpirituum eſt. Porro ſpatium dividit in *vacuum* & *plenum*. Illud omni ſubſtantia creata deſtituitur; hoc eadem repletur.

Digitized by Google

Prolixiores fuimus in principiis Cl. Autoris explicandis, tum quia nova prorſus ſunt, tum ut Lectori de valore eorundem rectius judicare detur. Breviores itaque erimus in recenſendis iis, quæ Libro ſecundo & tertio continentur.

In ſecundo itaque Libro inter alia docet, fixarum ſubſtantiam componi ex corpuſculis, quæ bullula una nobiliore & tot particulis radiantibus, quot ignis, conſtant, hoc ſaltem cum diſcrimine, quod bullula ob nobilitatem ſuam non æque ac in igne rumpatur. Oriuntur maculæ, ſi corpuſcula plura ætherea duplici induta bullula ex atmoſphæris planetarum in fixas ſeu ſoles regrediantur. Motum vertiginis earundem immediate a Deo derivat. Stellas novas, ſed temporarias, qualis *Tychonis* tempore apparuit, pro fixis habet communiter a pluribus planetis oculo noſtro occultatis. Planetarum motum vertiginis radiis ſolaribus adſcribit non minus, quam motum translationis. Dum enim Sol circa proprium centrum movetur, planetas quoque, cum quibus radiis ſuis jungitur, ſecum rapere conatur. Cum autem ad infirmam quamvis progreſſionem velociſſime progredi nequeant; radii puncta attactus mutant ſicque totidem veluti ſtimulis circa proprium centrum pellunt. Antequam tamen contactum mutant, paululum tenduntur & aliquam ad localem motum impreſſionem largiuntur. Cometas aſtra mundo coæva cum *Petito*, *Caſſino* aliisque aſſerit; ſed de ſuo addit, quod ſint planetæ, qui circa proximas cœlo noſtro fixas tanto orbe volutentur, ut cœlum noſtrum certo tempore attingentes a radiis noſtri Solis illuſtrentur. Quomodo Noſter per duplicem in cometam irradiationem a Sole & noſtro, & ſuo factam geneſin caudæ explicet; ſine ſchemate intelligi nequit. Eidem cauſæ apparentiam annuli circa Saturnum adſcribit.

In Libro tertio, qui mole ceteros ſuperat, agit 1 de terra in genere, 2 de oceano, 3 de viſione, 4 de ſono, 5 de ſapore, 6 de odore, 7 de tactu, 8 de meteoris, 9 de lapidibus, 10 de plantis & 11 de animalibus. Terram ſtatuit planetam, qui in centro ſuo habeat oceanum veluti quendam aereum, cujus aer per partes terræ alterutras, vel ſeptentrionales, vel meridionales undique evagetur, & per oppoſitas, prout Sol vel infra, vel ſupra

Digitized by Google

pra æquatorem conſtitutus eſt, ad oceanum hunc centralem redeat. Et hinc magnetis phænomena explicat. De viſione dum agit Autor, totam quandam novam Opticam componit: neque enim ſolum reflexionem & refractionem radiorum ex natura particularum ſuarum radiantium, ſed & viſionem nova prorſus ratione explicat. Singulis particulis radiantibus octodecim radios attribuit, octo horizontales, duos perpendiculares, & quatuor obliquos ſuperiores totidemque inferiores, ut hypotheſi ſerviant, qua luminis productionem,propagationem, reflexionem & refractionem illuſtrare ſtudet. Viſionem in oculo fieri negat, nec in oculo vivo perinde ac in mortuo objectorum imagines delineari concedit. Viſionem nec per immiſſionem,nec per emiſſionem, ſed per retorſionem radiorum fieri contendit, dum ſcilicet radii ex oculo emiſſi retorquent radios ab objecto ad oculum adventantes, quia duobus oculis nonniſi ſimplex videmus objectum, in debita diſtantia & magnitudine ſituque erecto. Viſionis refractæ & reflexæ cauſam allegat non refractionem & reflexionem radii ab objecto in vitrum & ſpeculum incidentis; ſed refractionem & reflexionem radii retorſi per vitrum & ope ſpeculi ad objectum. Sonum eſſe commotionem aeris negat, quia per vitrum penetrat, per quod aer penetrare nequit, ſed ſolus æther. Ipſe igitur ut explicet, quomodo ſonus percipiatur, ſupponit ex aure emitti auram quandam & ſeries quasdam conſtituere, quas *acuſticas* vocat. Cum particulis radiantibus harum ſerierum unitam eſſe mentem, & hinc ſentire motum particularum radiantium atque bullularum atmoſphærulæ & Mercurii objectorum ipſis obviarum. Saporem definit,quod ſit certa quorundam corporum conditio, qua cum ſaliva linguæ elaſtico motu conjungi poſſint & hoc ipſo papillulas pyramidales,quæ in bullulas ſalivales eriguntur, movere, perque has mentem afficere, ut ſaporem corporum percipiat & diſtinguat.Odorem vero proprietatem dicit eorum corporum, quæMercurio & atmoſphæra tali gaudent, ut ejus corpuſcula reſpiratione in nares promota particularum ſuarum radiis attingant centra ſpirituum in dictarum narium membrana hoſpitantium. Tactum denique ait eſſe proprietatem corporum, quæ dura ſatis ſuper-

Digitized by Google

ficie & magnitudine tangant papillulas pyramidales poris reſpondentes, unde pro diverſitate attactus diverſum ab anima judicetur adeſſe corpus. Ventus ipſi eſt commotio aeris atmoſphærici orta a varia ejus expanſione & contractione elaſticis motui Solis præcipue debitis: tempeſtas vero commotio aeris atmophærici orta a novi aeris ex vaporibus facti acceſſione, qua ille propellitur. Concedit enim, ex aqua verum aerem fieri poſſe, quia aqua ab aere differt, quod illa duplici, hæc unica bullula conſtet. Tonitru cum fulgure contingere putat, quando plures nubes ita ſunt conſtitutæ, ut radios a Sole acceptos in unum aliquod nubis punctum reflectant. Stellas cadentes, dracones volantes, capras ſaltantes & his gemina meteora pro excrementis aeris ſuperioris habet. Vocat autem excrementa corporis fluidi corpuſcula heterogenea, ſibi invicem homogenea, majora vel minora quam corpuſcula fluidi. Metalla ait eſſe mineralia quinque bullulis particulam nobiliorem foventibus conſtantia & Mercurio particulam pariter nobiliorem continente unita: mineralia ſpecialiſſime ſic dicta conſtare itidem quinque bullulis, quæ ignobiliores ſolum particulas fovent, & Mercurio particulas pariter ignobiliores continente uniri: lapides eſſe quoque minera ſeu corpora quinque bullulis conſtantia, ſed eorum corpuſcula abſque interveniente Mercurio immediate connecti. Lapides figuratos corpora intermedia eſſe cenſet inter lapides atque plantas & animalia, quorum referunt figuram. Quod plantis animam tribuat, ſuperius jam diximus: iisdem vero etiam vitam tribuit, quam vocat animæ operationem in corpus organicum nutritioni & conſervationi corporis dicatam. Unde facile colligere licet, qualia ſint ea, quæ de generatione & nutritione plantarum a Noſtro proferuntur. Id tantum notare lubet, quod etiam plantas ſponte, hoc eſt, ſine ſemine naſcentes admittat. In œconomia quoque animali plurima animæ tribuit, totam inprimis fœtus formationem. Sanguinis elaborationem quinque proceſſibus abſolvi putat, ex chylo nempe fieri lac, ex lacte ſalivam, ex ſaliva lympham, ex lympha bilem, ex bile ſanguinem, qui poſt nutritionem iterum in Salem reſolvatur & ſic per urinam & ſudorem e corpore ejiciatur.

Fun-

Digitized by Google

Fundamento quinque illorum proceſſuum inniti arbitratur dies criticos, quod lac primo, ſaliva tertio, lympha quinto, bilis ſeptimo & ſanguis nono die perficiatur.

RELATIO DE PHÆNOMENO LUMINOSO, quod d. 17 Martii Anni præſentis in multis Germaniæ locis obſervatum.

MUlta de hoc phænomeno Novellæ publicæ nunciarunt: quarum fide conſtat, id non modo in multis Germaniæ locis, veluti hic Lipſiæ, Halæ Saxonum, Halberſtadii, Brunswigæ, Helmſtadii, Bremæ, Hamburgi, paſſim in Holſatia & in Pruſſia; verum etiam Lugduni & Amſtelodami in Batavia, & Londini in Anglia obſervatum fuiſſe. Quoniam phænomenon his in oris rariſſimum; operæ pretium nos facturos eſſe confidimus, ſi, quæ certa obſervatorum fide nitentia ad nos pervenerunt, ad poſteros transmitteremus.


Lommacio itaque Miſniæ oppido Cl. *Schmiderus* ſequentia ad nos perſcripſit. Die decima ſeptima Martii tempeſtas erat conſtanter procelloſa, uliginoſa atque pluvioſa, ſpirante ſuperius Favonio, inferius autem Africo. Cœlo adveſperaſcente nubes disjiciebantur cœlumque maximam partem defæcabatur, exceptis nonnullis nubibus denſis, horizontem borealem conſtanter occupantibus. Sol ſub Horizontem jamjam depreſſus per notabile temporis ſpatium ingentes & præfulgidas poſt ſe relinquebat coloris aurantii virgas, manifeſto indicio, aerem ſupremum copioſis vaporibus varii generis eſſe refertum. Hora octava virgæ hæ ſenſim langueſcebant tandemque evaneſcebant, quarum in locum paulo poſt ſplendor inopinatus inſignis arcuatus albicans ſuccedebat, qui initio tenuis erat, ſenſim autem ſenſimque augebatur atque ab intermedia plaga N. W. per univerſam borealem usque fere ad intermediam N.O. protendebatur, Lunæque jam exorituræ præmiſſum jubar exacte æmulabatur. Primo intuitu a quibusdam hic ſplendor pro lumine Solari nondum penitus ſub Horizontem depreſſo habebatur; ſed incrementum mox contrarium docebat. Quidam, ob ruborem, qui paulo poſt huic ſplendori accedebat, primo opinabantur, incendium forſitan in vicinia fuiſſe coortum; ſed mox refuta-

Digitized by Google

bantur, cum lumen hoc magis magisque ſupra Horizontem attolleretur, tanto cum fulgore, ut terram circumjectam omnem ædiumque parietes notabiliter colluſtraret, iisque, quibus phænomenon adhuc erat incognitum, in plateis ambulantibus Lunæ
TAB. III. Fig. 1. ſplendentis opinionem injiceret. Paulo poſt elevabantur nubes atræ C, infra quas ſplendor hic fumo & nebulæ quaſi commixtus nonnihil obſcurior apparebat: ſupra eas autem adeo nunc fulgebat, ut certe non Lunæ, ſed Solis potius ortum æſtivum exprimeret. Accedebat creber luminis hujus motus undulatorius, ſimilis propemodum ei, quem referunt æſtate frumenti ariſtæ a vento agitatæ, nec non micatio continua, qualis itidem æſtate ea nocte obſervatur, quæ æſtum diurnum vehementiorem excipit. Poſt nonam vento inferiori e plaga intermedia inter meridiem & occidentem, quam noſtri *Sudweſt* appellant, ſuperiore autem e plaga occidenti quam meridiei propiore, *Weſtſudweſt*, impetuoſe ſpirante, ex nube atra verſus occidentem ſtriæ nigerrimæ D ſcoporum ad inſtar una cum nubibus F fuliginoſis naſcebantur: quæ tamen diu non durabant, ſed mox iterum diſſipabantur. Inde præter expectationem ex arcu luminoſo E E 15 circiter gradibus ſupra horizontem elevato prorumpebant virgæ lucidæ divaricantes, quarum omnium prima & longiſſima erat a, verſus orientem nonnihil inclinata & ad zenith usque extenſa. Hanc excipiebat verſus occaſum b; ſequebantur ſucceſſive c, d & e. Omnes coruſcabant, coloreque primum rutilante, qui ſplendori noſtro boreali interdum quoque admiſcebatur, tincti apparebant, ſenſim tamen albeſcebant palleſcebantque. Poſt ſemihoræ intervallum lumen hoc arcuatum deprimebatur & nubes ipſum e conſpectu eripiebant. Sed hora undecima inſtante eodem cum fulgore, eadem crebra micatione, altitudine priſtina 15 circiter graduum, iisdemve virgis redibat. Nubes in plaga boreali hinc inde adhuc hærentes nigræ priſtinam faciem haud amplius referebant; ſed tantum rimis & fiſſuris præditæ erant, quæ lucem fibrillantem transmittebant virgasque in aere inferiore efformabant, non aliter ac Luna pernox atque Sol tempore æſtivo laceratis tecti nubibus, radios per earum rimas in aerem vaporibus plenis fundentes. Media jam inſtante nocte nubes

nubes

Digitized by Google



Digitized by Google



Digitized by Google

nubes ſpiſſiores ſpectaculo demum finem fecere. Atque hæc ſunt, quæ Cl. *Schmiederus* litteris d. 28 Martii datis nobis ſignificavit, in quibus etiam agnoſcit hoc phænomenon eſſe illud, quod *Auram borealem* ſcriptores aliqui appellant.

Islebiæ rerum naturalium ſcrutator induſtrius *Auguſtus Fridemannus Bætticherus* hæc ſingularia annotavit & ad Cl. *Buttnerum*, cujus in Actis A. 1711 p. 222 & A. 1714 p. 326 lithographica commendavimus, perſcripſit. Primum verſus plagam a ſeptentrione 22 circiter gradibus diſtantem (noſtri *Nord Nord-Oſt* vocant) nubes comparuit ſubnigra A, ad horizontem usq; protenſa & quaſi cancellata. Poſtea pars cœli horizonti vicina B nigredine arcuata ab oriente verſus occidentem tingebatur, in cujus limbo ſuperiore colores iridis C, ſed obſcuriores apparebant. Mox radii D evibrabantur, qui ſub initium breviores erant, ſed ſenſim ſenſimq; longiores evadebant & pyrobolorum aſcendentium motum æmulabantur. Major erat radiorum verſus orientem (ubi ejaculationis initium notabatur,) quam verſus occidentem claritas. Inter eos unus præ ceteris notabilis erat E, qui in plaga inter boream & orientem media (*Nord-Oſt*) altior reliquis efferebatur & notabili temporis intervallo perſiſtebat. Interea temporis nubes A veluti in fumum convertebatur, nunc aſcendentem, nunc deſcendentem & pone eum cœli claritas notabatur. Finito ſpectaculo nubes quædam nigricantes & ſplendore quodam circumfuſæ conſpiciebantur, tandemque cœlum nubibus obducebatur. Duravit ſpectaculum ab hora dimidia ultra ſeptimam usque ad nonam. Rediit hora 12, nec non tertia matutina: ſed tunc a Noſtro non obſervatum. TAB. III. Fig. 2.

Quæ *Helmſtadii* a Profeſſore Mathematum & Naturalium Dn. *Rudolpho Chriſtiano Wagnero* annotata ſunt, ea typis deſcripta proſtant ſub titulo: Erzehlung derer zu Helmſtädt am abgewichenen 17ten Martii von 7 biß nach 12 Uhren zu Nachts geſehenen *Meteororum igneorum* h. e *deſcriptio Meteororum igneorum, quæ d. 17 Martii ab hora 7 veſpertina usque ad duodecimam Helmſtadii viſa ſunt.* Scilicet inſignis cœli claritas inter ſeptentrionem & occidentem ibidem notata, qualis oriri ſolet, ædificiis in vicinia flamma correptis. Altitudinem ejus deprehen-

hendit ope quadrantis Obſervator 45 graduum. Cœlum erat ſtellatum & Venus ſplendori vicina halone cingebatur. Hora ab octava dimidia elapſa cum Autor ad contemplandum phænomenon accederet, radium lucidum animadvertit, qui caudam cometæ anni 1680 æmulari ipſi videbatur, niſi quod ſplendor eſſet multo debilior, qualis in via lactea obſervatur. A nebuloſa inter Perſeum & Caſſiopeiam ad altitudinem 36 graduum aſſurgebat. Vix 100 pedum ſpatio ulterius progreſſus fuerat, cum ejus nullum fere veſtigium amplius deprehenderet. Liberior
TAB. IV. tamen cum jam ad Horizontem pateret proſpectus, nubem ob-
Fig. 3. ſcuram proxime ſub illo deprehendit, ex qua ipſum erupiſſe ſumit, quia ante inter horam ſeptimam atque octavam duos ſimiles radios ex atris nubibus protenſos viſos ab aliis accepit, noctuque inter horam 11 atque 12 Halberſtadii a Cl. *Elendio*, ſcholæ illius loci Rectore, quatuor in ſimili ſitu obſervatos ex litteris
Fig. 4. Obſervatoris ad Rever. Dn. Abbatem *Schmidium* datis intellexit. Obſervationem Halberſtadienſem exprimit Fig. 4, ubi notatu dignum, per radium ſtellam fuiſſe conſpicuam. Alibi tamen radios iſtiusmodi viſos monet, nulla nube præſente: alicubi apparuiſſe nubes obſcuras lucidis marginibus cinctas, unde radii ſimiles emanarint. Hora dimidia ultra nonam elapſa nubes nivoſæ a vento accumulabantur usq; ad altitudinem 45 graduum, inter quas coruſcatio quædam obſervata, paulo quidem debilior ea, quæ æſtate fieri ſolet, ad quam tamen circa horam duodecimam proxime accedebat. Addit alicubi fragores veluti mille ſclopetorum exploſorum fuiſſe auditos, quos tamen Helmſtadii ob ſtrepitus venti impetuoſioris percipere non licuerit. Eandem coruſcationem Halberſtadii prope Zenith in g obſervavit *Elendius*. Ceterum Cl. *Wagnerus* maximam ſcripti ſui (quod plagulis $5\frac{1}{2}$ conſtat) partem cauſis phænomeni inveſtigandis impendit eumque in finem hypotheſes quasdam phyſicas præmittit. Materiam phænomeni eſſe ſumit copiam exhalationum ſulphurearum & nitroſarum, quarum accenſione ſplendor ille inſignis una cum coruſcatione fuerit productus. Incenſas eſſe ſuſpicatur primum aliquas exhalationum, dum ventorum impetu vel aliis cauſis fuerint coactæ.

Dan-

Dantiſci de hoc phænomeno quædam publicarunt *Paulus Pater*, Reipublicæ Gedanenſis Mathematicus, & *Chriſtianus Kirchius*, *Godofredi*, celebris nuper Obſervatoris, filius, Aſtronomiæ & Matheſeos Studioſus. Ille in ſcripto, quod tribus plagulis conſtans Gedani ſub titulo: **kurtze Beſchreibung der neuen Wunder-Erſcheinung des Nordlichts** prodiit, brevior eſt in phænomeno deſcribendo; maximam ſcripti partem explicationi cauſarum naturalium & ſignificationis impendit. Materiam quoque in exhalationibus ſulphureis quærit, quæ ob defectum æſtus ſufficientis in fulgur abire non potuerint. Significationem phænomeno adſcribit, quia his in oris minime quotidianum: non tamen in ſpecie definire audet, quid portendat. Ceterum ipſi phænomenon prædixiſſe videtur *Albertus van Dam*, Mathematicus Batavus, quia in calendario hujus anni ſcribit: *ultima quadratura accidit d. 16 Martii h. 8 min. 55 in Sagittario, cælo turbido. Verſus occidentem conſpicitur portentum. Kirchius* totus eſt in deſcribendo phænomeno: cujus mutationes cum accurate expoſuerit, eas ex ſcheda unius plagulæ, quæ titulum: **Aufrichtiger Bericht von dem in itztlauffenden 1716den Jahre den 17 Martii Abends entſtandenen ungewöhnlichen Nordſchein** præ ſe fert, huc tranſcribi operæ pretium judicamus. Hor. 8 min. 15 (quod tempus per altitudinem fixæ definitum) verſus boream obſervavit faſciam lucidam AB verſus ortum in B inclinatam, ſed quæ horizontem non attingebat, verſus occaſum vero in A a nubibus tegebatur, ut, quo usque pertingeret, videri non poſſet. Margo inferior ſplendidior erat ſuperiore & hinc inde interrupta, maximo ſplendore in partes prominentes *e* coacto, in quarum una lucida lyræ *a* fulgebat. Cœlum inter faſciam & horizontem erat valde obſcurum, ſed ſubcœruleum; ſupra faſciam vero cœruleum & ſplendore faſciæ illuſtratum. Latitudo faſciæ erat circiter 6 graduum, margine inferiore *ee* 8 fere gradibus ab horizonte remota. Tandem ex C cum radii quidam evibrarentur, Obſervator abiit, ſocios obſervationis advocaturus. Cum mox hor. 8 min. 20 rediret, totam cœli faciem non ſine admiratione mutatam conſpexit. Aberat faſcia ante viſa & cœli pars borealis, inprimis inter ortum & ſeptentrionem, flammis ardere vide-

TAB. III. Fig. 5.

Fig. 6.

batur. In plaga inter ortum & ſeptentrionem intermedia maſſæ igneæ *i* conglobabantur, ex qua tam celeri motu flammæ ejiciebantur, ut ſpatio duorum ſcrupulorum ſecundorum ab Horizonte usque ad Zenith aſcenderent, quamvis ab eodem verſus ortum paululum declinarent. Prioribus evaneſcentibus aliæ pronaſcebantur, flammas ſimiliter projicientes. Per unam iſtiusmodi maſſam globoſam lucida lyræ *a* transparebat: immo aliquot flammæ veluti ex turribus ædium ſacrarum *f, g, h* aſcendere videbantur, non ſecus ac ſi incendio corriperentur. Altior tamen erat aſcenſus, quam in incendiis obſervatur, quippe prope Zenith demum terminatus. Alii radii flammantes ab ipſo horizonte originem ducebant. Color omnium ſanguinis inſtar propemodum rubebat, qualis eſſe ſolet ferri candentis. Verſus boream & plagam inter boream & occaſum intermediam interea paſſim radii lucidi ad gradum usque 30, 40 & 60 ſuper horizontem enitebantur, quindecim circiter ſcrupulis ſecundis perſiſtentes immoti, anteqnam diſparerent & ſucceſſuris locum relinquerent. Flammarum rubentium radiorumque lucidorum ſpectaculum dimidia fere hora elapſa finiebatur: quo facto, pars horizontis borealis eo ſplendore refulgebat, qui nubis a Luna plena illuſtratæ eſſe ſolet. Notatu tamen dignum eſt, quod tum in parte cœli lucida, tum obſcura ſtellæ primæ, ſecundæ & tertiæ magnitudinis ſemper diſtinctæ fuerint viſæ, perinde ac in reliquo cœlo, ut adeo nulla prorſus nubes adfuerit. Interim cœli claritas adhuc reſidua ſubinde mutationes quasdam ſubibat, ita ut alicubi nunc major evaderet, nunc ad priſtinum intenſitatis gradum rediret. Nonnunquam etiam radius aliquis evibrabatur & flammæ candidiores proſerpebant. Cum hora decima audita eſſet, brevi poſt ad contemplandam cœli faciem redibat Obſervator. Tum vero arcum lucidum verſus ſeptentrionem conſpiciebat 7 circiter gradibus ſupra horizontem elevatum, latitudinis variabilis, nempe unius, ad ſummum duorum graduum. Verſus ortum debiles quosdam radios emittebat. Hor. 10 min. 20 duplex apparebat arcus *a* & *c*, ſpatio intermedio valde obſcuro. Spatium cœli inferiore comprehenſum ſpeciem denſæ ac pluvioſæ nubis mentiebatur, ſtellas tamen conſpectui non eripiebat.

TAB. III. Fig. 7

Nudo

Nudo enim oculo *Mirach* in cingulo Andromedæ fulgens tamdiu conſpiciebatur, donec occideret; poſtea vero ſtella cygni *a* ibidem micabat. Arcui ſuperiori tertius *f* contiguus erat, majoris multo latitudinis, ſed claritatis longe minoris. Mox verſus occaſum radiorum evibratio obſervabatur & continuus ſplendor eam cœli partem occupare cœpit. Paucis ante undecimam minutis arcus omnes evanuerant, & in claritate cœli borealis prope horizontem ſpurii quidam veluti parelii oriebantur, ex quibus radii aſcendebant, mox cum ipſis iterum diſparentes & locum aliis ſucceſſuris facientes. Mentiebantur ſæpiſſime faciem Solis ex nubibus emerſuri. Hor. 11 min. 15 novus formabatur arcus verſus plagam inter occaſum & boream intermediam, cujus crus unum horizonti in ipſo ſeptentrione inſiſtebat. Ex eo radii, ut ante, ejaculabantur. Mox verſus horizontem depreſſus nonniſi lucem quandam veluti crepuſcularem in eodem reliquit, in qua nubeculæ quædam obſcuræ perſiſtebant, manifeſto indicio, phænomenon luminoſum fuiſſe in loco nubibus iſtis altiore. Hor. 11 min. 50 ea cœli facies erat, quam Fig. 8 adumbrat. Altitudo arcus *a* erat 5 fere graduum, latitudo circiter dimidii. Splendor maximus erat in *e* verſus plagam, quam Noſtri *Nord-Nord-Oſt* appellant. Arcus ſuperior *c*, cujus multo minor erat ſplendor quam inferioris, a radiis ex inferiori aſſurgentibus hinc inde interrumpebatur; mox tamen iterum redintegrabatur. Radii *f* ex parte ortui vicina procedebant. Flammæ autem fluctuantes *a* ex altera, quæ occaſum reſpiciebat. Nubeculæ *b* adhuc obſcuræ verſus plagam inter boream, & occaſum mediam perſiſtebant. Hor. 12 duo denuo conſpiciebantur arcus *b* & *d*, quorum latitudo duorum fere graduum, altitudo minoris 10 circiter erat. Inferius in *e* verſus meridianum recurrebant, ſegmentum ellipſeos veluti mentientes. Margo inferior partibus quibusdam prominentibus conſpicua erat, in quas ſplendor maximus concentratus videbatur & unde radii evibrabantur. Pſeudoparelii copioſi apparebant intra & extra arcus, radiisq; materiam ſuppeditabant. Inprimis autem flammæ fluctuum quaſi motu agitatæ magno numero in conſpectum prodibant & in parte cœli occidentali per totum aſteriſmum Leonis usq; ad Sa-

TAB. III. Fig. 8.

Fig. 9.

turnum diffundebantur; tandem vero longe ultra eum verſus auſtrum protendebantur, ita ut cœlum ſere totum iis repleretur, nonniſi 30 gradibus altitudinis verſus auſtrum vacuis. Hor. 12 min. 20 flammæ diſparebant, arcu tamen exiguo reſtante adhuc hor. 12 min. 36, cujus centrum erat in plaga *Nord-Nord-Oſt* & alterum extremum horizontem attingebat. Paſſim tum rurſus pſeudoparelii cum radiis prodeuntibus apparebant: arcus tamen utrinq; ſucceſſive decreſcebat, donec nonniſi ingens quidam pſeudoparelius reſtaret, circa 38 vel 40 horæ 12 ſcrupulum tandem & ipſe evaneſcens, luce crepuſculari verſus boream reſidua, unde radii debiles flammæque ſubinde aſcendebant. Hor. 1 min. 8 lux illa crepuſcularis, inprimis in plaga *Nord-Nord-Weſt* notabilia incrementa capiebat, radius denſior juxta caput Cephei ad ſtellam β in dorſo Cephei ultra 40 graduum altitudinem protendebatur & 12 demum minuto ſenſim ſenſimque decreſcebat. Hor. 1 min. 45 verſus boream apparebant corpora lucida nubibus non diſſimilia, ſi figuram externam ſpectes, eundem ſitum pertinaciter tuentia: unde continuo flammæ fluctuantes *a* usque ad 40 graduum altitudinem ſerpebant. Hor. 2 min. 0 horizon boreus eam faciem mentiebatur, qualis deprehenditur, ſi nubes adſint tenues a Luna illuſtratæ: flammæ ſubinde minores ad exiguam altitudinem elevabantur. Cum poſt hor. 3 Luna oriretur, minor erat cœli ibidem claritas quam prope horizontem boreum, ubi non ante penitus ceſſavit, quam hor. 5 lux crepuſcularis conſpectum omnem eriperet & cœlum totum nubibus denſis obvelaretur. Sub finem monet, plurimos fide dignos retuliſſe, ſe hor. 8 min. 30 flammarum ſerpentium ſtrepitum quendam percepiſſe & a ſtrepitu fluctuum maris tum quoque perceptilium optime diſtinxiſſe.

TAB. III. Fig. 10.

Simile phænomenon luminoſum d. 11 Aprilis h. 10 min. 30 Pariſiis obſervavit *Dn. Caſſinus* junior, cujus deſcriptionem Sereniſſimæ Duci Aurelianenſi viduæ dedit, a Regia ejus Celſitudine poſtea ad illuſtrem *Leibnitium* gratioſe transmiſſam. Lumen erat arcuatum, ab occaſu æſtivo usque ad boream extenſum & 24 circiter gradus ſub conſtellationibus *Perſei, Caſſiopeiæ* & *Cephei* occupans, 6 circiter gradibus ſupra horizontem elevatum, & plu-

Digitized by Google

& plures conſtellationum dictarum ſtellæ per id transparebant. Subinde ex diverſis horizontis locis radii caudis cometarum ſimiles & 4 vel 5 gradus latæ perpendiculariter aſcendebant ultra lumen. Hor. 11 min. 45 valde diminutum videbatur, nec h. 12 ullum amplius ejus veſtigium ſuperfuit. Rediit d. 12 April. h. 9½; ſed multo debilius, nec ultra dimidium horæ ſuperſtitit.

Chriſtian Wolffens Gedancken ꝛc.

hoc eſt,

CHRISTIANI WOLFII, P. REG. BOR. CONSIliarii aulici, Mathem & Phyſ. P. P. O. Societ. Reg. Britannicæ atque Boruſſicæ Sodalis, Explicatio phænomeni inſoliti, quod d. 17 Martii poſt ſeptimam veſpertinam Halæ Saxonum & alibi obſervatum.

Halæ, 1716, 4.

Conſtat plag. 5 Tab. æn. 1.

CUm phænomenon, de quo modo diximus, etiam Halæ Saxonum ſtuporem incolarum & ſtudioſorum excitaſſet; plurimi ex *Cl. Wolfio* quæſivere, quidnam de illius natura & ſignificatione ſentiret. Ut igitur omnibus una eademque opera ſatisfaceret; d. 24 Martii in Lectione publica ſuam ea de re ſententiam expoſuit idiomate vernaculo; non modo ſtudioſis, ſed aliis diverſorum ordinum hominibus maximo numero confluentibus. Quoniam nonnulli diſcurſum Autoris calamo exceperant & vel ipſo invito typis deſcribendum tradere decreverant; ideo ipſemet tandem ſe eo adduci paſſus eſt, ut eundem revideret & in publicum emitteret. Quatuor autem propoſuit quæſtiones & ad eas reſpondit.

Scilicet 1 quærit: *utrum phænomenon diei 17 Martii ſit portentum aliquod ſingulare, an alibi jamdum alio tempore ab aliis fuerit obſervatum?* Reſpondet: idem jam alibi alio tempore ab aliis viſum eſſe. Sumit ergo, quod viderant ſuis oculis Auditores: nempe 1 lumen apparuiſſe in parte cœli boreali, cujus claritas claritatem luminis Lunaris vicit: 2 figuram ejus fuiſſe arcum inter plagas intermedias, quas noſtri *Nord-Oſt* & *Nord-VVeſt* vocant, interceptum & chorda horizonti parallela terminatum: 3 ex arcu len-

cu lento motu, qualis pyrobolorum eſſe ſolet, aſcendiſſe radios ad chordam arcus ſeu horizontem perpendiculares. Apparet adeo, eadem Halæ annotata eſſe, quæ paulo ante Islebiæ obſervata commemoravimus: quod ſane non mirum, cum enim diſtantia urbium ſit exigua, quin idem numero utrobique viſum fuerit phænomenon, dubitandum non eſt. Ex his indiciis probat, phænomenon idem ſpecie eſſe cum aliis, quæ ſub nomine *luminis borealis* deſcribuntur in Miſcellaneis Berolinenſibus p. 131 & ſeqq. & in Actis A. 1709 p. 162, A. 1711 p. 4 & 325 commemorantur, eaq; fini breviter recenſet phænomeni circumſtantias, quas *Gaſſendus*, *Rœmerus*, *Seidelius*, *Kirchius* & *Liebknechtius* annotarunt. Subnectit ex *Cromero* alias obſervationes circumſtantiis fabuloſis commaculatas easque veritati reſtituit: ubi in genere monet, de phænomeno noſtro accipienda eſſe, quæ Hiſtorici de militibus armatis acinacibus & virgis igneis, aliisque ſimilibus cœli portentis narrant. Sane tum *Gaſſendi* tempore, tum nuper gemina in cœlo viſa narravit vulgus.

Quæſtio ſecunda hæc eſt: *Num hoc phænomenon inter meteora referri debeat & ad quod genus eorum pertineat?* Reſpondet Noſter: phænomenon utique eſſe meteorum idque ignitum. Primum probat, quia locus ejus eſt in atmoſphæra noſtra; id quod evincit 1 quia vi obſervationis *Rœmeri* in diſtantia duorum milliarium fuit vertici magis vicinum: 2 quia ingentem cœli tractum occupavit, quo inprimis ſpectat obſervatio Gedanenſis ante relata, etſi Noſtro, cum ſua profiteretur, nondum viſa: 3 quia exiguo temporis articulo ingens cœli ſpatium conficere viſi ſunt radii, vi obſervationum præcedentium: quo nos inprimis referimus Gedanenſem *Kirchii*. Quodſi objicias, ſi phænomenon noſtrum adeo humile fuerit; fieri non potuiſſe, ut uno eodemque tempore viſum fuerit in locis tam diſſitis, qualia ſunt Londinum in Anglia & Regiomontum in Boruſſia: noſter negat, ex ſola circumſtantia temporis concludi poſſe, phænomenon ubique viſum eſſe numero idem, præſertim cum obſervationes *Seidelii* atque *Kirchii* diverſitatem phænomeni eodem tempore in locis non adeo diſſitis obſervati manifeſte loquantur, nec (quod tum Noſter conjectando aſſecutus) obſervationes paulo

Digitized by Google

paulo ante exhibitæ in noſtro caſu in accidentalibus conveniant. Urget præterea, quod loca, quorum ingens eſt diſtantia, longitudine quidem multum, at parum latitudine differant, ita ut diverſæ phænomeni partes & Regiomonti, & Londini videri potuiſſent, etſi altitudo non major fuiſſet quam dimidii milliaris Germanici, qualis maxima nubium a *Ricciolo* atque *Keplero* aſſignatur. Nihil tamen certi de diſtantia ejus a terra definire audet ob defectum obſervationum ad calculum rite inſtituendum neceſſariarum. Quod autem præſens phænomenon in numerum ignitorum referri debeat, probat, quia lumine proprio reſplenduit, non alieno, quippe Sole, atq; Luna ſub horizonte adeo depreſſis, ut eorum radii atmoſphæram ferire non potuerint, in qua tamen locus fuit phænomeni per ea, quæ modo diximus.

Quæſtio tertia *cauſas phænomeni* concernit: ubi Noſter affirmat, ipſum ut reliqua meteora ignita ex exhalationibus ſulphureis ſeu inflammabilibus productum eſſe. Materiam fuiſſe exhalationes tenues probat, quod 1 vi obſervationum *Ræmeri, Kirchii, Liebknechtii* & quarundam ante a nobis exhibitarum ſtellæ per eam transparuerint; 2 vi obſervationum *Ræmeri* & *Kirchiorum* arcus ſuperior ſæpius fuerit diſruptus & mox iterum redintegratus; 3 vi obſervationis *Seidelii* pars arcus in nubeculam collecta prope Zenith Lunam occaſui vicinam exiguo temporis articulo fuerit aſſecuta & deinde per multum temporis ſpatium quieta ibidem perſtiterit, Luna jam ſub horizonte deliteſcente; 4 teſtibus iis, qui ortum phænomeni præſentis ſervarunt, nubecula nigra ſeu valde obſcura & margine rubente cincta expanſione ſui phænomeno materiam dederit. Quod autem nulla præſenti phænomeno jungatur nubes, ex obſervatione *Kirchii* patere ait, qui per tubum ſtellas in parte cœli obſcura inter arcum & horizontem deprehenſa obſervavit, quales etiam *Kirchium* juniorem nuper nudo oculo vidiſſe ante retulimus. Materiam in arcum expanſam non fuiſſe accenſam, ſed motu tantum inteſtino lentiori agitatam, qui lumini producendo ſufficiat, inde concludit, quod phænomenon diu duraverit & experimenta teſtentur, lumen iſtiusmodi motu produci poſſe. Radios tamen accenſæ materiæ deberi, ex motu eorum celeri, expanſione inſigni

& du-

& duratione brevi evincit: cauſam vero accenſionis in exhalationum concentrationem conjicit, quemadmodum videmus eandem eſſe accenſionis cauſam, ſi fœnum adhuc madidum in loco clauſo congeſtum flamma tandem corripitur. Motum inteſtinum materiæ luminoſæ autopſia *Seidelii* confirmat, & per materiæ diviſibilitatem explicat, quomodo exigua portio ingens admodum ſpatium replere poſſit. Demonſtrat etiam, quod radii longe majus ſpatium occupare viſi ſint, quam revera tenuerint, & cur ad horizontem perpendiculares apparere debuerint. Figuram arcus partim rationibus phyſicis, partim opticis adſcribit: arbitratur enim faſciam non nimis latam in atmoſphæra in longum extenſam inſtar arcus apparere debere. Denique cur vulgus fingat viſos eſſe exercitus, enſes ac virgas igneas, rationem hanc reddit, quod vulgus figuras nunquam conſideret in abſtracto, ſed tantum in concreto: unde de figura phænomeni judicaturo in mentem veniunt corpora ſimilem propemodum figuram habentia, & alias ſæpe viſa. Quodſi phænomenon terrorem injiciat meticuloſis; ipſi talia in mentem veniunt, quæ in puniendis maleficis uſum habere ſolent. Hinc in caſu noſtro ex radiis finxerunt enſes & virgas.

Ad quartam denique quæſtionem: *num phænomeni noſtri aliquis ſit effectus in hæc ſublunaria & an aliquid portendat?* reſpondet Autor, & effectum eſſe nullum, & ſignificationem nullam. Quod enim prius attinet, cum ex antecedentibus manifeſtum eſſe arbitretur, meteorum noſtrum eſſe fulgur imperfectum, quod ad maturitatem pervenire non potuit, vel quia exhalationes ob æſtum deficientem non ſufficienter diviſæ atque expanſæ, vel quia earum non ſufficiens adfuit copia, vel propter rationem utramque: non alius eſſe poterit effectus meteori in ſublunaria, ubi exhalationes denuo in tellurem præcipitantur, quam qui eſſe poteſt, ubi poſt fulgurationes recidunt, id eſt, ad ſenſum nullus. Quod ſignificationem concernit, non diffitetur Noſter, paſſim ab Hiſtoricis annotari caſus tragicos meteora iſtiusmodi inſecutos. E. gr. A. 1118 in Polonia ſecuti ſunt imbres, qui omnem agri culturam anno iſto prohibuere: A. 402 fulgurantibus haſtis in cœlo ſpectatis Duce Alarico Gothi diripuerunt

Ro-

Romam: A. 1529 meteorum noſtro ſimile (ſi ſepares, quæ vi antecedentium imaginatio addidit) cum ſpectaretur in cœlo, *Solimannus* Turcarum Imperator exercitu 300000 militum Viennam obſedit: A. 1547 *Johannes Fridericus* Elector Saxoniæ a *Carolo V* Imperatore victus & in carcerem detruſus: A. 1558 Hiſpanus debellavit Batavos & Ruſſorum Imperator exercitu 300000 militum Livoniam devaſtavit: A. 1648 inquietus redditus eſt Reip. Polonicæ ſtatus tum ob bella inteſtina, tum ob externa atque mortem *Uladislai* Regis: A. 1685 *Carolus Guſtavus* Rex Suecorum Polonos vicit & Varſaviam atque Cracoviam in poteſtatem ſuam redegit. Cum adeo experientia pro ſignificatione militare videatur; ideo accuratius in eam inquirendum eſſe duxit. Notat itaque ſigna eſſe duplicia, vel naturalia, vel artificialia. Cum omnia in naturæ corporea inter ſe ſint connexa, atque ideo ſtatus præſens ſit futuro gravidus, equidem non negat, quodlibet naturæ phænomenon certo modo eſſe ſignum quoddam venturi; nulla tamen ratione probari poſſe cenſet, quod ſingularem quandam ac inſolitam in univerſo corporeo mutationem loquatur. Multo minus autem concedit, quod ſignum artificiale ſit habendum, quaſi aliquid ex impoſitione Dei portendat, quod Deus nullibi ejus dedit (quod tamen neceſſarium foret) explicationem, nec ſpecialem, qualem de iride habemus, nec generalem; quin potius ſignificationem ad ſuperſtitionem gentilium retulerit, Jer. X, 2. 2 Reg. XXI, 2, 6, quia judice noſtro ſapientiæ Dei & autoritati verbi divini contraria. Deum enim ob ſapientiam ſummam ſuperflua facere non poſſe, id quod tamen fieret, ſi ſignum aliquod mali eventuri conſtitueret meteoron, cum nexus inter peccata & pœnas arbitrarias divinas in Scriptura ſufficienter explicetur & fama publica de bellorum apparatibus eum in memoriam revocet. Autoritati divinæ autem detrahere eos, qui ſigno iſtiusmodi majorem fidem habent, quam verbo divino, cum tamen hoc una virtutem largiatur credendi, illud tantum excitare poſſit ad oracula divina perluſtranda. Ceterum ad exempla reſpondet Autor, 1 nullam eſſe conſequentiam, quod phænomenon aliquod ſingulare portendat caſus tragicos, qui ſubſequuntur, cum nexus eorum cum phænomeno

accidentalis eſſe poſſit: 2 non ſemper meteorum noſtrum ſubſecutos eſſe caſus funeſtos, quod exemplis Daniæ, Marchiæ & Haſſiæ probat, ubi A. 1707 & 1710 apparuit. Neque tamen improbat, ſi quis (quod in contemplatione omnium naturæ operum fieri poteſt) agnoſcendarum Numinis perfectionum & reſipiſcendi anſam inde arripiat. In appendice obſervationes quasdam ſingulares adjicit, quas aliunde accepit, cum pleraque jam typis eſſent deſcripta & inde ſuam de hoc meteoro theoriam, quod nempe ſit fulgur imperfectum, ſtabilit: quam obſervatione *Kirchii* Dantiſcana egregie confirmat. Ubi inprimis notatu dignum eſt, quod in diſtantia 10 circiter milliarium ab urbe Hala materia quædam inſtar pulveris ſulphurei deciderit, cum nubes obſcura in arcum luminoſum expanderetur.

J. HERMANNI DE VIBRATIONIBUS CHORdarum tenſarum Diſquiſitio, cui accedit Cl. Viri JOH. BERNOULLI Demonſtratio Principii Hydraulici de æqualitate velocitatis quacum aqua per foramina vaſorum erumpere incipit, cum ea quam aquæ gutta acquirere poſſet motu naturaliter accelerato cadendo ex altitudine æquali illi quam aqua habet in vaſi ſupra foramen.

QUemadmodum pleraque Inſtrumenta Muſica quæ chordis inſtruuntur quoad ſuavitatem ſonorum Pneumaticis organis nihil cedere uſu compertum eſt, ita non defuere Philoſophi, qui in harmonicos chordarum motus inquirerent. Plerorumque cogitata in unum collecta integro libro ſeptimo Tomi ſecundi *Magiſterii Naturæ & Artis* exponit P. *Franciſcus Tertius de Lanis* e Societate Jeſu, quorum nonnulla notat & corrigere fatagit, alia vero propriis ſuis experimentis confirmat. Etſi vero negari non poteſt, multa lectu digna & egregia iis contineri quæ ex proprio penu in hanc rem depromſit, non tamen argumentum iſtud ita exhauſiſſe videtur ut in ſuis meditationibus nihil emendari nihilque iisdem ſupperaddi queat. Veras quidem proportiones recenſet inter vibrationes chordarum reſpectu habito ad varias circumſtantias earum longitudinis, craſſitiei, & tenſionis, ſed, ut mihi ſaltem videtur, nullis eas idoneis demonſtrationibus

con-

confirmat, præterquam quod tempus abſolutum quo ſingulæ cujusvis chordæ tenſæ vibrationes peragi debent, non auſus eſt definire, nec potuit, ſubſidiis Geometriæ Interioris deſtitutus, ſine quibus ſubſidiis, ut in aliis multis, ita in hac materia, fruſtraneus eſt labor.

Non me latet quid circa hoc idem Problema de motu chordarum tenſarum in egregio ſuo tractatu de *Methodo Incrementorum directa & inverſa* nuper præſtiterit Vir Cl. *Brook Taylor* Regiæ Societati Londinenſi a ſecretis, ſed tantum abeſt, ut ejus meditata a ſolutione hujus Problematis quærenda me abſterruerint, ut ea potius occaſionem mihi præbuerint de ea cogitandi; nam ſi clariſſimi Viri bona cum venia quod ſentio dicere mihi licet; citra probationem vibratæ chordæ formam tanquam cognitam aſſumit, aliasque ſuppoſitiones facit de quarum veritate multum dubitatur. Hinc animum mihi ſubiit inquirendi annon tempora periodica nervi agitati definiri poſſint absque præcognita curvæ ejus ſpecie & ſine precariis ſuppoſitionibus. Quam in rem integrum analyſeos meæ progreſſum hoc loco apponam, ut Lector intelligens judicare poſſit, quonam ſucceſſu ego hoc problema tractarim.

1. Cum chorda AB (Fig. 11) a potentia quacunque P tenſa eſt, atque pulſata, curvaturas ACB, AGB acquirit. Id contingere non poteſt quin longitudo ipſius AB in poſitionibus illis aucta ſit quantitatibus ACB-AB, AGB-AB quas *extenſiones* chordæ voco, hæ extenſiones cum parvæ ſunt, in caſu noſtro viribus ſuis productricibus proportionales ſunt; dico cum hæ extenſiones *parvæ* ſunt, quia quamdiu chorda nonniſi inſenſibili quantitate in longum extenditur non contrahitur in latum id eſt ſecundum diametrum, adeo ut ſola ea extenſio in longitudine effectus ſit notabilis vis tendentis tanquam cauſæ ſuæ. Sed ſi extenſio in longum ſenſibilis eſt, ea ſolus effectus vis tendentis dici tunc non poteſt, quia dum chorda in longitudine extenditur, in craſſitie ſimul contrahitur. Unde ſi (Fig. 12) ſint DP=AB, curva ACB=FP & AGP=EP rectaque FN ipſi FP normalis exponat vim producentem extenſionem FD=ACB–AB, exponet EO parallela FN vim producentem extenſionem ED=AGB–AB, cum in triangulo

TAB. III. Fig. 11.

Fig. 12.

gulo FDN abſciſſæ FD, ED quæ ſunt extenſiones chordæ, ſint ut ordinatæ FN, EO unde hæ ordinatæ vires extendentes recte exponunt. Hæ vires extendentes exſeruntur æquabiliter in ſuam quæq; curvam ſecundum directionem tangentis curvæ in quolibet ejus puncto. Sic punctum Z ſecundum directionem HI, in partes tamen oppoſitas ZI & ZH impreſſionem vis tendentis FN excipit, & quam impreſſionem iſtud punctum Z recipit, eandem & omnia reliqua puncta curvæ ACB patientur.

2. Sicut cuilibet actioni æqualis eſt reactio ſubjecti actionem ſuſcipientis, ita in quolibet ſitu ACB reactio chordæ æqualis eſt actioni tenſionis in quovis puncto Z, ſecundum directiones IZ, HZ, contrarias illis ſecundum quas ZI, ZH actio in punctum Z ſeſe exſerit. Hæc reactio chordæ conſiſtit in tenacitate ejus, qua extenſioni reluctatur. Non obſtante hac æqualitate actionis & reactionis, quam diu vis tendens ſeu chordam a rectilineo abducens ſecundum directionem tangentis in quolibet ejus ſitu major eſt tenacitate chordæ, tamdiu chorda magis a linea recta AB abducitur majoremque curvaturam ACB acquirit, usque dum vis tendens tenacitati præciſe æqualis ſit, quod in ſitu chordæ AZCB contingere ſupponimus.

3. Ei cum tenacitate chordæ vis elaſtica conjuncta eſt, ita ut eadem vi in priſtinum ſtatum redire cogatur qua extenſa ſit, ſtatim atque chorda maximam ſuam curvaturam ACB acquiſivit, ad æqualitatem ſcilicet redactis in ſingulis curvæ punctis vi tendente & tenacitate, ea ſeſe contrahere incipiat vigore ſuæ elaſticitatis. Propterea exiſtente exceſſu tenſionis curvæ ACB ſupra tenſionem AB, = FN (Fig. 12) per primam poſitionem hujus, hæc eadem FN ſignificabit, jam vim qua chorda ACB in ſingulis partibus contrahitur ab elaſticitate provenientem, & EO ſeu exceſſus tenſionis chordæ in ſitu AGB ſupra tenſionem in AB, vim contrahentem chordæ in ſingulis partibus ipſius AGB, & ſic reſpective in aliis chordæ poſitionibus correſpondentes ordinatæ trianguli DFN ſimul exponent exceſſus tenſionis chordæ in ſingulis poſitionibus curvilineis ſupra tenſionem in AB, & exceſſibus illis æquivalentes vires contrahentes chordam. Ex hiſce jam prono alveo fluit, quod eodem tempore quo chorda ex ACB contra-

trahitur in AGB, mobile quoddam accelerato motu perlabi poſſit ſpatium FE(Fig.12)=ACB–AGB, urgentibus illud verſus centrum D ſolicitationibus exponendis per ordinatas omnes trianguli DFN quæ in trapezio FEON continentur; quia hæ ſolicitationes acceleratrices FN, EO &c. eædem ſunt cum viribus chordam in ACB, AGB contrahentibus, ut & ſpatia FE & ACB–AGB motu accelerato in recta FE, & motu contractionis ex ACB in AGB deſcripta; & vires æquales æqualibus temporibus per æqualia ſpatia urgent ſuum quæque mobile: Hinc tota difficultas eo reducta eſt, ut definiatur tempus deſcenſus mobilis cujusdam F in ſpatio FE, cum ſcala gravitatis variabilis eſt recta DN, quod quidem ex §. 149 *Phoronomiæ* facile elicitur, ſed ne Lector hunc locum conſulere opus habeat, analyſin ejus brevem nunc adducere conabor.

4. Exponat DK parallela FN potentiam P ſeu pondus quod chordæ cum tenſionis gradum inducit quem habet in AB, ductaque PKM, exponet FM tenſionis gradum abſolutum quem chorda ACB habet in puncto C, & EL tenſionis abſolutæ gradum chordæ in AGB, & ſic reliquæ ordinatæ trapezii FDKM exponent tenſionis abſolutæ gradus in chordæ poſitionibus reliquis inter ACB & ſubtenſam AB; ſed hæ ordinatæ nequeunt eſſe vires acceleratrices contractionis chordæ cum chorda in ſitum AB delata amplius contrahi nequeat conatui contrahenti ejus exiſtente æquali potentia chordam tendente P, ſed ut (num 3) dictum ſolæ FN, EO, & reliqu. denotant vires illas contrahentes. His poſitis, ſint AB=DP (Fig. 11 & 12) =l, DK=p, maſſa mobilis F=m. DF=a, DE=x. Celeritas ex deſcenſu per FE acquiſita=u, ejus elementum=du, elementum temporis quo ſpatiolum infiniteſimum Ee percurritur =dt. Eritque propter triangulorum PDK, DEO ſimilitudinem DP (l): DK (p)=DE (x): EO $\left(\frac{px}{l}\right)$.

Hiſce poſitis, conſtat quod EO. dt (ſeu $pxdt:l$)=mdu, nam ſolicitatio EO durante tempuſculo dt permanenter agens producit motum mdu, atque adeo eſt $pxdt:l=mdu$, ſeu ducendo omnia in ul, erit $puxdt=mludu$, atqui $udt=-dx$, ergo $-pxdx=mludu$, & ſummando $\frac{1}{2}aap-\frac{1}{2}pxx$ (vel ponendo brevitatis ergo yy pro

$aa-xx)=\frac{1}{2}pyy=\frac{1}{2}mluu$, ſeu $uu=pyy:ml$, & $u=y\surd(p.ml)$: Habebamus vero $udt=-dx$, adeoq; $dt=-dx:u$, ergo ſubſtituendo pro u ſuum valorem inventum, erit $dt=-dx\surd ml:y\surd p$. Verum deſcripto centro D radioque FD quadrante FQSD, productisque EO, *eo* usque ad occurſum Q*q*, peripheriæ FQS ac denique ducta Q*r*, nec non radio QS, erit propter triangula ſimilia Q*rq* & QED; Q*q*: QD=Q*r* ($-dx$): QE ($y=\surd aa-xx$), atqui arculus Qq applicatus ad radium QD exprimit quantitatem anguli QDq quem vocabimus dz, ergo $dt=dz\surd(ml:p)$; & t ſeu temp. per FE$=z\surd(ml:p)$, ubi z ſignificat angulum FDQ. Et hæc etiam eſt per ſuperius dicta, expreſſio temporis quo arcus ACB (Fig. 11) motu contractionis reducitur in AGB, vocandoque angulum rectum r, erit tempus reductionis chordæ ex ſitu ACB in ſitum rectum AB ſeu tempus caſus mobilis F per radium FD(Fig.12)$=r\surd(ml:p)$ atq; adeo tempus unius vibrationis chordæ ex itu & reditu compoſitæ$=4r\surd(ml:p)$. Porro ut hoc tempus cum tempore oſcillationis pendulorum comparari poſſit, obſervari debet per m nunc intelligi debere maſſam chordæ AB; jam cum chordæ ſint cylindricæ ponamus earum craſſitiem ſeu diametrum eſſe c & quia angulus rectus eſt quadrantis circularis peripheria cujus radius eſt unitas, 2rc ſignificabit circumferentiam circuli cujus diameter c, & $\frac{1}{2}rcc$ ejusdem circuli aream, adeoq; $\frac{1}{2}cclr$ denotat ſoliditatem chordæ ſeu volumen ejus, maſſa vero ſeu quantitas materiæ ejusdem innoteſcit multiplicando denſitatem ſeu gravitatem ſpecificam chordæ quam vocabimus s, cum volumine; adeoque $\frac{1}{2}cclrs$ denotat materiam chordæ.

Quantum ad pondus p quod notæ menſuræ eſſe ponitur, cujuscunque ſit materiæ; concipio illud tanquam cylindrum ejusdem diametri & ſpecificæ gravitatis cum chorda tenſa AB ſed cujus longitudo ſit L, & hujus cylindri maſſa erit $\frac{1}{2}ccrsL$, ſed pondus cujusque corporis eſt ut maſſa ejus ducta in gravitatis gradum g quo ſingula ejus elementa afficiuntur, ergo pondus p æquivalebit huic quantitati $\frac{1}{2}ccrsLg$; hinc $ml:p$ $(=\frac{1}{2}ccllrs:\frac{1}{2}ccrsLg)=ll:Lg$; adeoq; $4r\surd(ml:p)=4rl:\surd Lg=4r\surd\left(\frac{ll}{L}:g\right)$ hoc eſt tempus unius chordæ vibrationis ex itu & reditu

reditu compoſitæ æquale eſt per §.175 *Phoronomiæ* ſimili penduli vibrationi duabus oſcillationibus compoſitæ cujus penduli longitudo ſit $\frac{u}{L}$. Quod erat inveniendum.

5. Ex demonſtratis multa deduci poſſent tanquam corollaria, ſed brevitatis gratia præcipua tantum indicabo. *Primo* liquet, omnes cujusque chordæ vibrationes eſſe iſochronas. *Secundo*, chordarum ejusdem materiæ & craſſitiei & æqualiter tenſarum vibrationes eſſe ut longitudines; numerum vero vibrationum eodem tempore factarum in reciproca ratione longitudinum ſeu temporum. *Tertio*, chordarum ejusdem ſpecificæ gravitatis & æqualiter tenſarum ſed diverſæ longitudinis & craſſitiei vibrationes eſſe in compoſita ratione longitudinum & craſſitierum. *Quarto*, generalius chordarum æqualiter tenſarum vibrationes eſſe in ratione compoſita ex rationibus longitudinis & craſſitiei & ſubduplicatæ ſpecificæ gravitatis chordarum.

Ceterum hoc loco declarandum eſſe duco, quod cum in Appendice *Phoronomiæ* noſtræ pag. 393 § X ſcripſi, me conſcio neminem demonſtraſſe principium illud hydraulicum de velocitate aquæ per foramina minora ex vaſis erumpentis æquali celeritati quam gutta aquæ acquirere poteſt deſcenſu accelerato per altitudinem parem illi quam aqua habet ſupra foramen, non eum mihi fuiſſe animum ac ſi cuiquam inventæ demonſtrationis laudem detractam vellem, ſed nullam tum ſaltem in memoriam mihi veniſſe ab alio datam. Nam etſi Celeberrimus Joh. Bernoullius mihi per Patriam transeunti aliquam oretenus expoſuerit quam non ita pridem per literas mihi communicavit, decurſu tamen temporis ea mihi memoria excidit, alioqui ejus mentionem ſaltem feciſſem, aut de nova quærenda prorſus abſtinuiſſem. Cum tamen Bernoulliana demonſtratio elegans ſit, eam hoc loco cum publico communicare non gravabor.

Fundamentum demonſtrationis, ſcribit Clariſſ. Vir, in hoc" conſiſtit, ut conſideretur guttula liquoris infima & foramini" vaſis immediate incumbens tanquam preſſa vel (ut ego voco)" animata a gravitate quadam acceleratrice quæ ſe habet ad gra-" vitatem naturalem ut altitudo aquæ vel liquoris totius forami-"

"ni

„ni vaſis incumbentis ad altitudinem guttulæ, ſcilicet ut pondus „abſolutum columnæ aqueæ foramini inſiſtentis ad pondus ab- „ſolutum guttulæ; Sic quippe nihil aliud reſtat, quam ut quæ- „ratur quantam velocitatem acquirere poſſit guttula animata ab „iſta gravitate majori quando cadit per lineolam ſuæ altitudini „æqualem, hoc eſt, poſtquam tota exierit per foramen; tam diu „enim premitur a tota columna aquea adeoque animatur a gra- „vitate majore quamdiu aliquid adhuc de guttula (quam ut co- „lumellam ſolidam concipio) ſupra foramen exiſtit. Sit itaq; al- „titudo columnæ totius liquoris=A, & altitudo guttæ infimæ= „a, erit gravitas acceleratrix naturalis ad gravitatem acceleratri- „cem a qua animatur gutta infima :: a. A; verum diverſæ gravi- „tates acceleratrices uniformes ſunt inter ſe ut parametri Para- „bolarum quæ inſerviunt pro ſcalis velocitatum ab iſtis diverſis „gravitatibus per diverſa ſpatia emenſa productarum, ſicuti fluit „ex Theoremate meo II in Actis Lipſ. 1713 pag. 79 demonſtra- „to; concipiantur igitur (Fig. 13) duæ Parabolæ LOS & LRT ſu- „per communi axe LN, quarum illius applicatæ ſingulæ MO, „NS &c. exprimant velocitates acquiſitas per gravitatem natu- „ralem corporum cadentium ex altitudinibus LM, LN, & alte- „rius vero applicatæ ſingulæ MR, NT &c. pariter deſignant ve- „locitates acquiſitas per alteram gravitatem iiſdem ſpatiis e- „menſis; Harum parabolarum parametri erunt ut dictum eſt ad „ſe invicem ſicut *a* ad A: Sumta jam LN=A, altitudini columnæ „aqueæ totius, & LM=*a*, altitudini guttæ infimæ, deſignabit „NS velocitatem corporis naturali gravitate accelerati deſcen- „dentis per altitudinem liquoris LN, & MR exprimet velocita- „tem quam gutta acquiſiverit quando delapſa eſt per altitudi- „nem LM, hoc eſt, quando per foramen integra detruſa eſt; de- „monſtrandum ergo eſt NS & MR eſſe æquales, quod ſic paucis „abſolvo: quia enim parameter parabolæ LRT eſt ad parame- „trum parabolæ LOS :: A. *a* :: LN. LM, erit parameter major in „LM ſeu MR^2=param. min. x LN ſeu NS^2, unde MR=NS. q. e. d.

TAB. III. Fig. 13.

Quantum ad meam ejuſdem theorematis demonſtratio- nem attinet pag. 394 *Phoronomiæ* conſignatam, ea maxima ex parte deducta eſt ex principiis §phi 386 pag. 215 *Phoron.* in

qua

Digitized by Google

qua oſtenſum, quod exiſtentibus altitudinibus aquæ in diverſis vaſis A, *p* & velocitatibus reſpectivis cum quibus aqua ex his vaſis erumpit V & *u*, ſit $V : u = \sqrt{A} : \sqrt{p}$; hinc etiam $V : u = \sqrt{2Ag} : \sqrt{2pg}$. Poſito *g* ſignificare gravitatem naturalem qua ſingula apud nos corpora ſolicitantur, atqui exiſtente *p* indefinite parva aqua p F proprio pondere ſuo cadet per foramen F (Fig. 157 *Phoron.*) ſi nullam habeat aquam incumbentem atque cadendo per altitudinem Ff=p, acquiret celeritatem $u = \sqrt{2g.p}$. ut conſtat ex §. 150 *Phoron.* proinde ſequitur etiam fore $V = \sqrt{2g.A}$ quæ eſt expreſſio celeritatis, quam acquirere poteſt corpus quodvis cadendo ex altitudine A, ergo tanta etiam eſt velocitas quacum aqua ex vaſe, in quo ea aſſurgit ad altitudinem A, per foramen erumpit: ſed pag. 394 *Phoron.* totam analyſin adducere volui.

S. B. ANIMADVERSIO IN NOVAM EDITIOnem Herodoti a Cl. Gronovio curatam.

EOdem fere tempore geminæ Herodoti Editiones erant lucem adſpecturæ, altera Leidæ, altera hic Lipſiæ: & hæc fortaſſe paulo prius; ſed illam Juno Lucina, ut videtur, faventioribus adſpiciens oculis promovit: *Ἀλκμήνης δ᾽ ἀπέπαυσε τόκον, σχέθε δ᾽ εἰλειθυίας*, ut olim Argis quam Thebis addictior. Non ſuſtinerem in tam *parvis*, ſaltem quod ad me attinet, *exemplis grandibus uti*, aut Herculis & Euryſthei vexatoris cogitationem ſuggerere, niſi ſimilia quædam fata, quamvis rationibus fere contrariis, apparerent. Certe quaſi Ate quadam faciente nos etiam præventi ſumus: ærumnas autem jam tum, quamvis fœtu nondum edito, ipſe ſatis ſuperque ſenſi & ſentio, quas enarrare nihil attinet: felici interim Editione tribus in locis oſtendente ſignum, non Euryſthei aliquod, ſed illud Herculis *τοῦ βαρυσκίπωνος*, quod & ſic in poſterum etiam *ἐλπίδα πικρὰν ὑποτείνει τοῦ μέλλοντος*, præſertim ſi irritare videbor, id quod evitari vix poſſe videtur. Nam variis de cauſis tandem aliquando vulgandum eſt, ecquid in Editione nupera deſiderem: præcipue ut documentum aliquod extet me quoq; ſolicitum fuiſſe de Herodoto: & noſtrum fœtum talem eſſe ut nihil ei officere debeat illius

primogenitura. Hoc ſine offenſione Viri Clariſſimi, qui & ipſe ſerio eidem Scriptori intentus fuit, perfici vix poſſe videtur, præſertim cum in eo ipſo quod caput eſt frontibus adverſis pugnantia ſentire nos contingat. Dico circa contextum Herodoti, quem ipſe tanquam fœdiſſime corruptum infinitis interpolationibus mutavit ex MS. Mediceo, quaſi ille demum eſſet Verus Codex; vulgatas autem Editiones ejusmodi autumat, ut, cum legiſſet Jungermannianam, neget in Præfatione, ſe inde *aſſecutum fuiſſe aut intellexiſſe quid adferret iſte ſcriptor*, quod equidem exaggerandi potius ſtudio, quam ex animo dictum puto. Inferius autem cum dixiſſet MSS. *exemplaria hiſtoriæ ejus mirabiliter conſpurcata & interpolata fuiſſe*, mox addit: *deprehendi id poteſt ex illis, quæ ſatis macra & nævis ſane quamfœda edidit Aldus acquieſcente illis Camerario, & quæ mox cum tanta farragine variarum Lectionum Henr. Stephanus.* Ego contra, ex quo Herodotum cognoſcere ſtudui, Aldinam Editionem ad eam rem tractans, judicavi eam eſſe melioribus tot aliorum Autorum Editionibus, quas Homerus ille typographorum fecit, accenſendam. Camerarius autem ille noſter non erat tam ſtupidus, ut non ſentiret hinc inde pauca quædam ad quæ offenderet; ſed nulla tenebatur prurigine interpolandi: qua quidem peſte primus afflavit Herodotum Henr. Stephanus, dignis conviciis a Cl. Gronovio aliquoties verberatus; audacem ejus & non raro ſubdolam quandam rationem in hunc & alios Autores ipſe etiam deprehendi. Jungermannus & Galeus fere ſecuti ſunt, tanquam re bene ab illo geſta: ut plerique recudentes Autorem, in quo ille præiverit, quaſi faſcinati veſtigia ejus adorant. Mediceum Codicem non malum eſſe conjicio; Aldinam tamen Editionem & hoc ſummatim meliorem & fideliorem duco. Adeoque revocanda illa cenſeo quæ in nova Ed. ejecta ſunt, pauciſſimis exceptis. Pleraque plana eſſe ajo; nec adeo multa obſtare deprehendi, quo minus intelligi poſſit Herodotus: &, ſi quæ ſint, in gravioribus nihil video opis ex MS. allatum, quaſique in tuto ea præterita, ut ab aliis: quorum pleraque ut ſpero nos removebimus in Notis noſtris, non pauca primi detecturi. De his aliisque ſingulatim quædam dicenda erunt; & quidem tantum in pri-

Digitized by Google

primum, medium & ultimum Librum, quos ſolos, initio hujus anni nactus exemplar, perlegeram, & quædam enotaveram. Quæ ut in meliorem partem accipiat Vir Cl. nec propterea favorem erga me, quem aliquando declaravit, minuat, rogo.

Animadverto autem in principio ſtatim, Viros doctos, quaſi noluiſſent videri in ipſo limine impingere, Veluti malum omen declinantes, prima illa tacitos præteriiſſe. Ego nihil diſſimulabo. Vult Herodotus cauſas editæ a ſe hiſtoriæ indicare, ubi legitur: *ὡς μή τε τὰ γενόμενα ἐξ ἀνθρώπων τῷ χρόνῳ ἐξίτηλα γενήται, μήτε ἔργα μεγάλα τε καὶ θωμαστὰ — ἀκλεᾶ γένηται.* i. e. *ut neque ea quæ facta ſunt, ex hominibus evanida fiant, neque opera (ſive quæ geſta ſunt) ingentia & admiranda, gloria fraudentur.* Vere hic in Autorem noſtrum dici poſſet, *δὶς ταὐτὸν ἡμῖν εἴπεν ὁ σοφὸς Ἡρόδοτος, Bis unum idemque nobis dixit ſapiens ille Herodotus*, quemadmodum Euripides de Æſchylo dicit ejus Prologos carpens in Ranis Ariſtophanis. Eſſet autem id Herodoto indignum, utpote ineptum & ridiculum: *καταγέλαστον δή που, ὃ πάλαι πρόκειται, τοῦτο πάλιν προτιθέναι, καὶ δὶς ταὐτὰ λέγειν*, inquit Plato in Euthydemo: *Deridiculum ſcilicet eſt, quod dudum extat id rurſus proponere, & bis eadem dicere.* Nonne *τὰ γενόμενα* ſunt *ἔργα*, & *τὰ ἔργα, γενόμενα*; perinde ergo eſt ac ſi quis dicat, *ut neque gladium perdamus, neque enſem amittamus*, i. e. ut Battus apud Ovidium *In illis montibus* inquit *eunt, & eunt in montibus illis*. Tale quid ut abſit ab Herodoto, legendum cenſeo unius literæ facta mutatione: *ὡς μή τε τὰ λεγόμενα ἐξ ἀνθρώπων, τῷ χρόνῳ ἐξίτηλα γένηται, μή τε ἔργα μεγάλα τε καὶ θωμαστὰ — ἀκλεᾶ γένηται.* i. e. *ut neque ea quæ dicuntur ab hominibus, tempore evanida fiant: neque facta ingentia & admiranda gloria fraudentur.* Debuit omnino in principio præmonere Herodotus, ſe præter illa quæ revera geſta ſint, traditurum & ea quæ fama tantum feruntur. Qualia ſunt ex parte, quæ a diverſis aliter atque aliter narrantur, item fabuloſa quædam, quæ itidem diligenter annotavit: unde & mendax habetur; immerito ille quidem, ut prudentiores ſentiunt. Adverſus cavillatores & hic in principio debuit ſe præmunire, & quidem multo magis quam alibi aliquoties, ſed præcipue Lib. VII Segm. 152. *ἐγὼ δὲ*

 ὀφεί-

ὀφείλω λέγειν τὰ ΛΕΓΟ'ΜΕΝΑ, πείθεσθαί γε μὴν ὀ πανἵάπασι ὀφείλω. καί μοι τοῦτο τὸ ἔπ☉ ἐχέτω ἐς πάνἵα τὸν λόγον. *Ego vero debeo dicere quæ dicuntur, credere tamen non omnino debeo. Atque iſtud dictum mihi ſe extendat in univerſam hiſtoriam.* Similiter, ut ſæpe alias, Pauſanias lib. VI cap. 3: ἐμοὶ μὲν ἔν λέγειν μὲν τὰ ὑπὸ ἑλλήνων ΛΕΓΟ'ΜΕΝΑ ἀνάγκη· πείθεσθαι δὲ πᾶσιν ἔκ ἔτι ἀνάγκη. Ut Noſter in principio, ſic & Arrianus in Prœmio Hiſt. Al. ait alia ſe ſcribere tanquam certa, alia tanquam minus talia, ὡς ΛΕΓΟ'ΜΕΝΑ μόνον. Idem ille lib. VII c. 28. καὶ ταῦτα ἐμοὶ ὡς μὴ ἀγνοεῖν δόξαιμι μᾶλλον ὅτι ΛΕΓΟ'ΜΕΝΑ' ἐςιν, ἢ ὡς πιςὰ εἰς ἀφήγησιν ἀναγεγράφθω. *Atque hæc mihi, potius ut ne ignorare videar quod dicantur, quam ut fide digna ad narrandum annotata ſunto* Λεγόμενα autem non γενόμενα ſcripſiſſe Herodotum in principio, apparet etiam ex Dionyſio Hal. in Epiſt. ad Pompejum §. 3 huc alludente, quamvis ibi etiam corrector aliquis depravatum locum Herodoti in memoria habens (ut plerumque principia facile meminimus) ſatagere voluerit. Afferam recte: ἐκεῖν☉ μὲν γὰρ (ὁ Ἡρόδοτος) κοινὴν ἑλληνικῶν τε καὶ βαρβάρων πράξεων ἐξενηνόχεν ἱςορίαν, ὡς μήτε τὰ λεγόμενα ἐξ ἀνθρώπων ἐξίτηλα γένηται, μήτε τὰ ἔργα, καὶ ἅπερ αὐτὸς εἴρηκε. *Ille enim communem Græcanicarum & Barbaricarum rerum hiſtoriam edidit, ut neque ea quæ dicuntur ab hominibus, evanida fiant, neque opera (ſive ea quæ geſta ſunt,) & quæ ipſe dixit.* Ex his poſtremis apparet λεγόμενα legiſſe & ſcripſiſſe Dionyſium; nam clare diſtinguit τὰ ἔργα καὶ ἅπερ αὐτὸς εἴρηκεν *ea quæ geſta ſunt quæque ipſe dixit* & affirmavit, ab iis *quæ alii dicant* & affirment, ipſe autem tantum referat ut aliorum citra aſſenſionem. Quod ſi γενόμενα apud Dionyſium legatur, non eſt quo referatur, καὶ ἅπερ αὐτὸς εἴρηκε, nec intelligetur quid ſibi velit: unde & interpres maluit aliud dicere quam Græca ferunt, vertens: *& alia quæ enumerat*, ubi ponit vocem *alia* ad Græca non pertinentem, nihil autem quod ad αὐτὸς vocem in Græcis extantem pertineat. Jungo autem, τὰ λεγόμενα ἐξ ἀνθρώπων, non autem ἐξ ἀνθρώπων τῷ χρόνῳ ἐξίτηλα γένηται; ut fit quemadmodum Lib. V Segm. 32. ΤΑ' ΈΚ τοῦ Ἀρισαγόρεω ΛΕΓΟ'ΜΕΝΑ, præpoſitione ἐκ ſignificante ὑπὸ, quem uſum

ab

ab Herodoto frequentatum annotavit Portus in Lexico Jonico. Vidit uſum particulæ & Cl. Gronovius, eodem quo nos modo jungens, ſed retinens vulgatam ſcripturam, ſenſum facit ambiguum & ex altera parte abſurdum: *ὡς μήτε τὰ γενόμενα ἐξ ἀνθρώπων, ἐξίτηλα γένηται.* quod pronum eſt ita accipere: *ut neque ea quæ evanuerunt ex hominibus, evaneſcant.* Lyſis initio ſuæ Epiſtolæ: *μετὰ τὸ Πυθαγόραν* ἘΞ ἈΝΘΡΩ΄ΠΩΝ ΓΕΝΕ΄ΣΘΑΙ i. e. *Poſteaquam Pythagoras ex hominibus exceſſit.* Non eſt autem mihi conſtitutum omnia nunc afferre quæ habeo monenda: itaque omittentur quæ in prima ſtatim pagina novæ Ed. & in Notis ad eam deprehendi: qualia ſunt, quod in ipſo titulo editur *Ἁλικαρνησσῆος* Jonice ſcilicet; cum tamen Grammatici aut Librarii fere ſint aut Autores Titulorum antiquiſſimis ſcriptoribus præmiſſorum, ut vel inde apparet quod non raro elogium quoddam ſcriptoris comprehendant, & plerumque nimium varient in eodem ſcriptore: Grammatici autem & Librarii, non alia niſi communi & Attica dialecto utuntur: quare maneat ibi *Ἁλικαρνασσέως*, ſicut relictum erat *ἱστορία*, quod quidem inconcinne jungitur cum *Ἁλικαρνησσῆος* requirente *ἱστορίη*. Quin nec in ipſis Herodoti verbis ſtatim poni ſic debuit pro *Ἁλικαρνασσῆος*, non tam certa res eſt. Item quod mox in *κατὰ τὠυτὸ ὃ καὶ Ἕλληνες λέγουσιν*, Ioniſmus deſtruitur, quod quidem nimis ſæpe factum, & excuſari aut tolerari nulla ratione poteſt. Item quæ in Nota ad hunc locum turbantur, præſertim dum *ταὶ* inter articulos poſtpoſitivos recenſetur. Talia & graviora mittam. Nec in ſingulis paginis hærebo, nam ſi quatuor tantum pagg. ſive duo folia excuterem, non ſufficeret ſpatium his deſtinatum &c. Reliqua in proximum Menſem ſervamus.

THOMÆ CRAGII DE RICCARTOUN JUS Feudale, cum Præfatione LUDERI MENCKENII, JCti.

Lipſiæ, ap. Joh. Frid. Gleditſch & Filium, 1716, 4.
Alph. 4 pl. 1.

FOret hoc loco ſuperfluum, de præſtantia atque utilitate hujus Libri multa dicere velle, cum a cordatioribus Juris Feu-

dalis Cultoribus jam ante complures annos publico applauſu exceptus ſit, & in hunc usque diem quovis encomio dignus cenſeatur. Certe ſiquis librum ex materiarum pondere, ſtyli concinnitate, eruditionis copia & judicii in rebus decidendis acumine ſeſe commendantem quæſierit; is talem in Cragio noſtro deprehenſurum eſſe certiſſime confidat. Fuit enim Vir in literarum ſtudio non minus quam Juris experientia conſummatiſſimus. Unde factum eſt, quod cum a Parliamento Anno 1604 nominatus fuiſſet, eodem anno a Potentiſſimo Rege Jacobo VI cum aliis 30 Proceribus Regni ad unionem inter Scotiæ & Angliæ Regna conficiendam evocaretur. Suppeditavit id ipſum Noſtro exoptatiſſimam occaſionem in Jurium Scotiæ & Angliæ diſcordiam ſedulo inquirendi, diverſitatesque peculiari cum induſtria annotandi. Unde poſtea illud *Opus Feudale*, quod præ manibus habemus, enatum eſt: in quo quidem primario recenſuit, quæ in Anglia & Scotia in cauſis feudalibus uſum præſtare poterant; ita tamen ut *Conſuetudines Feudales Gallicas* ſubinde ſimul attigerit. Cum vero Editio Londinenſis, quæ prodiit Anno 1655 in fol. ſucceſſu temporis & rarior & pretioſior imprimis in Germania facta eſſet, denuo jam recuſa Orbi Erudito ſiſtitur. Præmiſit huic novæ Editioni Vir Ill. D. Luderus Menckenius, JCtus conſummatiſſimus, Conſil. Reg. Pol. & Elect. Saxon. Canon. Martisburg. Supremæ Curiæ Provinc. Lipſ. Aſſeſſor, Facultatis Jurid. Ordinarius & Juris Canon. P.P. *Præfationem* eruditiſſimam, qua non tantum de ipſo Autore ſumma cum laude diſſerit, verum etiam quædam notatu digna per totum opus excerpta nervoſe exhibet; addidit præterea filius ejus, Vir Conſ. D. Henr. Otto Menckenius, Catalogum Terminorum peregrinorum ordine Alphabetico digeſtum, cum genuina ſingulorum explicatione, ut adeo nihil amplius difficultatis legentibus inde creari poſſit. Nobis ſpeciminis loco pauca tantummodo ex eleganti Opere adduxiſſe ſufficiet.

p. 36 & 57. In Britannia maſculus *Primogenitus* in totum ſuccedit feudum, excluſis reliquis fratribus, & in feudo materno, ſororibus,
489. ne ſcilicet corruat magnarum familiarum ſplendor. In Anglia Baſtardus, vi decreti Comitialis, in feudum non ſuccedit, etiamſi

per

per ſubſequens matrimonium fuerit legitimatus. *Baronem* no- p. 140.
minant Scoti, qui gladii poteſtatem habet, i. e. merum imperi-
um, quod *furca* & *foſſa* nomine ſignificant: furca enim, quam
crucem dicunt, & foſſa, in qua homines ſubmergi ſolent, omnes
alios gladii effectus indicat. Mutato feudi Domino in Scotia, 409.
item Gallia, *renovationis inveſtituræ* petitione non eſt opus, quod
mutato Vaſallo ſecus eſt; non tamen ad privationem utilis aut
directi Dominii his caſibus pervenitur, ſed, ob negligentiam Va-
ſalli, Dominus interim fructus feudi lucratur; propter Domini
contumaciam Dominus ſuperior Vaſallo inveſtituram tribuit, &
feudum Vaſallus ab hoc Domino, quamdiu vivit, qui feudi reno-
vationem concedere debuit, tenet. Pariter Domino feudi com- 540.
petit jure Scotorum & Anglorum *Maritatio*, (vir maritatur, cum
maritus fit, fœmina, quando marito jungitur) quæ eſt poteſtas
in favorem Domini ſuperioris introducta, vi cujus poteſt hære-
dem Vaſalli, qui de Domino, cum obiit, feudum militare tenuit,
ſuo arbitrio ſine diſparitate matrimonio jungere. Quodſi autem 550
hæres requiſitus legitime præſentatam in uxorem non ducat ſed 553.
aliam, duplum dotis Domino præſtare cogitur; viciſſim Domi-
nus, qui diſpari conjugi maſculum vel fœminam collocavit, cau-
ſa cognita maritatione omnique ejus commodo ea vice priva-
tur. Denique *Barratriam* in Anglia & Scotia commiſiſſe is dici- 666.
tur, qui, feudum a Rege tenens, non impetrata ab eo licentia,
Regno egreditur, atque proinde feudo excidit; unde frequens
eſt literarum gratiæ eo nomine impetratio. Reliqua ex ipſa ope-
ris inſpectione rectius petuntur.

JOHANNIS WOLFGANGI TRIER ANIMADverſiones in SAM. STRYKII Examen Juris Feudalis.

Lipſiæ, impenſis Joh. Frid. Braunii, 1716, 12.

Pl. 11.

EXaratæ ſunt Animadverſiones hæ ad modum earum, quas anno ſuperiori Conſultiſſ. Autor ἀνωνύμως quidem in Joachimi Hoppii Examen Inſtitutionum publicavit, de quibus in Actis Anni 1715 M. Jan. p. 31 ſſ. diximus, ideo vero hunc potiſſimum libel-

Digitized by Google

libellum ſibi poliendum ſumſit, quod videret vix aliud in omni Jurisprudentia Feudali reperiri compendium majori concinnitate atque perſpecuitate ſeſe commendans, & quod in Academiis imprimis Germaniæ majori applauſu hactenus exceptum fuiſſet. Notavit igitur hinc inde, ubi quædam ſupplenda vel etiam emendanda videbantur, de quibus breviſſimis nunc dicendum. Ad quæſt. 2 cap. 1 erudite diſſerit de origine Feudorum in Germania, eaque ex ſtatu Veterum Germanorum Democratico, modoque bellandi ipſis uſitato derivat. Cum enim bellum iſtis temporibus geſtum fuiſſet, non ut ſolus Princeps, ſed ut ſinguli Commilitones, qui ex natura ſtatus Democratici ſimul coimperantes erant, diteſcerent; rationem ſtatus poſtulaſſe, ut ſinguli milites portionem Regionis devictæ ad commodiorem ſui ſuſtentationem acciperent; unde probabile eſſe, deficiente pecunia fructus ſub juramento fidelitatis fuiſſe conceſſos, quos colligere ipſi maluerint, quam ex manu Principis accipere. Ad quæſt. 5 cap. 2 recte annotat differentiam *Feudum ſolare* inter atque ipſum *Allodium*, illudque vocat, quando terra, remiſſo nexu feudali eſſentiali, confertur, reſervatis tamen quibusdam Feudi naturalibus, præcipue Jure ſuccedendi familiæ Vaſalli extinctæ,& fide per modum fœderis. Ad qu. 33 c. 3 pulcra ſunt quæ de Origine Feudorum Regalium vulgo Fahn-Lehn ex antiquitate & monumentis hiſtoricis afferuntur. Ad qu. 20 c. 5 commendantur Matrimonia Principum ad Morganaticam contracta, tum quia hoc modo pernicioſæ Provinciarum diviſiones, in amplis familiis alias uſitatæ, evitari poſſent; tum quia talia ſæpe feliciora & caſtiora evaderent, utpote ex amore non ex ratione ſtatus contracta. Ad qu. 13 c. 7 animadvertitur, Tutelam teſtamentariam in Electoratu ſibi utique locum vindicare, & textum Aureæ Bullæ Cap. 7 §. 3 & 4 intelligendum eſſe de muneribus perſonalibus Electoris & Archiofficiarii, quatenus eſt Elector & Archiofficiarius: hæc ſc. a proximo agnato obeunda eſſe, nec alium tutorem circa hæc conſtitui poſſe. Quoad Provincias vero Electores non eſſe deterioris conditionis, quam quemlibet nobilem Imperii. Ad qu. 19 c. 14 exiſtimat, Principem ſubditis quidem ſolennitates teſta-

men-

mentarias jure provinciali præſcriptas remittere, ſe ipſum vero eximere non poſſe; quia in Receſſibus Imperii ſolennitates Romanæ repetitæ ac denuo injunctæ fuerint, quibus adeo ſe ſubtrahere invito Imperatore atque Imperio Princeps non poſſit.

Verteutſchter Bethlehemitiſcher Kinder-Mord des Ritters Marino.

BARTHOLDI HENRICI BROCKES, J.U.L. Infanticidium Bethlehemiticum, ex Equ. Marini Poemate in verſus Germanicos translatum; acceſſere ejusdem Poemata quædam alia. Præfationem, Vitam Marini & Notas nonnullas addidit JO. ULRICUS KOENIG.

Coloniæ & Hamburgi, apud Benjam. Schilleri Vid. 1715, 8 maj. Alph. 1 pl. 5 & figg. æn. nitidiſſ.

NOn ignoravit doctiſſimus elegantiſſimusque libri hujus Autor, quantum ad Poeſeos Germanicæ culmen contendentibus proſit aliarum gentium Poemata illuſtriora non modo legiſſe aſſidue, verum & in vernaculos rhythmos transfudiſſe, quod ſummorum Poetarum, Opitii, Hoffmanswaldavi, Beſſeri, Neukirchii exempla docent, eoque linguas exoticas tanto ſucceſſu coluit, ut cum ad Poeſin vim a natura præcipuam accepiſſet, non modo verteret in vernaculam feliciter exoticorum carmina, verum & ipſe Gallica, Italica, Belgica non ineleganter componeret. In primis vero Jo. Bapt. Marini, Poetæ incomparabilis, infanticidio Bethlehemitico delectatus, Germanice illud tranſtulit ea felicitate, ut verſus verſui reſponderet, nec vel facilitati vel majeſtati ſententiarum multum decederet. Permovere deinde amici, inprimis Cl. Königius, qui Præfationem & Vitam Marini oppido elegantem præmiſit, ut Poema hoc ipſo, quo ſe nunc effert, ornatu ederet, & plauſere Socio ſuo novi, quod Hamburgi ſub nomine *Teutſch-übende Geſellſchafft* congregatur, conſortii membra ſpectatiſſima, J.A. Fabricius, M.Richey, G.J.Höfft, Joh. Hubnerus & ipſe Königius. Atque hic quidem officio ſuo pulcre functus, qui cum alios in Vita Marini diligenter in conſilium adhibu-

hibuerit, Ghilinum, Imperialem, Erythræum, Gaddium, Craſſum, Loredanum, inprimis tamen ſequitur Franciſcum Ferrarium, æqualem ejus & amicum, in Vita Marini ſeorſim edita, atque inter alia e ſcriptoris hujus ſilentio probat, minus vere Tollium, Ballietum alioſque tradere, quod a Maria Medicæa pro Adonide, quem illi inſcripſit, centenis millibus florenorum donatus fuerit Marinus. Sed plura e Vita illa hic referre ſuperſedemus: nec ſpecimina ex ipſo opere decerpere lubet, ne pulcræ veſti laciniam detraxiſſe videamur. Id unum addimus, nonnulla alia Autoris Poemata, vernacula pariter & exotica, ſub finem acceſſiſſe, quæ facile Lectori ſalivam movere queant, ut reliqua quoque, quæ haud dubie plura parata habet, in lucem edi exoptet.

Vermiſchte Neben-Arbeiten ꝛc.

h. e.

CAROLI GUSTAVI HERÆI, S. CÆS. MAJEſtati a Conſiliis & Antiquitatibus, Miſcellanea horis ſubſecivis compoſita; acceſſit Appendix Variorum Poematum.

Viennæ, typis Andreæ Heyingeri, 1715, fol. min. Alph. 2 pl. 18, cum fig. nitid.

POetæ jungimus Poetam in aula maximi Cæſaris principem, non minus dignum tanto Auguſto quam ipſe dignus *eſt hoc* Marone. Enimvero non carmine tantum ſatis excellit Germanico, quod mireris in homine in Suecia, quamvis Germano patre, nato, & Suecico (cujus hic pariter ſpecimina comparent,) verum & in inveniendis Inſcriptionibus tabularum & numiſmatum, quibus largam materiam aula ſuppeditat, mirus artifex eſt. Tribus partibus opus hoc abſolvitur, quarum prima Gratulationes & Dedicationes, ſecunda Epitaphia atque Elegias, tertia varii generis Poemata complectitur: inſerta ſunt paſſim numiſmata mnemonevtica argute excogitata. In Parte I grave primo loco poema exſtat, quo Autor victoriam ab Auguſtiſſimo Cæſare A. 1710 d. 20 Aug. ad Cæſarauguſtam deportatam celebrat, ſimulq; res inde ab appulſu ejus ad Ulyſſiponem geſtæ graphice

phice deſcribit. In ceteris eminet novum metri genus, quod nemo antehac tentavit, in ipſo die natali Cæſaris A. 1713 ad modum carminis elegiaci Latini compoſitum, cujus initium, ne ſpecimen nobis deſit:

Mæchtigſtes Haupt der Welt, von Gott, die Völcker zu richten.
Auserſehener Fürſt, unüberwindlichſter Held, &c.

Acceſſere & huic Parti Epiſtolæ Latinæ ad Auguſtiſſ. Cæſarem duæ, atq; una ad Regem Succiæ cum Mauſolæi Joſephini deſcriptione Benderam miſſa. Parte II Epitaphia, & Elegiæ ſequuntur; in quibus primo loco hæc ipſa deſcriptio Mauſolæi a Perill. Jo. Bernardo Fiſchers ab Erlach, S.C.M. primo ædificiorum Inſpectore, ſingulari arte exſtructi, ſed a Noſtro inſcriptionibus perargutis decorati. Nec minus ingenioſæ ſunt Inſcriptiones tumuli honorarii Ludovico XIV Galliarum Regi in juſtis exequiarum poſiti, quas apud Autorem legi malumus. In ceteris vero merentur referri caſtrum doloris memoriæ Electoris Trevirenſis conſecratum, cujus omne decus e Martialis Lib. XIV Epigr. 145 de Pallio Gauſapino deſumptum eſt, quod ita ſe habet:

Is mihi candor ineſt, villorum gratia tanta eſt,
Ut me vel media ſumere meſſe velis.

Noſter ergo diſtichon hoc partitus, quatuor repræſentat ſtatuas, primum Amorem erga Patriam, addita mitra & pallio Electorali, & epigraphe: IS MIHI CANDOR INEST; hinc Zelum pro Eccleſia, Archi-Epiſcopali pallio, mitra & baculo ornatum, cum inſigni Trevirenſi, cruce rubra, & Prünnenſi, agno, additis verbis: VILLORUM GRATIA TANTA EST; tertio Brevitatem vitæ, cum inſigni Oſnabrugenſi, rota, additis: UT ME (ſubintellige) *præceps lapſus!* denique Providentiam, inſigne Lotharingicum, aquilam nempe juvencum ſagitta trajectum monſtrantem, cum inſcriptione: VEL MEDIA SUMERE MESSE VELIS. In Partem III varia congeſſit Nobiliſſimus Autor, in quibus eminet Satyra, quæ ſola de ingenio Autoris abunde teſtatur. Dum enim ſimpliciſſimos Lapponum mores graphice depingit, vitia noſtri ſeculi, quæ ſub virtutis aut decori ſpecie plerumque fallunt, ſalſe ridet. Nec inelegantia ſunt cetera: etſi enim eliſiones ſubinde admittat, quas præcipui Poetæ noſtra-

ſtrates plane e vernacula Poeſi eliminandas judicant, hunc tamen, ſi quis eſt, nævum (quem aliquando etiam in ſupra laudata verſione Mariniana animadvertimus) cogitationum ſublimitate & elegantia egregie penſat. Ceterum & recens Autori experiundi ingenii occaſio affulſit, poſtquam Auguſta tot provinciarum Hæredem, LEOPOLDUM, ſpem patriæ, imo Europæ, nuper enixa eſt, feliciter: tum enim Noſter & Magnatum in aula Cæſarea feſtivos ignes pulcherrimis inſcriptionibus animavit, & ſua ſponte carmina & numos obtulit, communi plauſu exceptos, quæ cuncta octo plagulis excuſa proſtant, ut commode Miſcellaneis his adjungi poſſint. Enimvero cum nondum prodierit Numiſmatis ſingularis Cæſarea autoritate diſtribuendi & a Noſtro ſingulari felicitate excogitati deſcriptio, quam nuper ab Amico Vienna ad nos transmiſſam accepimus, non ingratum Lectoribus, vel inde ſpecimen capturis ſcientiæ, quam in excogitandis numis ſingularem Noſter habet, facturos nos exiſtimamus, ſi illam plane ut ad nos transmiſſa eſt, hoc loco inſeramus. Eſt vero hæc.

CALCULUS, (VULGO JETTON) *SISTENS UTRAQUE Signa cæleſtia, quæ Sereniſſimi Archiducis LEOPOLDI Aſturiæ Principis Natalitium Menſem Diemque notant, & ſimul ſervans memoriam ſolemnium, quibus in ordinem Equitum Torquatorum aurei Velleris cooptatus eſt.*

PRima facies pro capite monſtrat Monogramma Sereniſſimi LEOPOLDI (duplex L) in forma Crucis Burgundicæ cum ramo renaſcente; ut hieroglyphica hæc teſſera exhibeat decus Burgundicum, quod Principi SS. Baptismate luſtrato ab Auguſto Patre collatum eſt, magiſterio ordinis jure Poſtliminii Cæſareæ Familiæ reddito.

Monogramma coronatum pileo Archiducali pro more circumdatur torque ordinis cum *Vellere Aurato*, quod ipſum propria ſignificatione ut innuat aſtrum ſolare ſub quo natus eſt Archidux (h. e. menſem Aprilis) ſuis tantum radiis diſtinguitur, ut fauſtum ſidus, quod Aſtrorum Princeps dicitur & Autor novi temporis pro illo Manilii;

Aries

Aries cæleſtia pandit
Lumina ſignorum, ductorque & janitor anni
Aurato inſignis Villo.

& alibi: *Aurato Princeps Aries in vellere ſurgens.* inſcriptis: CAROLI IMP. FIL. DIVI LEOP. NEP. AR. AV. PR. AST. Averſa non Hieroglyphico, ſed Numiſmatico ſymbolo ſignificat diem per *ſignum Lunare*, Capricornum, quo faſti hujus anni notant tertiam decimam Aprilis, ut, quæ de famoſo hoc Auguſti natalitio ſigno ſequentium ſeculorum monimentis prædicatur felicitas, boni ominis cauſa tribuatur noſtro Principi. Plana eſt hæc ſignificatio & propria; ne contra ſymbolorum ſimplicitatem perſpicuam ſpectator implicetur ambiguæ & longæ Hypotheſium Aſtrologicarum perveſtigationi, vel Chronologicis Intercalationum, Calendarii aliisque difficultatibus, ſi inquirendum eſt in jus, quo Auguſtus hoc natalitio ſigno in monimentis utitur, pro illa quæ inter Com. Em. Theſaurum & R. P. Monodum fuit lite. Fundata inſuper eſt autoritate veterum obſervantium in ſignis natalitiis Horoſcopum Lunarem; deinde autorum alio ſenſu ſibi contrariorum atque numiſmatum monimentis, quorum fidem convellere cogitur, quisquis Solarem curſum quærit.

Delineatio ſigni cœleſtis talis fere eſt, qualis in Numis Auguſti conſpicitur cum Globo & Cornu copiæ, ſymbolis potentiæ & felicitatis: adduntur, ut evidentior ſit ſignificatio, verba deſumpta ex Suetonio aſſerente, quod Auguſtus fiducia ſignum Capricorni, ſub quo natus, in numis argenteis publicaverit: FATI FIDUCIA. Infra: A DEO DATO LEOPOLDO PRINC. JUVENT. M. DCCXVI. Hactenus quæ ad nos transmiſſa ſunt.

Propoſuerat paſſim Viris doctis ingenioſiſſimus Heræus quæſtionem illam: utrum felicia Capricorni auſpicia eodem jure recens nato Archiduci tribui poſſint, quo olim Auguſto tributa fuerint? Dixit etiam ſententiam Academia Inſcriptionum Regia Pariſienſis. Tributa autem omnino eſt bonæ de Sereniſſimo Archiduce ſpei fauſta hæc ominatio. Nam & eo quo Auguſtus natus eſt die, non Sol ſed Luna in ſigno Capricorni fuit, & ubi de hominum fatis ex ſiderum poſitu conjecturam facere ſolent A-

Digitized by Google

ſtrologi, majorem fere Lunæ quam Solis rationem habent. Sed hic ingenii magis, & veluti boni ominis cauſa ad ſidera provocatur, quam quod revera numen iis ineſſe, & in fata mortalium vim credamus. Ceterum duo imprimis edere parat Cl. Autor, *Hiſtoriam Archiducum Auſtriæ*, numismatibus, quæ per annos circiter trecentos, ex quo ars cudendi numos inventa, conflata ſunt, illuſtratam, ac *Seriem Genealogicam familiarum illuſtrium*, cum iconibus eorum qui vel arte vel Marte claruerunt, e Muſeo Cæſareo depromptis.

RERUM PER EUROPAM GESTARUM A SANCITA ad Pyrenæos pace usque ad nuper pactam Ultrajecti, Raſtadii & Badæ Synopſis.

Norimbergæ, apud Jo. Frid. Rüdigerum, 1715, 8.
Alph. 1 pl. 12.

VUlgata fuit anno ſuperiori hæc Rerum Europæarum Synopſis, cujus pars jam A. 1692 Brietii Annalibus Supplementi loco adjecta, nunc demum aucta atque emendata prodiit, vitiis tamen Typographicis, quæ ſenſum ſæpius corrumpunt, hinc inde deformata. Nec caret omnino erroribus, quos paſſim depre-
p. 182. hendere licet, dum Wilhelmus II Princeps Auriacus fortuita ſclopeti minoris excuſſione vulneratus, diem obiiſſe fertur; frater quondam Czarii Ruſſorum Fridericus, & filius, uti fertur, Ja-
238. cobi II Angliæ Regis Carolus nominatur, atque Romanorum
414. Rex Joſephus Ao. 1704 primum armorum tyrocinium feciſſe dicitur. Autor ſacris Pontificiis, uti videtur, addictus, in Proteſtantes interdum iniquior, ſtylo tamen terſo ſatis uſus, paucis de ſtatu Europæ ante pacem Pyrenæam præmiſſis, orditur ab anno 1660 atque ita progreditur, ut quantum fieri poſſet, non ad annos ſolum, ſed menſes etiam, atq; dies ſingula referat, ac Viros quoque eruditionis fama illuſtres fato functos memoret. Quid exinde ſibi polliceri poſſit L. B. ſpeciminibus nonnullis docebi-
75. mus. Comitem Nicolaum Zerinium, non apri morſu, ſed turbas molientem ſecreta animadverſione occidi juſſum, Autor nar-
61. rat. Nuncium Pontificis A. 1665 ad Gallos miſſum, ſibi titulum Pontificii delegati apud Regem, & Regni ordines aſſeruiſſe, id

vero

Digitized by Google

vero ſcriptum juſſu Regio manibus apparitoris fuiſſe laceratum refert. Victoriæ A. 1675 Cæſareorum virtute partæ fructus eva- p. 144.
nuiſſe penitus exiſtimat, Lotharingo a Gallis corrupto. Proditio- 172.
nem Catholicorum A. 1679 apud Anglos a Tito Oates dete-
ctam figmentis accenſet. Imperium militare, bello propter Hi- 362.
ſpanicam ſucceſſionem excitato, ſuſcepiſſe teſtatur Ludovicum Badenſem, ab Imperatore Leopoldo promiſſionum & gratiæ cumulo delinitum, quare tandem arma in ipſum Cæſarem Noni Electoratus prætextu convertendi conſilium, quod illi ſuggeſſiſſe aliquos Noſter autumat, reſpuerit, eundem tamen in bello
Bavarico deſidiæ quodammodo accuſat. Exercitum Germano- 399.
rum pugna ad Spierbacum commiſſa, vel ob nimiam virium 402.
fiduciam, vel quod minus diligenter hoſtis adventus exploratus fuerit, cæſum ſibi perſuadet.

JOHANNIS JONSII, HOLSATI, DE SCRIPTORIBUS Hiſtoriæ Philoſophicæ Libri IV. nunc denuo recogniti atque ad præſentem ætatem usque producti, cura JO. CHRISTOPHORI DORNII, cum Præfatione BURCARDI GOTTHELFI STRUVII.

Jenæ, apud viduam Meyerianam, 1716, 4.

Alph. 3 plag. 8.

PRodiit antea hic liber anno 1659, Francofurti ad Mœnum, ubi Cl. Autor Rectoris munere fungebatur in Schola urbana. Nec mediocriter hominibus in his rebus verſatis ſeſe probavit, quippe diligenter & erudite conſcriptus. Quod cum non ignoraret Cl. Editor, operæ pretium ſe facturum putavit, ſi librum jam rarius proſtantem prelo iterum ſubjiceret. Ne quid vero deſiderari in nova Editione poſſet, non breves ſolum notas ſubinde adjecit, quibus ſcriptores uberius ſingula perſequentes commendavit, ſed ipſum quoq; tertium & quartum librum inſigniter auxit. Atque in his Autores Jonſio leviuſcule tactos diligentius perſequitur, omiſſos addit & ſtudioſe ſupplet, poſtremo etiam recentiſſimorum & adhuc ſuperſtitum ſat amplam, pro ſcopo ſuo, mentionem facit. Nimirum ſingula *pari cum Jonſio inſtituto, in-*

ſigni

ſigni cura tractat, ut pro genio temporis noſtri, non ſine fructu Lectores ſuos dimittat, cenſente Celeb. Struvio, qui Præfationem huic Editioni præmiſit: ubi etiam optandum dicit, ut reliqua Jonſii ſcripta, ad quæ ipſe in hoc libro provocet, eadem cura publicentur: ut *Hiſtoria Socratica*, de qua lib. I cap. VII, *Hiſtoria Peripatetica*, ibid. c. XX, *Grammatici*, lib. III c. I. Ceterum cum liber ipſe novus non ſit, ſpeciminibus proferendis ſuperſedemus.

APPENDIX AD RELATIONEM DE PHÆNOMENO luminoſo.

CUm ſuperior relatio jam typis deſcripta eſſet, pervenit ad nos tractatulus, quem de eodem phænomeno luminoſo Torunii in 4. vernaculo idiomate edidit *Johannes Arndius*, Gymnaſii Torunienſis Profeſſor. Obſervavit autem phænomenon Dantiſci, ubi tunc agebat, & teſtatur, ſe ſtrepitum radiorum ex arcu luminoſo aſcendentium per aerem auribus ſuis percepiſſe. Monet etiam ventum tum ſpiraſſe, quamvis leniter, ex plaga *Nord-VVeſt gen Norden* noſtris dicta, ubi arcus luminoſus conſpiciebatur, & noctu inter 16 & 17 Martii idem meteoron a vigilibus Dantiſci viſum eſſe. Communicatæ præterea ſunt nobiſcum litteræ, quas Cl. *Liebknecht*, in Academia Gieſſenſi Mathematum Profeſſor d. 20 Jul. ad Cl. *VVolfium* dedit, & in quibus teſtatur, nocte inter d. 17 & 18 Martii nec a ſe, quamvis more ſuo cœlum cum cura contemplatus fuerit, nec a militibus excubias in vallo agentibus quicquam obſervatum eſſe: cum tamen d. 20 Aprilis rumor manaret de meteoro ignito nocte præcedente inſtar bombardæ portatilis globos miſſiles ejicientis verſus Auſtrum viſo, & ipſe veſpere ſubſequente cœlo attenderet, non modo h. 9 veſpert. meteoron ingens ignitum ab *auſtro verſus* boream proceſſiſſe, quod pyrobolorum inſtar tramitem luminoſum poſt ſe traxerit, & ſcintillas ante ſe ſparſerit; verum etiam min. 46 luculam prope horizontem borealem animadvertiſſe, quæ poſt alterna ſplendoris incrementa & decrementa mox min. 48 diſparuit, & diebus 21, 22, 23 & 24 Aprilis rediit, aliis ſpectaculis ſane ſingularibus comitata, quæ, cum breviter hic deſcribi nequeant, a Cl. Obſervatore alibi cum publico communicatum iri ſperamus. Illa autem ſpectacula ultima inprimis die, nempe 24 Aprilis, illuſtria fuere; quod quidem hic annotari conſultum duximus, ne quis in præjudicium veritatis ſumat, quæ novellæ publicæ hoc anno de phænomenis luminoſis paſſim in Germania & extra eam obſervatis nunciarunt, omnia promiſcue ad eundem diem eſſe referenda: cui etiam obſervatio *Caſſiniana* contradicit.

Proſtat Supplem. Tomi VI Sectio VII.

** ** **
* * *

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ
Calendis Septembris, Anno MDCCXVI.

DUCATUS LEODIENSIS, Or THE TOPOGRAPHY OF THE ANCIENT and populous Town and Pariſh of Leedes &c.

i. e.

TOPOGRAPHIA ANTIQUÆ ET POPULOſæ Urbis & Parochiæ Leodienſis & locorum adjacentium in parte occidentali Comitatus Eboracenſis; una cum genealogiis multorum Nobilium & honeſtiori loco natorum, aliisque rebus huc pertinentibus, ex Annalibus, Originalibus monumentis & Manuſcriptis petitis. Autore RADULPHO THORESBY, Societatis Regiæ Socio. Accedit Catalogus Muſæi ejusdem, una cum Catalogo MSStorum &c.

Londini, apud Henr. Clements, 1715, fol. Alph. 3 pl. 5 Tabb. æn. 11.

CUm exacta locorum & urbium deſcriptio antiquæ & novæ hiſtoriæ præclarum ſæpe lumen accendat, laudem utique meretur Cl. Thoresbejus, quod optimis præſidiis inſtructus Ducatum Leodienſem peculiari opera paulo diligentius deſcribendum aggreſſus eſt. p. V.
In *Præfatione* primo quidem declarat, quod veteris memoriæ patriæque amor, & urbis a Beda jam memoratæ antiquitas, & regionis circumjacentis præſtantia calcar ſibi ad præſentem laborem addiderint. Hanc ipſam enim eſſe regionem, de qua Henricus VIII Angliæ Rex pronunciaverit, quod in omnibus per Europam itineribus ſimilem non invenerit, tantaq; rerum omnium copia affluentem. VI. Eandem eruditos tuliſſe, quorum maxima in Scripturam S. extent merita, Wicleffum, Biblia, Eduardo III Re-

ge, Anglice vertentem, ejusque contemporaneum Thoresbejum Archiepiſcopum, in decem præcepta præclare commentatum, Coverdalium Epiſcopum, Henrico III Rege, ſacras literas transferentem, Waltonum, Polyglottis, & Polum, Synopſi Criticorum celebres, Cartwrightum, Franciſcum Robertum, alios. Imo

p. VII. etiam triginta annorum ſpatio, nempe ab anno 1662 usque ad 1692 ex eadem ſeptem Archiepiſcopos, & hos inter quinque Primates prognatos eſſe. Deinde nonnulla, quæ ad generalem hujus regionis deſcriptionem, & gentium, quæ illam incoluerunt, hiſtoriam pertinent, ediſſerit. Memorat nimirum, quod Comitatus Eboracenſis dividatur in tres partes, vulgo *Ridings*, & hæ rurſus in viginti duas centurias, vulgo *Wapentakes*, quarum octo in parte ſeptentrionali, quinq; in orientali & novem in hac occidentali ſive Ducatu Leodienſi occurrant. De incolis autem hujus ulterius certi aliquid affirmari non poſſe adſerit, quam quod durante adhuc Britannorum imperio, Brigantes ibi egerint. Inter Stillingfleetum, qui negare videatur Britannicas urbes, ſtatuens, quod Cæſari *civitas* non ſit locus, ſed populus ſub uno regimine unitus, & alios qui non ſolum pro urbibus, ſed etiam ma-

VIII. gnificis palatiis ante Romanorum tempora decertent, media via incedendum eſſe putat, & ſtatuendum, quod viginti octo civitates Nennio memoratæ a Britannis ortum, a Romanis incrementa acceperint. Inter illas vero eſſe *Cair Loid coit*, quam alii pro Lincolnia habeant; ſed cum hæc nullibi *Lindcoit* appelletur, & *coit* ſignificet ſylvam, atq; adeo monoſyllabum *Loid* vel *Luit* ad Lincolniam plane referri non poſſit, potius de urbe *Leedes*, vel *Loidis*, ut Alfredus in Saxonica Bedæ verſione pronunciat, accipiendam eſſe, & moderna Anglorum dialecto idem notare,

IX. quod *Loid in the wood, Loid in ſylva.* Sub Romanis tractum illum fuiſſe partem regionis, *Maximæ Cæſarienſis* dictæ, & ſub imperio Ducis Britanniarum. Illumque magna hominum & rerum geſtarum copia abundaſſe, patere ex multis reliquiis illius nationis. Quamvis Brigantes ſtrenue pro libertate ſua pugnaverint, tamen ſatis cito illos in provinciam Romanam redactos, atque inde viam ad Chriſtianam religionem apertam eſſe. Saxonum Reges in illo *Regiam villam* extruxiſſe, quæ ipſorum, durante

Digitized by Google

rante Heptarchia, & nonnullorum etiam, qui Monarchæ inſulæ vocati ſint, ſedes extiterit. Inter reliquas res ea ætate geſtas eminere prælium A. 655 in campo paluſtri Winmoore geſtum, quo, paganis miraculoſe proſtratis, conſilium eorundem extirpandi nomen Chriſtianum evanuerit. Poſtea eundem tractum a Danis, Humbram fluvium cum ducentis quadraginta navibus ingreſſis, & Normannis flebili modo divaſtatam, & a Wilhelmo Conqueſtore crudeliſſime vexatam eſſe. Denique rationem reddit illorum, quæ in hoc opere præſtitit. Nimirum cum nomen ſit brevis deſcriptio, in etymologiis locorum multum laboravit, & in genere obſervavit, quod nomina urbium & pagorum, utpote ſerius conditorum, ſint Saxonica, ſed fluviorum & ſylvarum, in quas indigenæ ſe receperint, adhuc ſint Britannica. In iisque omnibus ſecundum ſitum & naturam loci dijudicat. Sic e. c. p. X. nomen urbis *Leedes*, quod primo derivavit a Saxonico *Leod*, vel populum in genere, vel in ſpecie cives ſignificante, poſtmodum cum Epiſcopo Carleolenſi deducendum ſtatuit ex Britannico *Llwyd*, quod inter alia ſtatum denotat rebus undique proſperis amœnum. Multa reſervavit Parti Hiſtoricæ, ad eamque ſæ- XI. pius in hoc opere provocavit, quod prolixiora illa fuerint, quam ut hic potuerint inſeri. Genealogiarum præterea & Epitaphiorum paſſim hic additorum, errorum quorundam Hiſtoricorum XII ſqq. in aliis animadverſorum, & additi Muſæi rationem reddit, & eruditos, qui ſibi adjumento fuerint, laudat.

In ipſo Opere urbem Leedes ad Arum fluvium ſitam, & in tres partes, vulgo *Leedes Town*, *Kirkgate*, & *Main-Riding* appellatas, diſtinctam primo loco deſcribit, ea quidem methodo, ut a parte occidentali, in qua olim caſtellum erat, a Stephano Rege in expeditione adverſus Scotiam A. 1139 oppugnatum, initium ducens, & ſingulas inde plateas percurrens, non ſolum publicas ædes deſcribat, earumque aliquas æneis tabulis expreſſas ob oculos ponat, ſed ſubinde privatas etiam hominum illuſtri æque ac honeſtiori genere natorum memoret, eaque ſimul occaſione eorum paludamenta ære pariter expreſſa exhibeat, familiarum (quas inter Thomæ Osborne, Ducis Leodienſis, eminet) genealogias repræſentet, epitaphia, & inſcriptiones in templis,

 cœme-

Digitized by Google

cœmeteriis, campanis obvias enarret, nihilque omittat, quod ad
urbem exacte delineandam pertinere poſſit. Præterea nomi-
num propriorum origines e lingua maxime Saxonica feliciter
ſatis eruit. Sic curiam in hac urbe *Moot-Hall* dictam a *mote*, vel
p. 15. *gemote*, conventus, & *healle*, aula, palatium, & nomen *Hallifax*
66. ab *halig-feax*, ſacer capillus, a capillo nempe virginis martyri-
um perpeſſæ pro ſacro habito, derivat. Multus quoque eſt, in
83. appellatione tertiæ urbis partis *Main-Riding* dictæ explicanda.
Obſervat nimirum, *Riding* corruptum eſſe ex Saxonico *Dri-*
ding, tripartitam diviſionem notante, quod poſt Normannorum
adventum obſoletum, in comitatu quidem Eboracenſi, in tres
Ridings pariter diviſo, præcipue, ſi minus tantum, ſervatum ſit.
Saxones olim legem tuliſſe, ut quisque legitime natus, ſi an-
norum quatuordecim vel duodecim eſſet, in aliquam decu-
riam, vulgo *Tything*, reciperetur. Unamquamque decuriam
84. decem familiis conſtitiſſe, & e decem harum decuriarum factam
centuriam, alicubi *Wapentake* appellatam; cujus denominatio-
nis rationem pariter ex Legibus Regis Eduardi Confeſſoris ex-
ponit. Supra has centurias fuiſſe *Trihings*, vel, ut nunc dicantur,
85. *Ridings*, a *dri*, tres, & *ding*, cauſa, negotium, appellatas, quæ
juxta alios tres centurias complexæ ſint, ſed magis probabile eſ-
ſe, quod in genere tertiam ditionis partem innuerint. Ejusque
86. partis judicem dictum eſſe *Trihingerefe*. *Main* vero vel *Mane*
additum ad *Riding*, vel a *mæne*, communis, ortum trahere,
quaſi quod fuerit communis curia trium urbis *Leedes* par-
tium, vel a *man*, homo, quaſi *man-thriding* ſit juriſdictio
pertinens ad *thriding-man* vel *gerefe*, vel ex antiquo Gallorum
98. 99. vocabulo *magne*, magnus. Lectu quoque non indigna ſunt, quæ
109. ſqq. de mancipiis veteribus in Anglia memorantur. Ex urbe ad Pa-
rochiam Leodienſem tranſit, & quæ in illa occurrunt loca cum
memorabilibus enarrat, additis de nominibus illorum aliisque
rebus obſervationibus, & inſertis rurſus familiarum, quæ hic ſeſe
109 offerunt, nobiliorum genealogiis. Pauca delibabimus. In pago
Oſſinthorp Villam Regiam fuiſſe conjicit, cujus mentionem fa-
12. cit Beda, & in pago *Gipton* locum, ad quem Edilvvaldus, Oſwal-
di Regis filius, in prælio in campo *Winmoore* commiſſo ſeſe re-

cipi:

Digitized by Google

cipiens eventum diſcriminis expectaverit. In campis, ubi *Street-Lane* & *Haw-Caſter, Rig*, reliquiæ Romanæ Viæ Vicinalis, & p. 139.
caſtrorum Romanorum occurrunt. In campo *Hare-low-hill* vi- 140.
detur Oſwyus Rex caſtra habuiſſe ante prælium in campo *Win-moore*. Inter varias antiquitates Romanas in vico *Cookridge* eru- 160.
tas reperti etiam duo lapides molares, qui molis tenuitate, utpote viginti pollicum latitudinem habentes, oſtendunt, quod Romani illius æque, ac Ægyptii & Judæi antiquioris ætatis, ad molendum ſervis & captivis uſi ſint. Sunt autem ab una parte convexi, & in centro tertiam fere partem craſſiores, quam in peripheria. Et alter illorum non ſolum in medio, ſed etiam ad latus locum excavatum habet, qui, Noſtro conjicente, ferro, quo circumactus eſt, inſerviit, atque adeo fuit catinus. Fragmenta quoque ibi effoſſa ſunt alterius lapidis molaris diverſi generis & coloris, & in peripheria fere æque craſſi, quam reliqui in centro, ſed non convexi. Ultimo ad territorium circa 232 ſqq.
Parochiam Leodienſem, ab ulmis ibi abundantibus *Elmet* appellatum, ſe convertit, ibique Bedæ ſylvam Elmetæ fuiſſe arbitratur. De Catalogo Muſæi, quod poſſidet Cl. Autor, huic libro a Typographo adjecto, ſigillatim nunc dicemus, quod & ipſe ſeorſim paulo ante Topographiam hanc prodiiſſe videtur.

MUSÆUM THORESBYANUM, OR A CATAlogue of the Antiquities &c.

i. e.

INDEX ANTIQUITATUM RERUMQUE ARtis & naturæ rariorum, aſſervatarum in forulis RADULPHI THORESBY, R. S. S. Leodii in comitatu Eboracenſi.

Londini, apud Henr. Clements, 1713, fol.

Alph. 4.

NOn ſupra vulgus ſapiunt illi, qui ſibi, in nullius uſum, literarios theſauros corradunt, & ſuis clauſtris detentos abſcondunt; alia via, laudabili magis, incedere voluit publici boni ſtudioſus, Cl. Thoresbejus, qui quicquid forulis privatis curioſe conquiſitæ artis & naturæ ſupellectilis incluſum ſervat, omni-

bus ſpectandum hic expoſuit. Omnem vero pretioſorum penum tribus claſſibus diſtinguit, quarum prima monetæ veteris inprimis reliquias exhibet; altera res, quæ artis & naturæ ſunt, comprehendit; tertia varias ſacrorum librorum editiones recenſet, veterumque manu deſcriptorum codices, qui in Manuſcriptorum Britanniæ Catalogo omiſſi ſunt, enumerat; quibus omnibus appendix ſubjuncta eſt eorum, quæ in prioribus tranſmiſſa ſunt. Numorum veterum principium ſumitur ab iis, qui partim Hebræis, partim Samaritanis notis inſigniti ſunt, quos tamen, præcipue priores, tantum non omnes eruditi vel tanquam aperte falſos rejiciunt, vel ſuſpectos reddunt. Hos Græci excipiunt, in quibus pauca offendas, quæ ab aliis non obſervata ſint. Major eſt Romanorum ſeries ab antiquiſſimi regni Romani temporibus repetita, & per Regum, Conſulum & Imperatorum ſucceſſiones ad Conſtantem continuata; ſed verendum, ne eruditorum aliqui ex genuinorum ordine eorum multos ejiciant. Hinc numi Britannici, Punici, Saxonici ſequuntur & Danici. Conſtantinus magnus primus vulgo creditur numos curaſſe cudendos in Britannia, ſed exemplis in Muſeo hoc proſtantibus probatur, Conſtantium Conſtantini patrem officinam monetalem Londini conſtituiſſe. Ex ære mixto plurima pars Britannicorum eſt, unus ex auro & cupro mixtis, vel electro vero, an vero monetæ loco fuerint tales, an amuleta, Autor non audet definire. Ad Saxonicos antequam *procedat*, hortatur harum rerum imperitos, ne in duplicem errorem incidant, in quem ducit celebris Antiquarius, aſſerens, pauciores eſſe numos Saxones æreos, quam aureos vel argenteos, cum in nullo cimeliorum reperiatur numus ex auro hujus gentis, nec mentio ejus fiat apud Autorem quenquam fide dignum; æreorum vero numorum multo major ſit penuria, quam argenteorum. Alterum eſt, quod notari debet in depingenda numorum quorundam magnitudine modum exceſſiſſe doctiſſimum Walkerum in Nova Britannia, cum nullus mole major ſit, quam ut deſcripti ſunt accuratius in Andreæ Fontani Numiſmatibus Anglo-Saxon. Hinc ſequuntur Normannorum numi cum Anglicis, ad noſtram ætatem. Octo priores Normannici Reges

Reges anteceſſorum ſuorum monetam non mutatam ſervabant, etſi parum imminutam. Duorum Wilhelmorum numi valde rari ſunt, caſu autem fortuito his demum temporibus quidam eorum e terra ſunt effoſſi, quorum & Autor aliquos impetravit. Eduardus I anno 1272 monetam non leviter mutavit, & primus novum ei modum conſtituit, ſeque dominum Hyberniæ inſcripſit, & ſceptrum omiſit, in adverſa parte, ubi monetarii nomen ſignatum ante erat, nomen urbis, vel villæ, ubi numus cuſus erat, omiſſo priori, exhibuit, primus etiam minutiorem monetam cudit, cum antea particulis ex majori diſſectis uterentur, quod poſthac fieri vetuit. Tota hinc numorum Regum Angliæ ſeries exhibetur, & quid ſinguli in moneta mutaverint, obſervatur. Scotorum moneta eadem eſt pondere, & denominandi ratione, cum Anglica, ſed non pretio, quippe per temporum vices mutato; de quo agit Autor poſt recenſitos Anglorum numos: incipit vero ab Alexandro I Scotorum Rege, qui regnavit anno poſt C. N. 1107 & inde ad ſucceſſores pergit. Hinc non magna copia ſequuntur Pontificum Romanorum numiſmata, in quibus illud recenſetur quod Gregorius XIII in memoriam diræ lanienæ Pariſienſis 1572 fieri juſſit & *Hugonottorum ſtrages* inſcribi curavit. Imperatorum Germanorum numi incipiunt a Ludovico, neſcio quo, & ſequitur Carolus V & reliqui. Hiſpanorum Regum primi ſunt hic in numis Ferdinandus & Iſabella: nec majoris ſunt numi Francici, qui ſequuntur, & Danici, Suecici, Polonici, Luſitani. Fœderati Belgii numiſmatum recenſio initium ſumit ab obſidione Lugdunenſi 1571, quam variæ civitatum imperialium & Principum Imperii monetæ excipiunt. Sequitur numorum recenſum Index rerum naturalium, atque arte factarum, atque primo loco ponuntur partes humani corporis, ubi de reliquiis in urnis combuſtorum conſervatis, de mumiis, de calculis variæ magnitudinis & figuræ, de cornibus etiam humanis & ſimilibus. Animalia bruta ordine naturali per ſuas claſſes exhibentur, eorumque partes conſervatæ deſcribuntur. Plantæ etiam rariores quædam exoticæ a Nicholſono collectæ recenſentur, lapides item figurati, coralliorum variæ ſpecies, cochleæ petrefactæ, & bivalvia, irregu-

gu-

gularis figuræ lapides, metalla & metallica corpora. His ſubjunguntur artis opera, quæ in ſua diſtinguuntur capita, & primo loco exponuntur; quæ uſum in bello præſtant, præcipue peregrinis populis. Apparatus Mathematicorum inſtrumentorum eſt exiguus; major vero eſt ſupellectilium domeſticarum copia, ubi varium peregrinarum gentium inſtrumentum exhibetur. Statuæ & muſiva opera ſequuntur, ubi antiqua novis mixta ſunt. Inter reliquias Pontificiæ ſuperſtitionis quam maxime demiratur Autor pictam tabulam, qua deſcriptus eſt ſenex triplici corona ornatus, homo cruce inſtructus, & columba, ſparſis circum ſingulos radiis, pro adumbrando SS. Trinitatis myſterio. Sigilla ex ære fuſa, & inciſa, non copia, nec pretio inſignia ſunt, nec fere potiora ad gentilium ſacra pertinentia, amuleta, & magica, poſt quæ ſequuntur varii generis deaurata, & pictæ variarum rerum imagines. Inter varios ſacrorum librorum codices primus, Biblia Sacra inſcriptus, cum epiſtola Hieronymi ad Paulinum de omnibus divinæ hiſtoriæ libris & præfatione ejusdem S. Hieronymi, ordine librorum, & reliquis, convenit cum Bodlejano quodam, qui dictum 1 Joh. V *Tres ſunt qui teſtimonium perhibent*, non exhibet, quod autem in hocce in ſua textus ſerie integrum legitur, in altero vero, imperfecto magis, in margine adſcriptum eſt. Inter impreſſas Bibliorum editiones erunt fortaſſe, quibus Bibliotheca ſacra augeri queat. Catalogus manuſcriptorum reliquorum ex eo commendandus, quod aliqua indicantur, quæ in Catalógo Manuſcriptorum Angliæ omiſſa ſunt. Codex XIII, *Scala mundi*, ante reformatam eccleſiam abſolutus, in Pontificum Romanorum indice Johannam Papiſſam exhibet, quod obſervari meretur. Potiſſima vero pars horum ad jura regni vel eccleſiæ Angliæ ejusque hiſtoriam illuſtrandam facere queunt, quo etiam fere referri poſſunt avtographæ virórum cujuscunq; ordinis epiſtolæ, quarum hic recenſetur non contemnendus numerus, quarumque pars ipſorum Angliæ Regum eſt; exſtant enim inter illas, quæ Regum, Henrici V & VI, Eduardi VI, Richardi III & ſequentium manu ſubſcriptæ ſunt; nec minus antiquorum ſcriptorum collectionis pars præcipua ad Angliam pertinet. Ceterum, quod ubique annotatum eſt, quorum liberalitate vel provida cura hocce cimelium incrementa ceperit, id

ma-

Digitized by Google

magis gratitudinem teſtatur poſſeſſoris, quam ut eodem Lectoris uſui conſulatur. Index, pro more gentis illius, moli libri non reſpondet, quod rerum, quæ in eo continentur, copia poſtulare videbatur, quia ex hoc potiſſimus ejus uſus pendet.

R. D. P. BERNARDI PEZII, BENEDICTINI ET Bibliothecarii Mellicenſis, Epiſtolæ apologeticæ pro Ordine S. Benedicti. Edidit, notis & obſervationibus illuſtravit R. D. P. MELLITUS ORATIUS, ejusdem Ordinis Theologus.

Campoduni, per Jo. Mayr impreſſum, 1715, 8.

Pl. 19½.

INter Ordines in Catholica, quam vocant, Eccleſia ſummum ſanctitatis ſtudium profitentes magnas ſubinde oriri æmulationes, quæ in mordaciſſimos erumpant libellos, cum hiſtoria vetus docet, tum noſtra ætas, quæ librum vidit titulo *Tubæ magnæ* Societatem Jeſu quæſitiſſimis proſcindentem conviciis, (de quo vid. hæc Acta A. 1714 p. 65) ideoque Monachii exorantibus Jeſuitis publice manu carnificis crematum: id quod ex præſenti, quem jam recenſituri ſumus, libello *p. 74* cognovimus. Quas igitur querelas Jeſuitis ceteri ordines, easdem Benedictinis nunc expreſſerunt Jeſuitæ, poſtquam quidam ex eorum ordine A. 1714 librum *Cura ſalutis* inſcriptum Viennæ vulgavit, in eoque Societatem Jeſu cum Benedictino Ordine conferens cum hujus injuria ſuam illam Societatem extollere viſus eſt. In hunc ipſum libellum inciderat Florbertus quidam Viennenſis, eoque perlecto conſilium jam captum nominis ſui Benedictinorum Ordini addicendi mutaverat, Societatique Jeſu adjungere ſeſe maluerat. Ante vero, quam id faceret, per literas Rev. Pezio (Bibliothecario monaſterii Mellicenſis, vulgo Mölck, Vienna undecim milliaribus Linzium verſus diſtantis,) animi ſui ſenſa aperuit: qua occaſione plures Pezius ad eum miſit epiſtolas, ordinis ſui honorem ſtrenue vindicaturas, quas præſens volumen complectitur. *Prima* igitur Epiſtola Florberti eſt, qui dubitationes e lectione Jeſuitici libelli in animo ſuo obortas recenſet. Redeunt illæ ad duo capita: Benedictino homini per omnem vitam eodem

Digitized by Google

in monaſterio manendum eſſe, quæ res multis graviſſimis obnoxia ſit incommodis; eidemque deeſſe occaſionem ſtudia litterarum tractandi. Reſpondet *ſecunda* Epiſtola Pezius, ac generatim plurium ſophiſmatum reum agit Jeſuitam, quæ repetere ab hoc loco alienum eſt. *Tertia* Epiſtola, ab Abbate quodam Benedictino, cui nomen Eulogii, ad Pezium non ſine ſtomacho ſcripta, ſignificatur, libellum Jeſuitæ memoratum injurioſiſſimum eſſe in Ordinem Benedictinum, Societatique Jeſu magnorum incommodorum periculum impendere, niſi ea omnem ejus libelli memoriam aboleat, ac læſis Ordinibus ſatisfaciat. Suadet inter alia Eulogius Jeſuitis, ut libellum iſtum manu carnificis comburendum curent, ſeque nullo beneficio Societatem Jeſu affecturum eſſe minatur, donec ea publico aliquo ſcripto expreſſiſſime condemnet ſcandaloſas propoſitiones iſto libello contentas. Epiſtola *quarta* & ſequentes, ultima excepta, ad Florbertum a Pezio perſcriptæ ſunt, qui in iis ſpeciatim Jeſuitæ criminationes inſectatur ac ſtudioſiſſime refellit. Ad noſtrum inſtitutum *decima* potiſſimum Epiſtola pertinet, quippe in qua ad retundendam Jeſuitæ de Benedictinorum ἀμαθίᾳ criminationem duos exhibet catalogos, quorum priore ſcriptores Benedictinos primæ magnitudinis inde ab A. 1600 usque ad A. 1714 una cum præcipuis eorum operibus recenſet; poſteriore ceteros quosvis ejusdem Ordinis ſcriptores, qui eodem temporis ſpatio vixere, repræſentat, ſimulque vota facit, ut e pluribus *monaſteriis ſibi* mittantur nomina Virorum ſcribendi laude celebrium ad exornandam ſuam *Bibliothecam Benedictinam generalem*, & Vitas Benedictinorum ſcriptorum, & accuratam operum, etiam minutiorum, editionumq; recenſionem complexuram, in qua conficienda multorum jam annorum operam ſe collocaſſe fatetur. Lubet ex ſuperiori Catalogo eos duntaxat nominare, qui etiam in noſtris regionibus clarum conſecuti nomen ſunt, ac partim in hiſce Actis non perfunctorie laudati. Sunt hi ſequentes: *Anſelmus Bandurius, Antonius Beaugendre, Antonius Perezius, Benedictus Bacchinus, Bernardus Montfaucon, Cæleſtinus Sfondratus, Calmetus, Carolus Stengelius, Conſtantinus Cajetanus, Dionyſius San-Marthanus, Edmundus Martene, Gabriel Bucelinus, Gabriel*

briel Gerberon, *Hugo Menardus*, *Joan. Caramuel*, *Mabillonius*, *Martianæus*, *Cardinalis de Aguirre*, *Lucas d'Achery*, *Nicol. Nourry*, *Petrus Coutant*, *Prudentius de Sandoval*, *Renatus Maſſuetus*, *Theodoricus Ruinartus*, *Virgilius Valſechus*. *Duodecima* eademque poſtrema Epiſtola Florbertus Pezio ſcribit, ſe, lectis ipſius epiſtolis, mentem omni ſcrupulo vacuam nactum firmiter ſtatuiſſe S. Benedicti Ordini nomen ſuum dandi: quanquam Præfatio hujus epiſtolici voluminis docet, eum extremo anni 1714 die rebus humanis ereptum nec ſui voti compotem factum eſſe. Anteaquam haſce epiſtolas miſſas faciamus, duo adhuc inde repetenda ducimus, literariam illuſtratura hiſtoriam. Primum eſt, quod Monacho noſtro ſcholaſtica philoſophia & theologia minus eſt ad palatum. *Vivimus*, inquit *p. 207*, *nunc eo ſeculo*, *quo etiam doctiſſimis viris ſcholaſticæ tricæ ſordere cœperunt*. Immo *p. 28* haud obſcure docet, *in Academia Viennenſi majori in laude & plauſu eſſe ſubtilia & aranearum telis non admodum abſimilia mentis ratiocinia, quam graviſſima SS. Patrum & Conciliorum dicta*. Alterum eſt, quod Autorem indicat libri, paucis abhinc annis præſcripto nomine *ANTONII ULRICI*, Ducis Brunſuicenſis, emiſſi, ſiſtentisq; *quinquaginta Motiva* ſive cauſas, cur Romano-Catholica religio ceteris præferenda ſit: quem libellum a noſtrate B. Gunthero confutatum eſſe conſtat. Scilicet ex *p. 166* & *176* diſcimus, libelli iſtius Autorem eſſe Godefridum, nunc Abbatem monaſterii Benedictini Gottwicenſis, in Auſtria inferiore non procul a Danubio in edito monte ſiti, & Univerſitatis Viennenſis Rectorem Magnificum, eo autem tempore, cum memoratum libellum compoſuit, Officialem & Conſiliarium Moguntinum.

Ceterum cum Bibliothecæ, quam Noſter parat, Benedictinæ mentionem modo injecerimus, non erit ingratum, mentem Autoris, quam plenius in Epiſtola nuper admodum ſeorſim impreſſa expoſuit, hoc loco cognoſcere; unde quæ huc imprimis faciunt, ipſis Autoris verbis addimus.

CONSPECTUS BIBLIOTHECÆ BENEDICTINÆ Generalis, a R. P. BERNARDO PEZ edendæ.

Bibliotheca Benedictina Generalis in tredecim ſecula diſtribuitur, totidem nempe, quot ab exortu Ordinis ad hanc ætatem ſunt. Cuilibet ſeculo Diſſertatio de ſtatu literarum, liberalium artium, diſciplinarumq; eo tempore in Ordine noſtro præfigitur. Ibidem de inſignioribus fidei controverſiis, quibus noſtri ſcriptores plerumque implicati fuere, de ſtudio, & induſtria ſcribarum ſeu librariorum, de artificiis a noſtris aut inventis, aut excultis &c. agitur.

Scriptores Benedictini omnes ordine Chronologico recenſentur ita, ut ille reliquos antecedat, qui prior diem ſuum obiit, ſi de hoc conſtet. Alias ratio habetur temporis, quo quisque floruit, & inclaruit. Quod ſi qui ſint, quorum ætatem ne probabili conjectura quidem aſſequi licet, ii ad calcem univerſi operis ordine alphabetico collocabuntur. Sanctiſſimus Patriarcha Benedictus, tanquam conditor noſtræ gentis, honoris cauſa primum locum obtinet. Paucis: quam viam celeberrimus Joannes Mabillonius in referendis *Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti* iniit, hanc nos, quod licet, in exhibendis Scriptoribus tenemus. Hinc etiam dabimus operam, ut Bibliotheca hæc eadem forma typis excudatur. Sane ſi doctiſſimi noſtri e Congregatione S. Mauri Sodales Acta Sanctorum a Mabillonio cœpta, eadem methodo usque ad hæc tempora (neque enim unquam Viri venerabiles, pietateque illuſtres fœminæ nobis defuerunt) continuabunt, illa noſtræ Bibliothecæ conjuncta, intra juſtum voluminum numerum, ſeriemque percommodam repræſentabunt, quidquid de noſtrorum hominum ſanctimonia vitæ, ac doctrinarum ſtudiis, præcipuis nimirum Ordinis noſtri capitibus, noſſe operæ pretium fuerit. Ordo & diſtributio hæc eo etiam nomine Viris eruditis placuit, quod ortum, incrementum, decrementum, & inſtaurationem Literarum in Ordine noſtro per ſe ac clariſſime indicet. Ne tamen Lectoribus in inquirendis Scriptoribus ſingulis ulla moleſtia creetur, ſat copioſi, & probe inſtructi qua ſingulares, qua generales Indices ad cujusque voluminis calcem comparebunt.

Dum Scriptor aliquis proponitur, nomen, prænomen, cognomen, patria, parentes, locus Profeſſionis, magiſtri, diſcipuli, ami-

amici, ſtudia, peritia linguarum, munera geſta, caſus, judicia eruditorum de iis hominum, annus, diesque nativitatis, obituſve, & alia hujusmodi, quæ ad vitæ hiſtoriam attinent, memorantur, paucioribus verbis in iis Scriptoribus, quorum res aliunde ſat notæ ſunt, pluribus vero in iis, de quibus admodum pauca conſtant. Optandum, ut hæc Scriptorum elogia ſecundum Chronologicam vitæ ſeriem ſemper contexi poſſent ad eum fere modum, quo Guilielmus Cave in Hiſtoria Literaria Scriptores Eccleſiaſticos celebravit. Scriptoribus noſtris accenſentur etiam Anonymi, Muſici, Pictores, & cujuscunque generis inſignes Artifices.

Vitis, ſeu elogiis Scriptorum illico ſubjicitur catalogus Operum, tam typis editorum, quam manuſcriptorum, addito loco, tempore, forma editionis, ac nomine Typographi. Præcipua quadam diligentia notantur editiones Gothicæ, quas quidam vocant, ſeu illæ, quæ ab anno 1443 fere usque ad annum 1500 procuratæ fuere. Si opus manuſcriptum duntaxat ſit, præter titulum innuitur etiam locus, ubi hodie ſervetur. Cumque gratiſſimum eruditis ſit, ſi librorum MSS. initia exſcribantur, id nos ſedulo agimus, & ut ab amicis etiam agatur, obnixe rogamus. Immo ſi quæ gravioris argumenti opera hactenus inedita, & ante annum 1500 conſcripta, nobiſcum communicata fuerint, ea ad ſingulorum voluminum calcem edere decrevimus. In catalogis operum nihil penitus a nobis prætermittitur, utut leve quibusdam rerum minus peritis videatur, maxime ſi ante annum 1500 vel 1600 ſcriptum fuerit, qualia ſunt brevia Monaſteriorum Chronica, vitæ Cœnobitarum, Collectiones donationum, Chartarum, Privilegiorum &c. quæ in Archivis plerumque deliteſcunt, non ſine graviſſimo rei Literariæ, præſertim Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ detrimento.

MISCELLANEA LIPSIENSIA AD INCREmentum rei literariæ edita.

Tomus I & II.

Lipſiæ, ſumt. Hæredum Lanckiſianorum, 1716, 8.
Conſtat T. I Alph. 1 pl. 3, T. II Alph. 1.

INſtituti hujus, cujus Autor Cl. Pezoldus, ratio eſt, ut variorum obſervationes e litteris philologicis, criticis, philoſophicis, mathematicis & hiſtoricis petitæ colligantur, quippe quas Director ita in ſummam redigere ſibi induxit animum, ut per ſpatium unius anni quatuor Tomi queant prodire. Conſultum eſſe duxerunt collectores, nomen Autoris, qui conſcripſit obſervationem, præfigere, nec alia lingua, quam Romana uti, & adhæc fato functi Collegæ vitam, fata & ſcripta, quæve ejus in hanc ſocietatem ſint merita, pluribus exponere. Jam in lucem exierunt duo harum Obſervationum Tomi, quorum priori Summe Reverendus Buddeus Præfationem præmiſit, qua utilitatem declarat, qua hujusmodi Societas rem literariam adjuvare & magis ornare queat. Nobis in animo eſt, quasdam harum adnotationum perluſtrare. Tom. I Obſervatio II agit *de nuditate primorum parentum*, & anonymi cujusdam interpretationem Gen. II, 25, quod verba hæc de nuditate minus debeant explicari, confutare conatur. Obſerv. IV illuſtrat verba Vopiſci cap. V de patera, quæ Aureliano data fuit, cum legatus ad Perſas iſſet, qualis Imperatoribus dabatur a Rege Perſarum, in qua inſcriptus erat Sol eo habitu, quo colebatur in templo, in quo mater ejus fuerat ſacerdos. Obſerv. V *de nugis & bellis Grammaticorum* perſtringit illos eruditos, qui altercationibus indulgent, inprimis ejusmodi, quæ nullius ſunt momenti, & in rebus Grammaticis occupatæ ſunt, quæ omnia variis exemplis ex hiſtoria literaria depromtis *illuſtrata* ſunt. Obſ. XI *de bis mortuis* Autore D. Schwerdtnero inquirit in quæſtionem: num reſuſcitati a Chriſto denuo mortem fuerint paſſi? quam fretus teſtimoniis ſacrarum literarum negat, provocans ad Ebr. IX, 27, 28, quo loco dicatur, hominem ſemel tantum mori, & quod ipſe Chriſtus ſemel duntaxat, non ſæpius mortuus & oblatus ſit. Obſ. XIII diſſerit *de ſacris Bellonæ eruditis inter Baalitas conſpicuis*, & illuſtrat inprimis 1 Reg. XVIII. Oſtendit Autor, quod Sol ab antiquis Judæis ſub nomine Baal cultus fuerit, quodq; Bellona a priſcis gentibus pro ſorore, uxore, itemq; auriga Martis ſit habita, ex quo provenerit, quod Mars planeta a gentibus veluti præſes rerum belli ſit cultus, Sol vero ſeu Bellona Martem proxime contingat, noſtrique reſpectu hunc anteeat.

teeat.

Digitized by Google

teeat. Obſ. XIV *eſt de comitibus Palatinis & Rangrafiis.* De officio & nominis origine Raugrafiorum diſcrepant Autores ſententiis ſuis. Trithemius, qui horum Comitum ſæpius meminit, lepide eos *hirſutos* vocat, Rauch-Graſen. Reineſius iſtos Raugrafios appellatos eſſe exiſtimat, quod in locis aſperis & montium domicilium ſuum inter Moſellam & Moſam habuerint. Autor iſti favet opinioni, qua Raugrafios quaſi Rugegrafios dictos contendunt, quod vocabulum Rugen apud nos accuſatorem adhuc hodie in judiciis ſignificet. Hinc Rugegrafios accuſatores criminales ſeu fiſcales Cæſarum & Comitum Palatinorum antiquitus fuiſſe conjiciunt. Obſ. XV *de ſocietate Abbreviatorum Romana*, exponit primum originem hujus Societatis, quod ſeculo XV quidam ſincero erga bonas literas amore inducti, Romæ illam conſtituerint, quam poſthac Pius IV Pontifex Romanus confirmatam ornaverit privilegiis, quod probatur ex Platina in vita Pauli II. Quibus expoſitis illuſtrat Autor nomen Abbreviatorum, ſocietatis leges, membra, quorum tradit non ſolum nomina, ſed vitas quoque, & probat, ſocietatem hanc minus inter figmenta referendam eſſe. Namque provocat ad ipſum Platinam vita Pauli II, quippe qui habeat mentionem collegii, quod bonis & doctis viris fuerit refertum, etiam Poetis & Oratoribus, divini & humani juris peritiſſimis: ad ordinem vero Abbreviatorum Apoſtolicorum nullos Poetas, nullos Oratores requiri: adhæc certum eſſe, eo tempore, quo Societas Abbreviatorum extructa dicitur, Academiam Romæ floruiſſe, quam Abbreviatorum nomen habuiſſe, declaratur. Obſ. XVIII *agit de vindiciis relationis de Quedlinburgenſi colloquio*, Autore D. Kettnero. Quum S. R. Kettnerus in Hiſtoria Quedlinburgenſi p. 255 Colloquium Quedlinburgenſe, de doctrina *omnipræſentiæ Chriſti* inſtitutum, tradidiſſet fuſius, Wideburgius, Profeſſor Helmſtadienſis, eum aggreſſus eſt & oſtendere laboravit, famam Theologorum primorum Helmſtadienſium indignis lacerari modis, & omnia repugnare veritati, quæ dicta Hiſtoria Quedlinburgenſi de illis eſſent expoſita. Cui Wideburgio haſce oppoſuit Kettnerus Vindicias, & ut ſententiam ſuam magis firmaret, dedit operam. Obſ. XXVI de *Apoſtaſia Porphyrii Tyrii vera neq; ulla ratione conficta agit*, cujus obſer-

Digitized by Google

obſervationis Autor eſt Summe Rever. L. Siberus. Primum removet argumenta, quibus apoſtaſia Porphyrii negari poſſe videtur, Chriſtianos quippe ſcriptores odii & furoris ſtimulis agitatos ſcelus illud Porphyrio attribuiſſe; Conſtantini epiſtolam, qua Arianos Porphyrianos dici voluit, videri confictam; Porphyrii profeſſionem Chriſtianæ religionis ex familiari cum Origine conſuetudine fuiſſe excogitatam; non poſſe demonſtrari, Chriſti divinam naturam ab ipſo oppugnatam, nec quidquam contumeliarum in Chriſtum dictum eſſe, multo minus Patres Arianis objeciſſe Porphyrianiſmum. Quibus argumentis deſtructis, exiſtimat, autoritatem Patrum eccleſiæ eſſe habendam ſartam tectamque, hisque fretus, tuetur ſententiam ſuam teſtimoniis Lactantii, Euſebii Cæſarcenſis, Socratis, Libanii & aliorum.

Tom. II Obſerv. XXX diſſerit de *eruditione Græcorum, qui hodie vivunt*, contra Alex. Helladium, quem Autor partim malæ fidei, partim errorum, quibus liber ejus de ſtatu præſente eccleſiæ Græcæ abundet, accuſat. Namque quum Helladius ea eſt opinione, quod vulgaris Græca lingua a veteri non aliter differat, ac ruſticorum in Germania ab illa hominum politiorum, contrarium probat Autor, & oſtendit, linguam Græcorum, qui nunc ſunt, recte dici Barbaro-Græcam. Obſ. XXXV *de ſcientiæ herbarum utilitate* D. Schmiederus Medicos & Botanicos rogat, ut laborem ſuum de indice plantarum venenatarum colligendo adjuvent. Obſ. XXXVIII *de die Jeſu Chriſti emortuali, Autore D. Deylingio*, & *Obſ. XXXIX* eſt *de bibliotheca ſcholiaſtarum univerſali adornanda* ex MS M. Thryllitii. Euſtathii ſcholia in Iliadem Homeri tomum primum abſolvant: alterum in Odyſſeam exercitationes, quibus adjici poterunt ejusdem Euſtathii in Dionyſii περιήγησιν hypomnemata: tertium occupent Ioannes & Iſaacius Tzetzæ: quartum Theanis commentaria; quintum ſcholia in Ariſtophanem, Æſhylum, Sophoclem, Euripidem; ſextum Didymi ſeu cujusvis denique ſcholia alius in Homerum παλαιά, iterumque alia in Iliad. IX librum ab Horneio edita, & ſequantur excerpta ἐκ τῶν Πρόκλου διαδόχου, Eman, Moſchopuli, Joannis Galeni & reliqua in Heſiodum ſcholia, quibus præmiſſis

locum

Digitized by Google

locum ſuum habere poterunt Oppiani ſcholia, recentiora quidem, neque tamen nullius momenti: poteſt quoque interſeri ſcholiaſta anthologiæ Græcæ & ſiquæ ſunt alia in Poetarum Græcorum hypomnemata: tomus ſeptimus deſtinatus ſit Philoſophis, Hieroclis quippe in Pythagoræ aurea carmina commentariis, Platonis interpretibus, Plotino inprimis & Proclo Diadocho; Ariſtotelis commentatoribus, Alexandro Aphrodiſienſi, Ammonio, Euſtratio, Simplicio, quibus in fine libri Nicephori Gregoræ in Syneſium de Inſomniis ſcholia poterunt ſuperaddi: tomus octavus contineat Rhetorum ſcholiaſtas, inter quos eminet Ulpianus in Demoſthenem, cui etiam addi poſſunt ſcholiaſtæ Hiſtoricorum Thucydidis, gloſſarium breve Græcum in Herodotum & ſcholiaſta Procopii, tumque ultimum in eo tomo locum Hephæſtionis ſcholia, tam Frobenianæ, quam Stephanicæ editionis ſuum occupent locum; aut rejiciantur hæc etiam ad extremum tomi noni, in quo ſcholia Patrum, Eliæ Cretenſis & Nicetæ in Gregorium Nazianzenum, reliquorum, poterunt ſimul comprehendi. Non ab re erit, ſi appendicis loco ſimul edantur Latini ſcholiaſtæ. Reliquas obſervationes lectu dignas de Satyra e Republica eliminanda; de ridiculis elogiis; de eruditis mortem ſibi præſagientibus; de elogio Ludovici I Imperatoris, quod a pietate accepit; de agno paſchali duas inter veſperas mactando, de nova Antlia Gerokiana, de convivio funebri Ezech. XXIV, 17, permittimus lectorum ſtudio. Et primo & ſecundo tomo extremo additæ ſunt urnæ defunctorum in republica, in primis litteraria, per annum 1715, cura Chriſtiani Grundmanni.

JO. GEORGII WALCHII HISTORIA CRItica Latinæ linguæ.

Lipſiæ, ſumptu Jo. Frider. Gleditſchii & filii, 1716, 8.
Alph. 1 pl. 15.

PRæfatio operis hujus ſubnotat duo vitia illorum, qui linguam Latinam excolunt, quorum alterum eſt, quod nonnulli linguæ huic ita addicti ſunt, ut iſtam omnibus aliis non ſolum præferant, ſed eos quoque, qui haud puro ſermonis genere utuntur,

Digitized by Google

ex eruditorum cenſu exturbare ſibi ſumant. Alterum eſt, quod quidam cultum linguæ hujus, ſaltem purioris, aut deſidia negligant, aut proterve plane contemnant, veluti homini ſuperioribus ſtudiis intento inutilem. Primum eruditorum genus, qui religioſi cultores Latinæ linguæ exiſtunt, in regulas juſtitiæ peccant, alterum vero, qui caſtitatem Latinæ linguæ faciunt pro nihilo, præcepta ſapientiæ violant ex ſententia Cl. Autoris noſtri. Namq; medium obſervari debere exiſtimat, quoniam Latina lingua non ſit fundamentum eruditionis, nec natura ſua ad illam aliquid conferat, ſed maneat inſtrumentum magnæ utilitatis, cumque excolenda ſit, ita debeat excoli, ut ad nativam ejus caſtitatem & elegantiam perveniamus, maxime neceſſaria & utilia ſectemur, nugas abjiciamus plane, reliquum temporis aliis gravioribus ſcientiis conſecrantes. Quod ad ſummam ipſius operis attinet, duo imprimis momenta, hiſtoriam quippe & culturam Latinæ linguæ interpretatus eſt atque illuſtravit Cl. Autor. Illius originem & fata a primis Romanorum temporibus ad noſtram usque ætatem ita deduxit, ut ſcriptorum monimenta non ſolum attigerit, ſed de ſtilo quoque tulerit ſententiam, additis aliorum judiciis. Adhæc collegit quoque Autores cum ex vetuſtiori, tum recentiori ætate, qui de fatis linguæ hujus jam diſputarunt, quumque fata hæc fuerint diverſa, modo ſuaviora, modo duriora, inquirit quoque in cauſas hujus diverſitatis. Antequam ſe ad ultimam Latinitatis ætatem contulerit, notat diſcrimen, *quo alia fuerit* Latinitas docta, quam veteres in ſcribendo, alia plebeja, quam in loquendo plerumque uſurpaverint: alia Romana, alia provinciarum. Ex quibus Autor conſequi putat, multas ſupereſſe voces in gloſſariis Latinis & Græco Latinis, quas vocemus barbaras, quum pari antiquitate cum illis, quas Cicero uſurpaverit, niteant. Intuitu culturæ conſideravit primum, quid ſit excolendum, quod eſt elegans & purus ſtilus, de quo caput ſecundum diſſerit copioſe. Propoſitis variis ſtili generibus, circumducti, medii & conciſi, ſublimis, mediocris & humilis, eorumque cauſis, quas partim a diverſa ingenii indole, partim a variis rerum argumentis derivat, perſequitur ſtili virtutes, puritatem, perſpicuitatem & ſuavitatem. In puritate multo uberior eſt, quum

ardua

ardua ſit res, de emendata & Latina dictione diſputare, quoniam plurimorum ſcripta interciderint, quorum beneficio forſan multæ voces, multæ dictiones poſſent vindicari, imo diſcrimen fuerit inter linguam doctam & plebejam. Verum cum ex his Autoribus, qui in manibus noſtris verſantur, dependeat autoritas, illique diverſi ſint pretii, notat regulas quaſdam, quæ in hoc caſtitatis negotio poſſunt obſervari. His adjicit vitia ſermonis, barbariſmum, ſolœciſmum, archaiſmum, idiotiſmum, græciſmum, quæ pluribus explicat & extremo capitis hujus ſcriptores de ſtilo veterum & recentiorum addit: deinde capite tertio tradit Autor modum, quo Latinam linguam colere & ſtilum elegantem aſſequi poſſumus. Duplex commendat medium, quorum alterum eſt præparans, id eſt, Grammatica & Lexicon, alterum eſt perficiens, id eſt, lectio, obſervatio, imitatio. Quibus de cauſis caput quartum agit de Grammaticis Latinis & genuino illorum uſu. Quod ad veteres Grammaticos attinet, illuſtrat Autor nomina illorum, litteratorum, grammaticorum, philologorum, criticorum, cenſorum, polyhiſtorum, deinde illorum officia attingit & demum eos ipſos certo ordine recenſet, de quibus generatim judicat, quod utilitas, quæ ſubinde hauriatur, ſit exigua, quodve plerumque excluſerint nugas, plane tamen abjiciendos eſſe haud ſuadet. Grammatica medio ævo plane corrupta fuit, quod exemplis variis oſtenditur; recentioris autem ætatis alii integra Grammatices opera ſcripſerunt, alii partes illius quaſdam illuſtrarunt: alii ſunt majoris, alii minoris dignitatis. Ad Grammatices ſtatores refertur Emanuel Alvarez, Franciſcus Sanctius, Caſpar Scioppius, Julius Cæſar Scaliger, Gerhardus Voſſius, quorum grammaticorum fata & editiones obſervantur. Hos ſubſequuntur alii grammaticarum Autores magno numero, etiam illi, qui ſeparatim de literis Romanorum, pronuntiatione Latinæ linguæ, de orthographia, proſodia, etymologia, ſyntaxi commentati ſunt. De natura, autoritate & cultura Grammatices Autor obſervat, quod Grammatica debeat dividi in generalem & ſpecialem, quæ ſit vel ſimplex, vel compoſita, ſeu ſyntaxis, quæ vel communis vel propria vel rarior. Culturam commendat triplicem, ſimplicem, ut ſubinde hauriantur præcepta

 gene-

generaliora orthographiæ, etymologiæ, ſyntaxeos; Latinam ſeu habita ſtili purioris ratione, quæ verſetur in ſyntaxi propria de Latiniſmis; & philologicam, quæ cultura accuratius in rationes orthographiæ, etymologiæ, etiam ſyntaxeos inquirat. De autoritate Grammaticæ monet, quod ex regulis ejus de vera Latinitate haud poſſit judicari, quoniam aliud ſit romane, aliud grammatice ſcribere, & ſubnotat tria Grammaticorum vitia, charlataneriam, pædantiſmum, galantiſmum. Capite quinto de lexicis Latinis eorundemque uſu, diſputatur primum de lexicis antiquis, & origo illorum e vetere Græcia derivatur. Namque quum ab Attica elegantia non nihil deflexit Græca lingua, nonnulli peregrinas voces colligere cœperunt, quæ vocantur gloſſæ & gloſſemata, quippe qui fuerunt grammatici ἐξηγητικοὶ, qui & dicti ſunt gloſſographi & a Latinis gloſſularii, gloſſematarii. Quum diſputarunt quidam, num diſcrimen ſit inter lexica & gloſſas? oſtendit Autor, quod lexicorum nominé gloſſæ ſint comprehenſæ. Ex Latinis lexicorum Autoribus ſuperſunt Feſtus Pompejus, Nonius Marcellus, Fabius Fulgentius Planciades & alii. Ex ævo medio profertur Papias, Vgutio ſive Huguitio Piſanus, Joannes Balbus de Janua, Matthæus Silvaticus & plures alii; ex recentiori Perottus, Ambroſius de Calepio, Robertus Stephanus, Cœlius Secundus Curio, Theodoſius Trebellius, Stephanus Doletus, Jo. Friſius, Marius Nizolius, Henricus Decimator, M. Lud. Lucius, Baſilius Faber, Andreas Reyherus, quorum lexicorum fata, editiones commemorat & de illis judicat Autor; lexica autem minoris pretii & formæ breviori attingit ſtilo. Hiſce ſubjiciuntur, qui origines vocum Latinarum, Latinam linguam veterem & agreſtem ex fragmentis veterum comicorum, voces Latino-barbaras & ſpeciatim barbariſmos, ſolœciſmos, idiotiſmos, phraſes certi cujusdam Autoris, particulas explicarunt, item qui copioſos Latinitatis indices Autorum claſſicorum confecerunt; quippe qui maximopere commendantur: nec lexica promiſſa ſilentio ſunt prætermiſſa. Extremo capitis hujus optat Autor, Lexicon integræ Latinæ linguæ cujuscunque ætatis, cujus conſcribendi rationem ipſe quoque addit. Caput ſextum diſputat de lectione Autorum Latinæ linguæ generatim, quo tria expli-

Digitized by Google

plicantur, qui Autores legendi, quo ordine & quo modo. Ipſi ſcriptores diſtinguuntur ratione ætatis, religionis, materiæ & argumenti, dicendi generis, ſtili, ratione autem ordinis tres curſus conſtituuntur, quibus Autores linguæ Romanæ perlegi poſſunt. Reprehendit eos, qui auſpicium ejus a colloquiis, a Terentii & Plauti comœdiis faciunt. Caput ſeptimum de editionibus veterum Autorum tradit primum criteria bonarum editionum, quæ in certa & probabilia dividuntur, deinde pergit ad ipſos veterum Autorum interpretes veteres & recentiores, & quid commentariis & emendationibus illis inſit, declarat. Quod ad noſtram ætatem pertinet, obſervatur regionum ordo, & primum Galli prodeunt, quibus præter alios debemus editiones in uſum Delphini, quarum alias laudat, alias reprehendit, plerumque paraphraſes & rationem confectorum indicum haud laudari poſſe exiſtimat. Anglicas editiones commendat criticis, veluti emendatas & variis lectionibus abundantes, quamvis in quibusdam nonnullos errores ſubnotaverit: de Farnabio quoque judicat ſiniſtre. De Belgicis editionibus cum notis variorum opera Thyſii & Schrevelii oſtendit, quod ſint corruptæ, haud emendatæ, & dilaceratæ, a quorum autem interpretandi ratione longe abſint Grævius, Burmannus, Pitiſcus. Ex Germanis Cellarii editionibus, quamvis non omnibus, ſtatuit aliquod pretium. Reliquos interpretes copioſe collegit, de illis judicavit, attulit aliorum teſtimonia Autor. A capite octavo ad undecimum usq; agitur ſpeciatim de lectione Autorum ſolutæ orationis, Poetarum Chriſtianorum & ſcriptorum recentioris ætatis, quorum vita & editiones breviter, ſtilus autem pluribus explicantur. Hæc ſequitur modus, quo Autores fructu purioris Latinitatis ſint legendi, quod fiat obſervando & imitando ea, quæ Latinæ linguæ ſunt bona & caſta; quibus de cauſis capite XII agitur de obſervatione Latinæ linguæ; XIII de imitatione, quo & de jure augendi Latinam linguam diſputat Autor: ſingulis capitibus adjecit ſcriptores, qui ſimul poſſunt conſuli. Extremum operis locum occupat diatribe philoſophica de litteris humanioribus methodo æmula mathematicæ conſcripta, qua Autor liberius de præſtantia & cultura earum ſentit. Namque oſtendit, quod litteræ hu-

Digitized by Google

maniores in cenſu veræ eruditionis haud habendæ ſint, quamvis debeant referri ad eruditionem generalem, quod per definitiones, diviſiones, axiomata, corollaria demonſtratur. Inter alia oſtendit, lapſum humani generis poſſe cognoſci ex lumine naturæ; veram eruditionem ſequi voluntatem Dei; facultates ſcientiarum ita eſſe collocandas, Philoſophiam, Theologiam, Medicinam, Jurisprudentiam; Philoſophiam eſſe antiquiorem Theologia; Philoſophiam & eruditionem eſſe unum idemque. Ipſas litteras humaniores dividit in philologiam & hiſtoriam: philologiæ conſtituit quatuor partes, grammaticam, rhetoricam, philologiam ſtricte dictam & criticam.

Hiſtoriſcher Schauplatz der Löblichen alten Sechs-Stadt des Marggraffthums Ober-Lauſitz Zittau ꝛc.

i. e.

JOH. BENEDICTI CARPZOVII, J. U. D. POT. Regi Pol. & El. Sax. a Conſil. Commiſſionum, & Urbis Zittav. Syndici, Analecta Faſtorum Zittavienſium.

Zittaviæ, apud Joh. Jac. Schöps, 1716, fol.

Alph. 7 pl. 11.

NOn metienda eſt politiſſimi hujus operis amplitudo ex inſcriptione, quam Conſultiſſimo Autori præfigere placuit. Non enim celebris in Luſatia civitatis faſtos ſolum edidit, ſed quoque varia antiquitatis monumenta detexit, quæ tam hiſtoriæ regionis Luſatiæ lucem afferre, quam varia capita Bohemicorum, Saxonicorum & Sileſiacorum annalium illuſtrare poſſunt. Eminent hinc & inde doctiſſimæ & admodum curioſæ animadverſiones, quæ Lectoris animum in diverſarum rerum contemplationem avocare, & quandoque de rebus non vulgaribus inſtruere poſſunt. Commendat opus methodi elegantia, qua pleroſque omnes, qui in edendis hujus generis ſcriptis occupati fuerunt, poſt ſe reliquit, aliis optimo exemplo præivit. Ceterum ſingularem operi conciliavit autoritatem, quod omnia, quæ proponunt,

Digitized by Google

nit, ex fide dignis documentis hauſerit, quorum aliqua Lectoribus communicat, iis certe gratiſſima, qui intelligunt, quam variam utilitatem ſibi ex ejusmodi antiquitatum reliquiis colligere queant harum litterarum expertes. Nullas hic quoque leges aniles fabulas, quæ in plurimis ſcriptis hujus generis utramque paginam faciunt: nec, quæ omiſſa malis, quod in aliis Faſtorum ſcriptoribus annotatur. Præfationem, in qua fontes indicat, e quibus ſua hauſit, excipit chronicon rhythmicum conciſum quidem, ſed ob antiquitatem, materiarum varietatem & ſtyli ſimplicitatem lectu dignum atque amœnum. Opus ipſum in quinque partes diviſit, quarum quæque in capita rurſus ſubdividitur. Prima Pars faciem urbis & confinium ſiſtit, originem atque incrementa urbis ejusque ædificiorum referens. Continentur hic varia, quæ hiſtoriam unionis hexapolitanæ illuſtrant. Frequentia erant Seculo XIV civitatum fœdera, quorum exempla citat
Noſter ex *Manlii Luſatiæ Hiſtoria*, quæ hactenus manuſcripta 5.
in privatorum bibliothecis delituit, jam ut fama fert, propediem e tenebris eruenda & luci publicæ exponenda eſt. Coierant in arctiora fœdera conſentientibus ſuperioribus Sileſiæ urbes non ignotæ: Swidnicium, Strehla, Javera, Lœberga, Boleslavia & Cervimontium: in Principatu Glogavienſi ſe univerant Glogavia, Sprottavia, Gruneberga & Schwibuſſium: in Moravia unitæ
quatuor civitates, quibus accedebant Olomucium & Brunna. 8.
Cap. II de origine appellationis Zittaviæ prolixe diſſeritur, atque inane traditionis fundamentum demonſtratur, quo Principi Slavicæ Sidoniæ ſeu Chytavæ primordia civitatis adſcribuntur.
Caput III ad natales urbis adſcendit, quas Dreſſerus, Reineccius, 11.
Dlugoſſus, Peccenſteinius aliique in ætate Sobieslai II falſo quærunt, inprimis cum diploma ad quod provocant, nullam mere-
atur fidem. De civitatis inſignibus agit Cap. IV, quæ æri inciſa 15.
exhibentur. Caput V & quæ ſequuntur Capita de urbis conditione & magnitudine, erectione templorum aliorumque ædificiorum tractant, resque memorant, iis ſcitu neceſſarias, qui in ipſa civitate degunt. Exhibentur quoque Epitaphia, quibus templa & cœmeteria ornantur, cum & illa conſervari interſit.
Caput XVIII de Bibliotheca, quam Senatus multis ſumtibus ere- 132.

xit,

Digitized by Google

xit, quædam memorat, illamque multis acceſſionibus indies red-
p. 146. di ſplendidiorem refert. Notari merentur quæ Cap. XXII de
nonnullis arcibus in finibus tractus Zittavienſis exſtructis recen-
ſentur. Spectat huc prolixa deſcriptio caſtri & cœnobii Obinen-
151. ſis, quod etiam Balbinus in Miſcell. Hiſtor. Boh. pro more ſuo
vivido ſtylo depingit. Subjungit hic Noſter elegantem diplo-
matum faſciculum, qui variis uſibus inſervire poteſt: excurrit
quoque in hiſtoriam Monachorum Ordinis Cœleſtini, qui in Ger-
mania primas ſuas ſedes in Obinenſi arce, concedente Carolo IV
Imp. invenerunt. Poſt accuratam rerum harum deſcriptionem
ad alteram operis Partem progreditur p. 171, politicam nempe,
fata civitatis complexam, quæ reſpectu Dominorum, quibus
171. ſubjecta fuit, eſt experta. Siſtit itaque hiſtoriam Principum,
qui Zittaviæ a primis temporibus imperarunt, in qua ita verſa-
tur, ut ea referat, quæ urbis fata attingunt, neglectis ceteris, quo
vitio alias laborant plurimi ſcriptores, qui prolixiores principum
vitas immiſcent, ut molem libri augeant. Agit quoque de ordine,
qui in regenda civitate a Magiſtratu obſervatur, ubi multa oc-
currunt lectu digna. Deſcriptionem civitatis politicam excipit
Parte III eccleſiaſtica, in qua diverſæ mutationes religionis re-
p. 1. cenſentur. Cap. I ſtatum religionis ante Lutheri reformatio-
nem repræſentat, ubi memorat, Eccleſiam Zittavienſem Epi-
3. ſcopatui Pragenſi ſubjectam, itaque Antiſtiti Miſenenſi ut reli-
quas agri hexapolitani urbes obnoxiam non fuiſſe. Afflictis quo-
que rebus catholicorum in Bohemia, turbataque Archiepiſco-
pali ſede per motus Huſſiticos in civitate Pragenſi, translata hæc
fuit ſedes Zittaviam, ubi erecto vicariatu in exilio quaſi per ali-
4. quot annos conſtituta fuit. Continet hoc Caput varias obſer-
vationes, quæ ad antiquitates eccleſiaſticas referri poſſunt. Ita
14. de commendatoribus ex ordine Equitum S. Joannis, de Pictan-
tia, beneficio quodam eccleſiaſtico, agitur, aliisque. Succedit C.
23. II hiſtoria reformatæ religionis, cui viam Huſſitarum fides in his
31. locis jam dudum agnita ſtraverat. In fatis, quæ ſequenti cap.
enarrantur, religionis repurgatæ legi merentur Acta Proceſſus
50. contra Marcum Schivanerum, Quackerorum ſomniis addictum.
Reliqua hujus partis capita occupantur potiſſimum in recen-
ſione

ſione Miniſtrorum verbi divini, qui Eccleſiis præfuerunt, nec non Præceptorum rei ſcholaſticæ enumeratione: acceſſit Cap. VII catalogus eorum, qui ex Zittavienſi ditione oriundi littera- p. 118.
tum orbem & Rempublicam illuſtrarunt. In Parte IV ſpecialiora de Zittavienſis civitatis politia recenſentur. Agitur hic de Dominis, qui proprietatis jure urbem tenuerunt, unde patet, eam aliquando privatorum dominio ſubfuiſſe. Referuntur Cap. III 145.
civitatis Privilegia a Bohemiæ imprimis Regibus conceſſa, & ab Electoribus Saxonicis confirmata. Cap. V communicatur no- 171.
titia variarum conſvetudinum & jurium ſtatutariorum. Legi 185.
autem præ reliquis meretur ordinatio Senatus obſervanda a civibus, quoties incendii periculum ſubit civitas, quæ multa cum circumſpectione conſcripta eſt. Finit hanc partem Caput VI, 198.
lectu jucundiſſimum, quod varia de Torneamentis, ludis equeſtribus, aliiſque ſolennibus in Zittavienſi tractu celebratis enarrat. Ultima Pars memoriam obſidionum rerumque belli pacis- 209.
que tempore contingentium revocat; operique coronidem imponit index inſtructiſſimus.

CONTINUATIO ANIMADVERSIONIS IN novam Editionem Herodoti a Cl. Gronovio curatam; Autore S. B.

CAp. VII Lib. 1, ubi de Heraclidis Lydiæ regibus: Ἄγρων μὲν γὰρ ὁ Νίνου τοῦ Βήλου. Ita hic Ἄγρων editum ex MSS. pro vulgato Ἄργων. Recte quidem. Sed ſola autoritas MSS. non ſufficit ad mutandum, præſertim nomina propria, in quibus manifeſtum vitium non apparet: poſſunt in malo etiam plures conſentire. Scio autem aliquot nomina propria ex MS. Mediceo paſſa eſſe mutationem non bonam in hac Editione. Danda eſt opera ut aliunde etiam confirmentur. Præſertim hic locus id exigebat, qui & alioqui ſcrupulum movit quibusdam. Poteſt autem confirmari. Nam clare Julius Pollux Lib. IX Segm. 12: καὶ Νῖνος ὁ Βήλου τὸν αὐτοῦ παῖδα ἐν ἀγρῷ τεχθέντα, Ἄγρωνα ὠνόμασεν. Veroſimile eſt eos qui ex *Ancilla* geniti erant, quamdiu privati eſſent, usque ad Agronem ruri cubaſſe, unde iſti ab agro nomen. Ita autem dicit Herodotus expreſſe: ἐκ δούλης τε τῆς Ἰαρδάνου γεγονότες

καὶ Ἡρακλέος. Nec debuit Vir Cl. ita deſerere Herodotum, ut cum aliis quamvis Viris doctiſſimis Omphalen hic intelligeret. Quæ ſive uxor, ſive potius filia Regis Iardani fuerit, cauſam ſufficientem non video, cur eam δούλην, & non vero vocabulo maluiſſet appellare Herodotus. Ita autem hæc facta, ſi facta fuere, intelligendum. Hercules ſimul ſervivit Omphalæ, quæ utique ſine ancillis non fuit: ex his ille conſervam aliquam duxit: qualem Malida quandam ex Hellanico memorat Stephanus Byzantinus, in Ἀκέλη ἔοικε δὲ λέγεσθαι inquit ἀπὸ Ἀκέλου τοῦ Ἡρακλέους καὶ Μαλίδος παιδὸς, δούλης Ὀμφάλης τῆς Λυδῆς. (ita autem recte Berckelius pro Ὀμφαλίδος) Hanc Malida Omphalæ ſervam dicit, ex qua Hercules ſuſceperit Acellum illum. Quæ quoniam teſte Hellanico dicuntur, eo pluris facienda ſunt; nam quæ poſteriores tradunt, non temere omnia arripienda. Filium Herculi in ſervitute ex Ancilla prius natum, quam ex Omphale teſtatur Diodorus Lib. IV: προϋπῆρχε δὲ τῷ Ἡρακλεῖ κατὰ τὸν τῆς δουλείας καιρὸν ἐκ δούλης υἱὸς Κλεόλαος. p. 237 (ubi quædam ſimilitudo inter Ἄκελος & Κλεόλαος) Regnaſſe autem eos qui ex Ancilla, quacunque tandem, neque enim una facile contentus erat Hercules, nati erant, diſerte cum Herodoto dicit & Dio Chryſ. Orat. XV: οὐ γάρ δή που βελτίους εἰσὶ πάντες τοῦ Ἡρακλέους, ὃς οὐδὲ τῇ Ἰαρδάνου δούλῃ συγγενέσθαι ἀπηξίωσεν, ἐξ ἧς ἐγένοντο οἱ Σάρδεων βασιλεῖς p. 236. *Non enim certe meliores ſunt omnes Hercule qui nec cum Iardani ancilla conſvetudinem habere dedignatus eſt, ex qua nati ſunt Sardium reges.* Quare nimis audacter Joſephus Scaliger Lib. III Can. Iſag. affirmat contra Herodotum, ex Regina Omphale ejusque filio ſtemma regum Heraclidarum Lydiæ demitti. p. 328. Scio equidem, qua auctoritate id dici poſſit, & nihil moror. Scrupuloſitatem Scaligeri merito inſuper habuit & Cl. Gronovius, ſaltem in eo, ubi is III Can. Iſag. p. 327 ſcribit: *Quis non miretur Ninum Beli filium unum ex poſteris Herculis fuiſſe, qui annis mille, ut minimum, Nino Beli filio poſterior fuit? Aut eſt Herodoti aut Librariorum error.* Palmerius etiam in Exercitationibus ad Herodotum id tantum videtur hoc loco operam dediſſe, ut pugnantia cum Herodoto loca Autorum conquireret. Nos ei, qui illuſtrandum hunc Autorem ſuſce-

ſuſceperit, allaborandum potius putamus, ut quantum fieri poteſt ejus fides corroboretur; ne animus Lectoris a ſcriptore præſtantiſſimo, ſed invidiæ valde expoſito, magis alienetur.

Cum multa non levia prætercam, quia brevitate opus eſt, hoc non poſſum. Cap. XLI, ubi de Adraſto fratricida ac ob id exule, quem Crœſus ſupplicem receperat, & de more expiaverat. Hunc Crœſus ſic alloquitur: Ἄδρηστε, ἐγώ σε συμφορῇ πεπληγμένον, ἄχαρί τι τοι οὐκ ὀνειδίζων, ἐκάθηρα. i. e. ut ego verto: *Adraſte, ego te calamitate perculſum, illætabile quicquam tibi haud exprobrans, expiavi.* Ita Græca exhibent Aldina & Camerariane, ſuntque omnia plana & clara. Miror autem cœcas aberrationes Vallæ, & ejus Correctoris Henr. Stephani. Sed cum in Nova Ed. hæc ita edita vidi: ἐγώ σε συμφορῇ πεπληγμένον, ἀχαρίτην τοι οὐκ ὀνειδίζω, ἐκάθηρα, cumque legi verſionem eorum & præcipue Notam ad ea; profecto in triſtitiam datus ſum, ſive ut Vir Cl. veterum more loqui ſolet, præ dolore mihi lacrymæ exciderunt, tanta mihi viſus eſt συμφορᾷ πεπληγμένος. Nihil ergo dico amplius, niſi hæc δεῖσθαι καθαρσίων.

Venio nunc ad locum illum Cap. XLVII, ubi Crœſus tentat oracula, qui quidem locus ad vexandos non tantum deos heroasque, ſed & homines factus videtur. Illis tunc divinandum erat, quid Crœſus faceret, cum facturus eſſet, quod nemo de Rege mentis compote ſuſpicaretur: nobis, quid Herodotus caſu quodam depravatus, dixerit. Sed illis quidem res ſucceſſit, nam Apollo facile olfecit, quid Crœſus coqueret: alioquin εἰ μὴ τὴν ῥῖνα ὀξὺς ἦν, κἂν ἀπῆλθεν αὐτοῦ ὁ Λυδὸς καταγελῶν, ut Lucianus jocatur; hominum autem adhuc nemo inventus eſt, qui hic adhiberet ῥῖνα κριτικὴν, aut alioquin extricaret. Non illud genus Criticorum, qui ingenio & conjecturis vivunt: non, qui MStis pro ratione uti ſolent. Dicit Herodotus Crœſum iis quos ad oracula tentanda mittebat, ſic mandaſſe: ἀπ' ἧς ἂν ἡμέρης ὁρμηθέωσι ἐκ Σαρδίων, ἀπὸ ταύτης ἡμερολογέοντας τὸν λοιπὸν χρόνον ἕκαστος τῇ ἡμέρῃ χρῆσθαι τοῖσι χρηστηρίοισι. Quæ Valla ita vertit: *ut qua die proficiſcerentur ex Sardibus, ab ea reliquum tempus ſupputantes quotidie oraculis uterentur.* Apparet eum legiſſe non ἕκαστος τῇ ἡμέρῃ, ſed ἑκάστῃ ἡμέρῃ. Nimis autem abſurda res

 exi-

exiſtit hoc pacto. Illi qui, ex Aſia minore partim in Africam, partim in Europæ loca minime vicina mittebantur, jubentur, primo ſtatim & ſecundo & tertio die ab exitu ex Sardibus, oracula ibi conſulere, quo ſi volare poſſent interea vix pervenirent; & quidem deinceps etiam quotidie id facere jubentur, numerantes dies a die profectionis in infinitum ſcilicet: nec enim ponitur terminus, ut omnem ætatem terant oracula conſulendo, quid Crœſus faciat, nec unquam reverti poſſint cum reſponſis. His rerum abſurdis oratio accedit incongrua *ἐντειλάμενος ἡμερολογέοντας ἕκαστος χρῆσθαι.* Videntur hæc noſtri Critici ſenſiſſe. Sed audiamus eorum reſponſa, & primum ex conjecturis. Inde ſane videtur eſſe (nihil enim indicatur) quod in Ed. Galei apparet *ἕκαστον τῇ ἡμέρῃ* Mirum autem ni hoc clancularium aliquod facinus Henr. Stephani eſt, in alios inde derivatum. Iſtud autem, quamvis ſpeciem aliquam habeat, quatenus conſtructionem juvat: pejus tamen eſt illo vitioſo, quod, ſi nihil aliud, ſaltem veſtigia retinet veræ lectionis; conjectitium autem iſtud & irreptitium & hæc abolet indagationemque fruſtratur, nec ſenſum meliorem reddit; nihilo enim magis intelligent Legati, quisnam ſit ille dies, quo ſciſcitari debeant: quem omnino eos ſcire neceſſe eſt & obſervare, ut in eundem cadant coctura Crœſi & eorum ſciſcitationes, quemadmodum ipſe Crœſus in ſequentibus obſervavit coquendo, *φυλάξας τὴν κυρίην τῶν ἡμερέων, ſtatuto illo die obſervato*, ut recte Valla. Hoc ergo nihili eſt, & non ſine ſcelere receptum. Audiamus alios: habemus autem magna nomina. Joſephus Scaliger & Daniel Heinſius, referente & conſentiente Jungermanno ad Jul. Pollucem I, 67, 48, legere jubent: *ἕκαστον ἰῇ ἡμέρῃ* i. e. *unumquemque una die*, ſc. juſſit Crœſus ſciſcitari. Sed pace Triumvirorum, & eorum, qui nefas putabunt illis contradicere, iſtud adhuc pejus eſt: primo ſuperſtructum eſt falſæ interpolationi *ἕκαστον*, deinde ſenſum tantundem juvat: nonne quæſo unusquisque uno aliquo die ſciſcitabitur, & tamen non omnes eodem? omnino ſimul omnibus unus certus dies præſcribendus erat, non unicuique ſeorſim: certe etiam ſine mandatis neceſſario, quisque ſemel interrogaturus, uno aliquo die interrogabit. Poſtremo, quæ plane indecens eſt *ἀκυρολογία*, ſed in

in noſtris hominibus Græca emendare conantibus mihi ſæpius animadverſa, non attenditur quid uſitatum ſit, & quomodo alias Autor loqui ſoleat, & an ipſe ita locuturus fuiſſet. Cum in omnia cadat unum, neceſſe eſt in omni ſermone id ſæpiſſime occurrere; nusquam tamen apud Herodotum invenietur *ἴα una*, aut aliquis inde caſus, ſive ita ſive Jonice; ſed ſemper *μία* in caſibus ſuis, pro ipſius dialecto, per *η*. Tales vidimus conjecturas. Reſtant, quæ ante multa ſecula foliis mandata fuere. Vir Cl. Herodotum ex MS. Mediceo reformans in ſua Editione repoſuit: *ἀπ' ἧς ἂν ἡμέρης ὁρμηθέωσι ἐκ Σαρδίων ἀπὸ ταύτης ἡμερολογέοντας ἑκαστος τῇ ἡμέρῃ χρῆσθαι τοῖσι χρηστηρίοισι.* Expectabas aliquid. Sed eadem vides, quæ ex prioribus Edd. ſupra poſuimus. Ita tamen agit quaſi in ſolo illo Cod. extet *ἕκαστος*, interim cum conſpurcatis illis Aldinis, quibus Camerarius acquievit, hic in malo conſentit bonus ille Codex. Fruſtra autem confirmare conatur Vir Cl. aliunde ex Herodoto; nam aliena ſunt, quæ adducit, excepto uno loco ex I, 63; ſed æque ſuſpectum nihil juvat. Condonetur ſane verborum conſtructio quamvis intolerabilis; manent tamen rerum *δυσχέρειαι* ſuperius indicatæ. Sic vertit: *ut qua die proficiſcerentur ex Sardibus ab ea reliquum tempus per quemlibet diem ſupputantes, quique iſta die oraculis uterentur*, fideliter: & dies illa *κυρία* tamen non apparet. Lege ergo pro *ἕκαστος τῇ* una litera omiſſa *ἑκατοστῇ* i. e. *centeſima* die: ut dimiſerit eos Crœſus mandans, *ut, a qua die profecti eſſent ex Sardibus ab hac numerantes per dies ceterum tempus, centeſima die uterentur oraculis ſciſcitantes &c.* Hæc eſt *κυρία* illa dies, qua Legati ingrediuntur templa, Crœſus culinam. Non Apollinis magis oraculum eſt verum. Ad alia, omiſſis multis non levibus.

Cap. LX Aldina omnesque Edd. habent: *ἐπεί γε ἀπεκρίθη ἐκ παλαιτέρου, τοῦ βαρβαρικοῦ ἔθνεος τὸ Ἑλληνικὸν, ἐὸν καὶ δεξιώτερον καὶ εὐηθίης ἠλιθίου ἀπηλλαγμένον μᾶλλον.* Quæ vertam durius ad vitandam ambiguitam: *Quandoquidem ſeparatum fuit jam olim a barbarico genere genus Græcum, exiſtens dexterius & a fatuitate ſtolida magis abhorrens.* Hoc verum eſt, nec aliter ſentiunt Græci, & non eſt neceſſe aliorum teſtimonia hic cumulare. Sed nova Editio contrarium menti Autoris, contrarium veritati

exhibet: ἐπεί γε ἀπεκρίθη ἐκ παλαιτέρου τὸ βάρβαρον ἔθνος τοῦ ἑλληνικοῦ· ἐὸν δεξιώτερον &c. i. e. *poſtquam ſeparatum fuit jam olim Barbarum genus a Græco, exiſtens dexterius &c.* Ita quidem ex MS. illo, ſed & princeps Aldina ex MS. fuit expreſſa, & quidem multo meliore. Apparet autem eſſe interpolationem ex uno in plures derivatam: nempe ſciolum aliquem librarium offendebant duo genitivi diverſi ambiguitatem parientes ἐκ παλαιτέρου τοῦ βαρβάρου ἔθνεος, itaque tanquam melius faciebat, ἐκ παλαιτέρου τὸ βάρβαρον ἔθνος. Thucydides qui noſtrum bene norat & ſæpius ad eum reſpicit, ex illo loco colorem ducens eandem σχέσιν obſervavit, nempe ἀπεκρίθη—τοῦ βαρβαρικοῦ—τὸ ἑλληνικόν, dum in Proœmio ſcribit: οὐ μὲν οὐδὲ βαρβάρους εἴρηκε διὰ τὸ μηδὲ τοὺς ἕλληνάς πω, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, εἰς ἓν ὄνομα ἀντίπαλον ἀποκεκρίσθαι. *Neque tamen barbaros* dixit Homerus ceteros Græcos *propterea, quod nec Græci adhuc, ut mihi videtur, in unum nomen adverſarium* barbaris *eſſent ſeparati* ab illis. Miror autem rationem Viri Cl. in confirmando: non ceſſat paſſim ut hic aliena allegare, καὶ οὐδὲν ἐοικότα τῷ πράγματι.

Longe plurima nunc etiam relinquo, quæ recte habentia interpolata ſunt in pejus: quædam etiam, quæ emendationem deſiderabant, quibus nihil ex MS. nihil aliunde opis allatum, ut alias plerumque talia deferuntur, de quo genere maxime notabile quiddam eſt Cap. XCII, quod a nemine, quod ſciam, animadverſum. Sermo eſt de quodam homine, qui, antequam Crœſus regno eſſet potitus, Pantaleontis Crœſi fratris partibus ſtudebat, ut is potius regnaret. Hunc Crœſus jam Rex interfecit ſive interfici curavit: τὸν ἄνθρωπον - ἐπὶ κναφηίου ἕλκων διέφθειρε. ita ubique legitur. Nihil hic ex ingenio nihil ex MStis Viri docti. Omnes tacent: ſcilicet nihil intra eſt oleam nihil extra eſt in nuce duri. O illos ſtomachi felices! ego concoquere nequeo; res & verba adverſantur. Res minime regaliter geſta. Bonus ille homo quaſi immemor quis jam regnaret, ſecure, ut videtur, per urbem ſpatiabatur, deinde Crœſus in platea quadam eum offendit: & tunc primum ipſe etiam recordatus illum ſibi in ſucceſſione regni adverſatum fuiſſe, occidendum putavit; ſed tanquam aliquis prætimi-

Digitized by Google

timidus & legibus obnoxius, veritus ne ab hominibus videretur, in publico non ſuſtinuit hominem trucidare: verum in proximam quandam officinam eum traxit, non enim habebat qui ſublimem intro raperent, traxit ergo, diu ut videtur reluctantem; ibi demum ſecure miſero ademit animam: quomodo autem id fecerit, *θεὸς οἶδε*, ſcilicet, & Crœſus cum fullone illo, ſodali forte u o; ad nos vix tenuis famæ perlabitur aura per nuncium iſtorum Herodotum, poſtquam ei malum quoddam oblatum eſt. Non tamen adeo id eſt occultum ut mediocriter ſcientem Græce & attentum fallere poſſit. Conſideretur modo *ἐπὶ κναφηΐου ἕλκων*· hoc non eſt, ut Valla vertit & omnes *ἀνεξετάστως* accepere, non eſt, nec poteſt eſſe *in officinam fullonis trahens*, verum *in* aut potius *ſuper officina fullonis trahens;* eſſet autem illud ſi legeretur *ἐπὶ κναφήιον* vel potius *ἐς κναφήιον ἕλκων*. (Nemo mihi objiciat unam & alteram ſingularem phraſin, quas ipſe bene ſcio, & nihil moror: attendens potius quomodo Herodotus & omnes hic loquerentur.) Rurſus autem in tali interficiendi modo conſiderando facetiæ oriuntur, quas nolo conſumere in Tragœdia, cujus faciem res mox ſumet poſt Comicam & nimis plebejam. Nam illum hominem Crœſus exquiſitiſſimis tormentis cruciatum triſtiſſima morte affecit, ſi legas quod Herodotus ſcripſerat: *ἐπὶ κνάφου ἕλκων διέφθειρε.* Scire oportet, quid ſit *κνάφος*. Suidas *κνάφος* inquit *ὄργανόν τι ἐν κύκλῳ κέντρα ἔχον δι' οὗ τοὺς βασανιζομένους κτείνουσιν. ὅμοιόν ἐστι κναφικῷ κτενί. Inſtrumentum quoddam undique ſtimulos habens, quo ſontes tortos occidunt, ſimile eſt fullonico pectini.* Tale tormentum adhibuiſſe Crœſum in illo occidendo oſtendam. Heſychius indicio eſt, corruptus quidem & ille ibi ut paſſim, ſed ad hæc ſufficiens, & facile ex noſtro viciſſim emendandus, ut afferam: *ἐπὶ κνάφου ἕλκων διέφθειρε. τὸ γὰρ πρότερον οἱ γναφεῖς ἀκανθῶν σωρὸν συστρέψαντες τὰ ἱμάτια ἐπὶ τοῦ σωροῦ ἔκναπτον. ὁ δὲ σωρὸς ἐλέγετο γνάφος. ὁ οὖν* ΚΡΟΙΣΟΣ *τὸν ἐχθρὸν περιέξαινε ταῖς ἀκάνθαις καὶ οὕτως ἔφθειρε.* Legitur autem in vulgatis *ἐπικνάφων ἕλκων. διαφθείρων.* deinde *ἐπὶ τοὺς σωροὺς* pro *ἐπὶ τοῦ σωροῦ*. Poſt verba Herodoti in principio poſita ſine dubio eorum expoſitio & Herodoti mentio amputata: ſicut conſtat pleriſque citationibus

Au-

Autorum aliiſque multis Heſychium truncatum. Illis autem hæc dicit: *antea enim fullones ſpinarum faſce convoluto veſtes pectebant: faſcis autem ille dicebatur γνάφος. Crœſus itaque inimicum ſuum laceravit ſpinis & ſic interfecit.* (talia autem notum intelligenda eſſe, ut Harpagus dicit apud Noſtrum I. 117: καὶ εἶδον δὴ ἐκείνων καὶ ἔθαψά μιν, non enim ipſe Crœſus fuit carnifex.) Accedit Plutarchus in Libro de Mal. Her. hæc tangens: ἀδελφὸν γὰρ αὐτῷ (τῷ Κροίσῳ) Πανταλέοντα περὶ τῆς βασιλείας ἀεί πως διαφέρεσθαι ζῶντος ἔτι τοῦ πατρός. τὸν οὖν Κροῖσον, ὡς εἰς τὴν βασιλείαν κατέστη τῶν ἑταίρων καὶ φίλων τοῦ Πανταλέοντος ἕνα τῶν γνωρίμων ἐπὶ κνάφου διαφθεῖραι καταξαινόμενον. *Fratrem enim,* inquit, *cum eo* (cum Crœſo) *Pantaleontem de regno ſemper fere contendiſſe vivo adhuc patre. Crœſum itaque in regno conſtitutum, ſodalium & amicorum Pantaleontis unum, ex nobilibus, ſuper pectine fullonico interfeciſſe laceratum.* Iſte etiam locus neſcio quo adverſo fato ſed aliter corruptus. Ed. Aldina & Baſileenſis pro ἐπὶ κνάφου habent ἐπὶ νάφου, quod nihil eſt, ſed facile manuducit ad κνάφου vel γνάφου, nam utraque ſcriptio obtinet. Ed. Ffurt. A. 1599 ἐπὶ τάφου, quod nihil ad rem, ut & Xylander ſenſit, qui maluit vertere: in officina *fullonis*, quaſi eſſet ἐπὶ κναφείου, quaſi ex Herodoto ſcilicet, non ſentiens aliam ejus depravationem. Deinde οὖν τῷ legitur non ἀεί πως, quod quidem poſui, ut aliquid diceretur, non tanquam indubitatum. Præterea Suidas & Goldaſti Lexicon Vetus vocum *Herodotearum* commemorant κνάφος ut ex Herodoto, quod non niſi in hunc locum cadere poteſt. Quod ad ſupplicii genus atrociſſimum attinet, tali ſupplicio apud inferos exercetur Aridæus ille Platonis antiquus tyrannus crudeliſſimus aliique ſimiles. Libro ult. de Rep. *illum,* inquit Er, *infernales miniſtri cum quadrupedem conſtrinxiſſent & in caput proturbaſſent, & excoriaſſent, trahebant ſecus viam exterius ſuper tribulis lacerantes*, quorum poſtrema Græce: εἷλκον — ἐπ' ἀσπαλάθων κνάμπτοντες. ubi ἀσπάλαθοι *frutices ſpinoſi*, κνάμπτοντες autem idem quod κνάπτοντες (unde κνάφος.) & exponentibus Græcis Lexicographis καταξαίνοντες, quo Plutarchus utebatur: ἐπὶ κνάφου καταξαινόμενον.

JOH.

JOH. CASP. FUNCCII LIBER DE COLORIbus Cœli. Accedit oratio inauguralis de Deo Mathematicorum Principe.

Ulmæ, ſumtibus Danielis Bartholomæi, 1716, 8. Plag. 18½.

CL. Autor, verbi divini apud Ulmenſes miniſter & in Gymnaſio patrio Mathematum Profeſſor, ante decennium in Academia noſtra de coloribus cœli in genere publice diſputavit. Eam diſſertationem nunc cum nonnullis additamentis recudi fecit & tractationem de coloribus cœli in ſpecie addidit, occaſionem de hac materia denuo aliquid meditandi ſuggerente *Matthæo Honoldo*, cum inſtitutum ſuum ſub præſidio ipſius diſputationem publice habendi ipſi ſignificaret. Dividitur autem omnis tractatio in quinque Sectiones. Sect. 1 phænomena colorum cœli enarrat tum generalia, quæ omnibus coloribus cœli ſunt communia, tum ſpecialia, quæ aliquibus tantum aut ſingulis competunt. In illis recenſendis utitur ordine locorum dialecticorum exiſtentiæ, quantitatis, temporis, loci, ſitus, proprii, accidentium; v. gr. quoad *tempus* notat, ſemper aliquem in cœlo apparere colorem, non tamen ſemper quemvis; quoad *ſitum*, colores in arcum diſponi, qui fornicis habet figuram; quoad *proprium*, quod ſint ſigna tempeſtatis. Ad ſpecialia refert omnium primo circumſtantias, ſub quibus colores primarii, quos vocat, niger ſc. albus, cœruleus, ruber, flavus, viridis appareant. Annotat e. gr. colorem nigrum apparere noctu, tempore eclipſeos, tempeſtate oborta, in nubium Soli ſubjectarum denſarum parte media, ceterarum vero parte a Sole averſa. Progreditur ad colores, quos vocat, ſecundarios nomine indicandos, qui ſunt ſubalbidus cum lacteo, niveus, hyacinthinus, luteus, croceus, fulvus, ferrugineus, roſeus, rutilus, ſanguineus, puniceus, rubidus, ſapphirinus, glaucus, indicus, cinereus, ſubniger. Sequuntur notatu digna circa colores crepuſculinos: his ſuccedunt phænomena coloribus interdiu vel noctu apparentibus communia, quæ vocat, & tandem ſubjunguntur nonnulla, quæ crepusculinis cum aliis communia eſſe cenſet. Sect. 2 phænomena generalia ad cauſas revocantur, quas eſſe reputat lumen Solis atque Lunæ ejusque a

 parti-

partibus expanſi terræ imminentis,ut loquitur (hoc eſt ab atmoſphæra) varie reflexum atq; refractum. Probat igitur atmoſphæram reflectere radios atque refringere. Conſtituit autem tres partium cœli coloratarum regiones. Primæ initium eſt in diſtantia 1000 paſſuum a terra, finis in diſtantia unius milliaris Germanici, intra quos terminos vapores craſſiores atque nubes contineri arbitratur. Alteram terminari ait circa montium altiſſimorum cacumina, quorum altitudinem cur integro milliari Germanico majorem ſupponat non addit. Ultimam denique usque ad confinia ætheris aerisque protendit. Cur vero in vicinia non videantur colores, ſc. tantum in partibus atmoſphæræ remotioribus, rationem hanc reddit, quia in remotioribus non modo optica verum etiam phyſica condenſatio locum habet, cum ibidem exhalationes atque vapores aſcenſum ſiſtant. Sect. 3 fundamenta nonnulla continentur, ex quibus phænomena colorum cœli ſpecialia deinde explicat. Inquirit nempe in colorum cauſas, quas a diverſa luminis modificatione repetit. Hanc vero modificationem fieri per umbrarum inter radios interpoſitionem cum *Honorato Fabry* ſentit, quamvis in ſpeciali explicatione in nonnullis ab eodem diſcedat. *Fabrianam* autem hypotheſin integram jam A. 1592 traditam eſſe monet a *Wolfgango Meurero*, Medico quondam Lipſienſi, & adductis ipſius verbis ex commentariis Meteorologicis probat. Ceterum ut hanc hypotheſin, quatenus eam cum *Honorato Fabry* comunem habet, hoc eſt, in genere probet, primum rationis loco adducit, quod copia luminis mutetur per reflexionem & refractionem ab atmoſphæra factam: tum ad experientiam provocat & alias nonnullas rationes annectit. Experientia hypotheſin confirmari putat,quia inde ratio reddi poteſt nonnullorum phænomenorum, nempe cur eadem atmoſphæræ pars diverſis coloribus tincta uno eodemque tempore diverſis ſpectatoribus appareat & vapores ex aqua fervida aſcendentes ad diverſi luminis præſentiam, v. gr. carbonis candentis, ligni ardentis &c. diverſos exhibeant colores. Rationes eo tendunt, quod alius color fortius commoveat oculum altero, hæc vero vis fortior vel remiſſior proveniat a varia radiorum, & conſequenter quoque umbra-

brarum copia. Addit, quod omnia, quæ ad cauſam varietatis colorum cœleſtium requiri jure poterant, in illa radiorum cum umbellis varia combinatione deprehendentur, hoc eſt, quod hypotheſi ſufficiat ad reddendas colorum cœleſtium rationes. Quomodo autem per radiorum & umbrarum combinationem colores prodeant, per fractiones ſequentes $\frac{0}{60}, \frac{5}{55}, \frac{15}{45}, \frac{30}{30}, \frac{14}{15}, \frac{55}{6}, \frac{60}{0}$ explicat, quarum prima lucem, ſecunda albedinem, tertia flavedinem, quarta rubedinem, quinta cœruleum colorem, ſexta nigredinem, ſeptima tenebras deſignat, & in quibus numerus ſuperior interſtitia umbroſa, inferior radios lucis indicat. Atque in his ab *Honorato Fabry* diſcedit, cui character nigri eſt $\frac{0}{1}$, albi $\frac{1}{0}$, rubri $\frac{1}{1}$, flavi $\frac{2}{1}$, cœrulei $\frac{1}{2}$, viridis $\frac{2}{3}$, quia ipſius opinione album & nigrum ſic non diſtinguuntur, characteres colorum ſecundariorum non commode inde eruuntur, viridis color ſolum ex cœruleo & flavo componitur, non item, quod ipſi videtur, ex albo & nigro. Monet autem Cl. Autor, ſe hæc nemini pro veris obtrudere: adducit tamen nonnulla experimenta, quibus ea probabilia reddi arbitratur, e. gr. quod color in ligni fumantis fumo appareat noctu ad lucem modicam niger vel cœruleus, ad fortiorem flavus aut albicans (oculo per obſtaculum impedito, ne lucem videat) in tenebris ruber. Reſpondet etiam ad objectiones nonnullas, quas contra hypotheſin ſuam fieri poſſe ſuſpicatur. Tandem aliorum ſententias ad examen revocat, quas inter *Newtoniana* in diverſis radiorum refrangibilitatis & reflexibilitatis gradibus fundata, *Hugenioq;* in Dioptrica probata. Hanc ſe admittere non poſſe ait, quod non intelligat, quomodo, ſtante illa diverſitate refrangibilitatis, nubes eadem, quæ primum alba apparuit, paulo poſt rubra & tandem cœrulea cernatur, nonniſi Solis orientis vel occidentis ſitu mutato, & quomodo nobis alba apparere poſſit, quæ eodem tempore ab aliis terricolis, apud quos Sol tunc *forte* oriatur vel occidat, crepuſculino aliquo colore tincta cernatur. Sect. 4 phænomenorum colorum cœleſtium ſpecialium rationes ex hypotheſi ſua reddere conatur, quas hic diſtincte proponere non licet, quia phænomena ipſa ſupra recenſere nobis non permiſit brevitatis ſtudium.

Digitized by Google

Tandem Sect. 5 conſectaria quædam atque nonnullos uſus doctrinæ ſuæ oſtendit. Dividit ea in theologica, moralia, phyſica & mathematica, ubi prius ante dicta ſecundum locorum dialecticorum ordinem, quo in Scholis themata ſimplicia pertractari ſolent, in compendium miſit. Theologica ſunt: agnoſcendam eſſe Dei 1 ſapientiam, qui colores cœli exacte cognitos habeat, cum nos poſt tot ſeculorum decurſum vix tandem eos intelligamus; 2 pulchritudinem & majeſtatem, cum effectus non ſit nobilior cauſa; 3 potentiam, quod ſolus cœlum ſerenet atque obfuſcet, quoties vult. Porro Deum eſſe 4 amandum, quia colores cœli de ejus pulchritudine teſtantur; 5 timendum, quid enim non poterit, ait, in te vermiculum, qui vaſtum cœli expanſum obnubilare poteſt? 6 in eum eſſe ſperandum, quia poſt tempeſtatem ſerenitatem ſæpe reſtituit. Tandem præcipit: viſionem cœli beatorum Deique anhela. Rationem addit, quia veſtibulum cœli tam ſplendidum multo illuſtrius pollicetur penetrale. Hinc ſimul intelligitur, qualia ſint moralia. E. gr. Animo nos eſſe jubet ſemper tranquillo, quoniam aer in ſuperiore regione ſemper tranquillus. Similiter cum nubes ex fumis & vaporibus ſplendentes intuemur, cogitandum eſſe, mortales, cum maxime ſplendent, fumos eſſe vaporesque. Inter phyſica & mathematica comparent ſequentia: phyſicam ex libro naturæ potiſſimum eſſe diſcendam, librum naturæ explicare ſeipſum, in eo explicando rationem ſubinde cum experientia eſſe *conjungendam* &c.

In oratione inaugurali, quam in Gymnaſio patrio recitavit, cum docendæ Matheſi in eodem admoveretur, id agit, ut, argumentis diſciplinarum Mathematicarum recenſitis, de perfectionibus divinis diſſerendi anſam arripiat.

CYCLODIATOMIA, QUA PRO REI TORmentariæ incremento motum ac tempus projectorum menſurat & demonſtrat FERDINANDUS ERNESTUS *Comes ab* HERBERSTEIN.

Pragæ, Typis Univerſitatis, 1716, 8.
Alph. 1 Tabb. æn. 20.

Illu-

Digitized by Google

ILluſtriſſimus Autor novo ſpecimine probat, quantum ipſi curæ cordique ſit inter tot tamque ardua negotia alia ſcientiarum Mathematicarum incrementum. Praxin rei tormentariæ ad certitudinem Geometricam evehit, dans operam, ut nec praxi deditі de difficultate & obſcuritate, nec theoriæ ſtudentes de demonſtrationum concinnitate atque rigore habeant quod conquerantur. Nimirum parte prima operis ſane docti fundamenta Geometrica præmittit, ad theoriam projectorum more veterum Geometrarum demonſtrandam neceſſariorum. In his ſingularia quædam de circulo theoremata demonſtrantur, & de parabola oſtenduntur, quæ ad motum projectorum diſtincte intelligendum ſufficiunt. His tamen antequam in parte ſecunda ad hunc ſcopum utatur, quædam de progreſſione Arithmetica præmittit & ad motum uniformiter acceleratum, quo gravia feruntur, applicat. Addit doctrinam de motuum rectilineorum compoſitione ad evidentiam veterum revocatam. Jactis hiſce fundamentis monſtrat, globum ex mortario vel tormento emiſſum in quacunque directione machinæ parabolam deſcribere, quod primus repererat *Gallilæus* & enucleatius propoſuerat *Torricellius*. Mox demonſtrationibus ad normam veterum exactis confirmat, quicquid in theoria motus projectorum utile habetur. Supponit autem cum *Gallilæo* directiones gravium parallelas & motum cadentium ſecundum numeros impares acceleratum, nec male, cum omnium conſenſu ad praxin rei tormentariæ ſufficiant hæ ſuppoſitiones. Tandem in parte tertia theoriam ad praxin deducit, eumque in finem c. 1 problemata aliquot pro ſequentibus praxibus neceſſaria præmittit, veluti de ſcala conficienda, cujus ope linea in mille partes dividi facile poſſit, de lineis chordarum usque ad 90 grad. in angulum rectum transferendis, de linea ſinuum in angulo recto inſcribenda &c. C. 2 docet, quomodo ſolo circino & regula angulus directionis tormenti inveniatur, ut globus ſcopum feriat. Cap. 3 Quadrantem *Torricellii* univerſalem deſcribit, & quomodo ejus ope fiant, quæ alia ratione fieri paulo ante juſſerat, exponit. Cap. 4 modum tradit trigonometricum inveniendi angulum directionis tormentorum & tempus, quod globus inſumit a meta ad

ſcopum datum. Tandem Cap. 5 de directione tormenti atque mortarii tractat: ubi duo inprimis expendit, tum quomodo machina ad debitum angulum ſupra lineam horizonti parallelam elevetur, vel infra eam deprimatur, ut globus ad diſtantiam a meta propoſitam ejiciatur; tum ne globus ad dexteram vel ſiniſtram a plano verticali, in quo ſcopus exiſtit, aberret. Utrumque quomodo diverſis viis obtineri poſſit, perſpicue, ut ſolet, commonſtrat. Ecce igitur argumentum operis egregii: in quo quomodo verſatus fuerit Illuſtriſſimus Dominus Comes, optime omnium intelliget, qui librum, ut meretur, attenta mente perlegerit. Sane R.P. *Georgius Thomas*, in univerſitate Pragenſi Mathematum Profeſſor Regius, qui Reviſoris munere functus, judicat, inſigni methodo, facilitate & demonſtrationum claritate exponi, quæ tum ad ingeniorum variam ſint eruditionem, tum in commune bonum ad Technices commendationem, adeo ut ipſe definire non audeat, utrum majorem laudem promeruerit *Sigismundus Herberſteinius*, avitæ ſtirpis columen, bellico ſub Imperatoribus Auſtriacis exercitio, an Illuſtriſſimus Autor editis hoc aliisque ingenii fœcundi partibus.

SENTIMENS D'ERASME DE ROTTERDAM.

h. e.

SENTENTIÆ ERASMI ROTERODAMI CONformes ſententiis Eccleſiæ Catholicæ in omnibus capitibus controverſis; Autor J. RICHARDO.

Coloniæ MDCCXVI. 12.

Plag. $18\frac{1}{2}$.

DEſiderium Eraſmum Lutheranis fuiſſe addictum, id vero in hoc tractatu negatur per integrum, qui A. 1688 lucem jam aſpexit, cujusque verus Autor Dominus *de S. Amour* eſſe exiſtimatur. Multum vero increpat illos, qui in Lutheri caſtris quæſiverint Eraſmum, cujus quippe vox innotuerit ſatis: *Nobis eſt irreconciliabile bellum cum univerſis Lutheranis.* Præcurſorem itaque hunc fuiſſe Lutheri & Anti-Chriſti, inter calumnias re-
p. 3. fertur, & integer hic, de quo nunc diſpicimus, tractatus ita di-

ſpeſci-

Digitized by Google

ſpeſcitur, ut partibus duabus, priori de magnitudine ſpiritus Eraſmi, poſteriori de fidei ejusdem puritate agatur. Illud ceu ve- 12.
riſſimum ponitur, ſi Eraſmus Lutheranis favere voluiſſet, Germaniam univerſam hanc doctrinam perinde amplexuram fuiſſe; prævidiſſe etiam eundem, Calvinum, inſtar peſtis, Eccleſiæ univerſæ eſſe nociturum. Paucis ante mortem hæc perſcripſiſſe ad fratres Eraſmum: *Chriſtum agnoſco, Lutherum non novi,* 14.
Eccleſiam Romanam agnoſco, quam opinor a Catholica non diſſentire, ab hac nec mors me divellet, niſi palam divellatur a Chriſto. Quæ in Deſiderio duo vitia a Paulo Jovio notantur, propriæ ſci- 18.
licet gloriæ ſtudium, & in divinis quoque rebus luſus ac joci, illa longius amolitur Autor, quem illius potius virtutes, multitudo inprimis ſcriptorum, quæ edidit, calculi licet doloribus perpe- 20.
tuo tentatus, honoris porro maximi, purpuræ faſtidium, fiduciaque Pontificum, qui in Eraſmo poſitum exiſtimaſſent, a Lutheraniſmo ſi repurganda ſit Eccleſia, in admirationem rapiunt. 22 ſqq. 38.
Id agebatur eo tempore inprimis, ut ſummus hic renaſcentium literarum Doctor cum Luthero vires experiretur, & hunc adeo 26.
Cerberum, uti pro modeſtia ſua loquuntur, edomaret. Cuthertus ſane Tonſtallus, Londinenſis, illum, hoc ut ageret, excitabat 29. 31.
abunde, veniente in partes ſimul Georgio, Duce Saxone, cujus 32.
judicio, niſi per triennium jam tum a Luthero abſtinuiſſet Eraſmus, præſens ille miſerque Saxoniæ ſtatus non fuiſſet ſubſecutus. Quam depexos dederit literarum ignaros, ſtudiaque redu- 50. 52.
xerit elegantiora, indoctisque Monachis exoſa, Hæreticique vel 53.
ideo reportarit titulum, quam ingemuerit Eccleſiæ, in qua ambitio, voluptas, avaritia, ac malitia varia, inter hos quoque, qui lucem Solemque mundi ſe profiterentur, turpiſſime regnet, quam Novatoris ſæpe apud ſuos meruerit nomen, illeque, qui 55.
bonas literas coluerit, Lutherizare tum fuerit exiſtimatus, id preſſius hic perſequitur Autor. A Miræo, Caniſioque aſſerta, Lu- 59.
thero ſcilicet Eraſmum excludenda dediſſe ova, hic valde im- 76.
probantur; bonas literas promoviſſe Virum; caſtigaſſe Mona- 85.
chos, tyrannidem in conſcientias fidei Inquiſitorum, infantiles nugas, ad Franciſci veſtem, cum moriuntur, confugientes, conciones Chriſto vacuas, indulgentiarum quæſtum; culpaſſe epi- 94.

ſco-

Digitized by Google

epiſcoporum luxum plane principalem, Lutheranum tamen
p. 102. 113. non fuiſſe, id omne copioſius hic relatum legas. Lutheranis
118. ſimul ejusmodi tribuitur Hæreſis, quæ pernicioſior ſit hæreſi-
121. bus una ſumptis omnibus, quæ Seculis XIV antegreſſis Eccleſi-
am afflixiſſent; multa nunc millia hominum cadere indies per
122. errorem hunc exitialem in infernum, ob ſpreta Eraſmi, quibus
Principes Epiſcoposque ad reſiſtendum provocaſſet, conſilia;
igni ferroque rem pertentare, atqui hoc conſilium de cœlo non
126. eſſe, cœtum vero Lutheranorum mire adauxiſſe. Univerſam fu-
145. iſſe perditam Eccleſiam, ſiquidem Luthero faviſſet Eraſmus,
205. integro docetur capite, Lutherique, qui Hæreſiarcha Autori ſa-
lutatur paſſim, facundia, qua ſemel ſacrum ſermonem pronun-
214 ſeq. tians, vel integram urbeculam reddiderit Lutheranam, perinde
218. non reticetur, additis tamen ſubinde novis acerbiſſimisque ſtri-
223. cturis, quandoquidem illi, (uti & Scaligeri, Caſauboni, Blondelli,
Grotii in infernum detruduntur) ſalutis ſpes haud dubie relin-
227 ſeq. quitur nulla. Maximus ergo Lutheri & complicum Eraſmus
dicitur fuiſſe hoſtis; Jurieus vero, cujus libri molis admodum
271 ſeq. exiguæ fore dicuntur, ſiquidem falſo aut injurioſe dicta exi-
mantur, iniquæ imputationis poſtulatur, propterea, quod Ec-
cleſia non Sacramentum, ſed Chriſtum in Sacramento adoret.
273. Hæreſium confutatio & per Scripturas, & per traditionem ur-
280. getur, cauſaque, cur Lutherana increbuerit Hæreſis, non una
allegatur, ubi Romæ abominanda plane non reticentur, *res et-
iam* Friderici Pr. Electoris, a quo 1712, errore *forſan* Typogra-
299. phi, Academia Vitembergenſis condita fertur, ſimul attingun-
tur. De Calvino quid ſentiendum, perinde docetur, Eraſmus
307. vero ut Monachorum etiam Patronus, ab omni hæreſi Luthera-
339. na alieniſſimus ſiſtitur, ac ſecunda hujus diſquiſitionis pars pro-
408. 410. mittitur. Ceterum, quibus illa credere integrum non eſt, ii cœco-
412. rum more, quibus a divina miſericordia oculorum uſus appre-
candus ſit, incedere Noſtro exiſtimantur.

JO. GEORGII NEUMANNI, D. ET PP. PRIMITIÆ Diſſertationum Academicarum, cum novo Appendice & vita Autoris.

Wittebergæ, apud Gottfr. Zimmermannum, 1716, 8.
Alph. 1 plag. 20.

Etiam-

ETiamſi præſentes diſſertationes, quas B. Autor in unum faſciculum conſtipatas olim ipſe edidit, jam quidem in Actis A. 1701 p. 5 enarraverimus, non poſſumus tamen, quin eorum, quæ veteri editioni hoc anno adjecta fuerunt, mentionem faciamus. Acceſſerunt nempe tres aliæ diſputationes, quarum prima in cognominum origines inquirit, ac ſuum cuique vitium, virtutem aut ſingulare fatum cognomen impoſuiſſe evincit, exemplisque confirmat: ſecunda ex Philoſophia Morali de ſtaturæ diſſimilitudine agit: tertia Fauſtum præſtigiatorem extitiſſe olim, eundemque non Witteberga, ſed potius apud Suevos in Ducatu Würtembergico, magicas artes exercuiſſe prolixe aſſerit. Annexa porro eſt Oratio de tumulo Lutheri adhuc inviolato, quam B. Neumannus in publico conſeſſu 1707 habuerat, eodemque anno ſeparatim luci donaverat, ac Thomæ Crenio conſecraverat. Oſtenditur in illa, quod Wittebergenſes ſartum ac tectum habeant Lutheri ſepulcrum, nec everſum aliquando, ſuisque exuviis ſpoliatum; unde ſermo vulgi reprimitur, cui perſuaſum eſt, verum Megalandri tumulum ignorari hodie, nec quicquam aliud ac cenotaphium & urnam cineribus vacuam supereſſe. Quam ſententiam finita oratione tum temporis Virum ſummum, Conradum Samuelem Schurtzfleiſchium, calculo ſuo comprobaſſe affirmatur. Ultimo loco comparet vita Neumanni, Serveſtæ impreſſa, & a Jo. Henr. Schönbachio, qui ipſius olim per ſex annos & familiaris & auditor fuit, concinnata, cujus potiora momenta paucis hic repetere non abs re erit. Natus fuit A. 1661 Kalendis Maji in pago Mauritii ſive Mörtz, qui in agro Belticienſi ſitus eſt, & ad quartum ab urbe Witteberga lapidem diſtat. Patrem habuit cognominem, atque iſtius loci ſacerdotem, a quo prima literarum initia hauſit, ac deinceps in Luſatos dimiſſus inde ab anno ætatis decimo quarto inſtitutione Eliæ & Chriſtiani Weiſiorum Zittaviæ uſus eſt. Academiam Wittebergenſem 1680 petiit, & partim Philoſophos, Bücherum, Michaelem, Kirchmaierum, Strauchium, Stolbergium, Röhrenſeum, Donatum, Schurtzfleiſchium, Daſſovium, partim Theologos, Calovium, Meiſnerum, Quenſtadium, Deutſchmannum, Lœſcherum, ac inprimis

Waltherum audivit, lauream que ſapientiæ ſequenti anno impetravit. Argentoratum poſtea comite Chriſtiano Vatero, hodie Medic. D. & P. P. itemque Archiatro Anhaltino, ſe contulit, & perluſtratis Germanorum Academiis Wittebergam rediit, ibidemque inter Ordinis Philoſophorum Aſſeſſores cooptatus, Exercitationes ſelectiores, quas modo recenſuimus, ventilavit. Relatus etiam in Candidatorum Theologiæ tabulas, ſcholas Theologicas aperuit, easdemque cum Philoſophicis conjunxit, ac Decani officio in ordine ſapientum A. 1690 functus eſt. Eodem anno, poſteaquam ampliſſima munera, Concionatoris in aula Dresdenſi, & ſacrorum Antiſtitis in urbe Lubeca, ſubmiſſe deprecatus eſſet, poſt abitum Daſſovii, Poeſeos, & biennio poſt, Walthero vivis erepto, Theologiæ Profeſſionem, gradumque in Theologia ſupremum conſecutus eſt. Curam Bibliothecæ publicæ ſub ipſum Profeſſionis Poeticæ initium ſuſcepit, & omni reliquo deinceps tempore ſuſtinuit. In Senatu ſacro, miſſa facta alumnorum ephoria, Hanneckenio A. 1706 ſucceſſit, eodemque anno poſt obitum Deutſchmanni dignitatem Præpoſiti templi OO. SS. perinde, ut alia officia ſacra, meritorum magnitudine illuſtravit. Præter Programmata & Theologiam aphoriſticam a Cl. Viro, Jo. Guil. Jano, Divi ex ſorore Nepote, editam, de quibus in Actis A. 1708 p. 211 & A. 1710 p. 347 diximus, ultra quinquaginta Diſſertationes Theologicas & ſcripta quædam apologetica adverſus Fanaticos evulgavit, tandemque dyſenteria & febrili æſtu laborans d. 5 Sept. A. 1709 deceſſit.

D. MICH. GOTTLIEB HANSCHII DIATRIBA de Enthuſiaſmo Platonico. Accedit G. G. LEIBNITII de hoc argumento Epiſtola.

Lipſiæ, apud Jo. Frid. Gleditſch & filium, 1716, 4.
Conſtat pl. 22.

CL. Autor *Hiſtoriæ Philoſophiæ Platonicæ*, quam parat, prodromum emiſſurus, præſentem conſcripſit Diatriben, cumque *de enthuſiaſmo Platonico* eam inſcripſerit, faciendum ſibi putavit, ut *Cap. I* de voce *enthuſiaſmus* ejusque ſynonymis, *Cap. II* de

de variis enthuſiaſmi generibus diſſereret copioſius. Poſtquam igitur *primo Capite* ſive Sectione & de origine & de uſu hujus vocis, itemque de ecſtaſi, de fanaticiſmo, de βακχεία, &c. docte egit; *Cap. II* varia deſcribit enthuſiaſmi genera, videlicet enthuſiaſmum Corybanticum, bellicum, Bacchicum, divinatorium, poeticum, oratorium, muſicum, amatorium: & dum ſuum de ſingulis generibus addit judicium, tacere nolumus, enthuſiaſmum poeticum & oratorium ab eo negari & naturales ad cauſas referri. *Cap. III* probatum it, veritates in gentilium theologia obvias libris ſacris & converſationi cum Judæis deberi. Chamum enim, quem ob matris vel novercæ ſtuprationem maledictione paterna oneratum fuiſſe, Cl. Herm. Hardtio aſſentitur, in Ægyptum conceſſiſſe, maximamque rerum theologicarum ſcientiam ex patris ſui inſtitutione illuc detuliſſe. Ab Ægyptiis edoctos fuiſſe Græcos, ſapientiæ addiſcendæ cauſa illuc profectos, ſpeciatim Pythagoram ac Platonem Ægyptiis atque Hebræis uſos eſſe magiſtris. Hic Cl. Autor ſubjungit ſucceſſionem Platonicorum ex hiſtoria philoſophica, & *Cap. IV* hypotheſes enthuſiaſmi Platonici fundamentales earumq; conſequentias proponit. Hypotheſes duæ ſunt: (1) mundum non eſſe productum ex nihilo, (2) malum eſſe poſitivum, cujus principium ſit materia, ut Deus boni. Oſtenditur, quam graves hæreſes ab hominibus Platonicam hanc philoſophiam doctis in eccleſiam invectæ fuerint, quodque illis ex fundamentis ſequentes deductæ ſint ſententiæ: animam ex DEI eſſentia effluxiſſe: corpus noſtrum eſſe malum; animam exſtitiſſe in mundo ſuperiori, antequam in hunc inferiorem laberetur; eam in corpore non poſſe beatam eſſe: quæ opiniones quibus locis a Platone & ſectatoribus ejus tradantur, diligenter indicat Cl. Autor, & hanc putat eſſe cauſam, cur ethnici & hæretici ex Platoniſmo orti tam pertinaciter negarint reſurrectionem carnis. Ultima, quæ hinc ſequitur, hypotheſis hæc eſt: veram hominis felicitatem ultimumque ejus finem eſſe, ut anima e corpore educta cum principio ſuo, DEO, reduniatur. *Cap. V* originem dictarum hypotheſium inveſtigat, easque refutat ſingulas. Cum autem ſupra dixerit, Philoſophos priſcos ſua dogmata ex S. Scriptura hau-

fiſſe, has opiniones ortas putat ex male intellecta hiſtoria creationis & flatus protoplaſtorum. *Cap. VI* oſtendit, finem ultimum philoſophiæ Platonicæ eſſe enthuſiaſmum: ubi quidem Lectorem monere nos oportet, Cl. Hanſchium enthuſiaſmi nomen hoc loco non uſurpare ſenſu vulgari pro opinione, qua quis ſibi divinitus agitari & illuminari videtur, ſed pro animæ humanæ a corpore ſolutæ reditu ſive refuſione in ipſam DEI, ex qua emanavit, ſubſtantiam. Quam opinionem toto hoc capite ethnicorum Philoſophorum teſtimoniis illuſtrat. *Cap. VII* eodemque ultimo media Platonica ad Deificationem conſequendam facientia explicat, videlicet (1) purgationem, abſtractionem mentis a rebus ſenſibilibus, quam cultus Deorum externus multum adjuvare credebatur, (qua occaſione pluribus agitur de ſuperſtitioſa Platonicorum religione,) meditationem mortis: (2) converſionem mentis ad ſuperiora, maxime ad Deum, ens entium: qua occaſione Platonizantes quidam recentiores Philoſophi notantur: (3) unionem cum Deo.

Non eſt ſilentio nobis prætereunda Illuſtris Leibnitii Epiſtola huic libro præfixa. In ea enim Vir celeberrimi nominis paucis aperit, in quibus a Cl. Hanſchio diſſentiat, profitens, ſibi non videri Pythagoram & Platonem quicquam ab Hebræis didiciſſe; nullam philoſophiam tam prope accedere ad religionem Chriſtianam, quam Platonicam; animam humanam omnino corpore eſſe antiquiorem; falſo tribui Platoni *ſententiam*, quod animæ Deo unitæ propriam ſibi *ſubſtantiam* non ſervent.

ACTA ET MIRABILIS VITA WILBURGIS Virginis, ex coævo Bibliothecæ Mellicenſis codice eruta Diſſertatione Iſagogica & notis illuſtrata & in lucem edita a R. P. BERNARDO PEZ, Monaſterii Mellicenſis Ord. S. Bened. Profeſſo & Bibliothecario.

Auguſtæ Vindel. apud Phil. Jac. Veith, 1715, 4.

Pl. 21.

IGnotæ adhuc in Actis Sanctorum virginis, monaſterium olim ſingulari ſanctitate illuſtrantis, notitiam cum erudito orbe com-

communicaturus doctiſſimus Pezius, non alienum judicavit Diſſertationem præmittere Iſagogicam, in ejusque *primo* ac *ſecundo capite* de Canoniæ S. Floriani, in diœceſi Laureacenſi in Auſtria ſitæ, in qua Wilburgis vixit, primis originibus diſputare; in *tertio*, quis primus Canonicorum Reg. S. Aug. in inſtauratam S. Floriani eccleſiam introductor fuerit, diſquirere; in *quarto* accuratum texere catalogum Præpoſitorum iſtius Canoniæ inde a ſeculo undecimo; in *quinto* denique de Eynwico, ſcriptore vitæ Wilburgis, item de nomine Wilburgis, loco ſepulturæ, aliisque eodem pertinentibus diſſerere. Quæ ſingula cum magni ſint in hiſtoria monaſterorum ſive pretii ſive momenti, a noſtro tamen inſtituto plenior eorum explicatio aliena eſt. Quare ex Iſagogica hac diſſertatione nihil poſſumus repetere, niſi quæ de ſcriptore primum nunc edito ibi leguntur. Is *Eynwicus* & *Ainwicus* vocatur, fuitque memoratæ Canoniæ Præpoſitus ab A. 1289 usque ad A. 1313, quo obiit: & antea inde ab A. 1272 ad annum 1289, quo Wilburgis vita exceſſit, hujus virginis confeſſionarius, quem vocant, fuit. Hanc ob cauſam fide digniſſima judicatur ejus de Wilburge hiſtoria, perſcripta quippe ab *αὐτόπτῃ* & *αὐτηκόῳ*, ut dicere non vereatur Pezius, paucas admodum Sanctorum hiſtorias occurrere, ad quas poſteritati conſignandas par diligentia & fides allata fuerit.

Ipſam VVilburgis Vitam ab Ainwico ſcriptam non eſt cur hic redigamus in compendium. Hujusmodi enim Vitæ eandem omnes habent faciem, plenæque ſunt viſionum, miraculorum, tentationum, jejuniorum, vigiliarum, flagellationum, apparitionum: quales hiſtoriolæ in noſtris quidem eccleſiis vel fide vel ſaltim admiratione nulla dignæ habentur. Eas igitur miſſas facientes unam ex *capite XXI* adducimus hiſtoriam, quam Pezius pro veriſſima habendam judicat, tanquam profectam a ſcriptore non ſolum *συγχρόνῳ*, ſed cujus fere in conſpectu res geſta fuerit. Scilicet refertur iſto loco, Ottocarum, Bohemiæ regem, in prælio cum Rudolpho Habspurgico inito poſt editam fortisſimam pugnam percuſſo equo ſuo captum eſſe: eosque, qui captum eum tenebant, capitales Ottocari hoſtes fuiſſe, ac, ne a Rudolpho libertati redditus Ottocarus de ipſis vindictam ſumeret, timentes, ipſum gladio transfixiſſe ac peremiſſe. Ad

Digitized by Google

Ad annotationes ab Editore adjectas quod attinet, iis modo vocabula medii ævi propria, modo res ipſæ, docte illuſtrantur.

HISTOIRE DU MINISTERE DU CARDINAL Martinuſius &c.

h. e.

HISTORIA CARDINALIS MARTINUSII, ARCHIEPI-ſcopi Strigonienſis, Primatis & Adminiſtratoris regni Hungariæ, dedicata Ragotskio Principi.

Pariſ. apud Societ. 1715, 8.

Alph. 1.

GEorgius Martinuſius, ex illuſtri Comitum Vtiſſenoviskiorum familia in Croatia natus, cum, duro uſus initio adoleſcentiæ, propter egeſtatem, vitæ religioſæ ſe addixiſſet, ſubito prudentia & agendi dexteritate cum inter ſodales excelluit, eorumque ſuffragiis Abbatis dignitatem in Polonia conſecutus eſt, tum ipſis aulæ Proceribus ſe commendavit. Hac laude Joanni Sepuſiano, regno Hungariæ ejecto, & in Poloniam profugo, innotuit, atque in Hungariam miſſus omnium ordinum ſtudia ad partes illius ita adjunxit, ut regnum non minus horum voluntate quam Solimanni armis recuperatum usque ad finem vitæ retineret. Qua de cauſa Joannes Rex Martinuſium, omnium deinde conſiliorum ſuorum participem, ad ſummos honores extulit, & moriturus, filii ſui impuberis tutorem *pariter ac regni* adminiſtratorem, una cum Eliſabetha, conjuge relicta, conſtituit. Regina vero, ſummæ poteſtatis ſocium æquo animo non ferens, de eo tollendo conſilia iniit. Quibus rebus factum eſt, ut Martinuſius ad Ferdinandi, Regis Romanorum, partes tranſiret, & huic, æque ac olim Joanni, viam ad reditum in Hungariam patefaceret. Et a Ferdinando quidem viciſſim in Palatinatu Tranſylvaniæ, quem jam ſub Joanne Rege obtinuerat, confirmatus, ac præterea Archiepiſcopi Strigonienſis & Primatis regni dignitate ornatus eſt, cui poſtea etiam purpura Cardinalitia acceſſit. Sed ex tanto faſtigio non multo poſt miſere dejectus, &, cum apud Ferdinandum Regem in clandeſtinæ cum Solimanno conſenſionis ſuſpicionem veniſſet, juſſu ejus d. 19 Decembris A.

Digitized by Google

1551, ætatis 70, in arce ſua Vincenſi, nec opinato, trucidatus eſt. Quam cædem curia Romana adeo graviter tulit, ut parum abeſſet, quin Ferdinando ſacris interdiceret. Has tam inſignes converſiones, hiſtoriam Hungariæ & Tranſylvaniæ non parum illuſtrantes, atque originem bellorum per tot annos deinceps geſtorum aperientes, Autor noſter, *A. Bechet*, Canonicus Eccleſiæ Uticenſis, ex Thuano, Iſthuanſio, Jovio, Spondano aliisque collectas, copioſe deſcribit, & id potiſſimum agit, ut Martinuſii innocentiam contra novorum quorundam ſcriptorum, in quibus præcipue Morerium nominat, accuſationes aſſerat, & actiones ejus, ceu bono animo conſilioque ſuſceptas, defendat.

JO. HENRICI ACKERI COMMENTATIO DE MONARchomachis & Antimonarchomachis.

Rudolſtadii, in officina Gollneriana, 1716, 4.

Plag. 5.

CUm tres ſint Politicorum ſectæ, quæ male audiunt, Machiavelliſtarum, Hobbeſianorum, Monarchomachorum; Cl. Autori, omiſſis prioribus, de ultimis paullo uberius, quam adhuc factum, commentari placuit. Numerat autem Monarchomachos 1) eos qui docent, Principes dependere a Populo, 2) eos qui duplicem ſtatuunt Majeſtatem, realem & perſonalem, quarum illa ſit penes populum, hæc penes Principem, 3) hos qui nullam plane Majeſtatem ferre poſſunt, quique inviolabilitatem Imperantium tam conſiliis quam factis deſtruunt. Qui vero Principibus reverentiam denegant, vel etiam ſive aperte ſive ſub fictis nominibus eos perſtringunt, hi Noſtro in Monarchomachorum ordinem referendi non videntur, propterea quod, quamvis peccent, tamen nec ſummum Imperium nec inviolabilitatem Imperantium hoc ipſo evertant. Quod ad originem Monarchomachorum attinet, non dubitat quidem Cl. Autor, quin ſemper & ubique gentium extiterint, qui huc referri poſſent: neque tamen diffitetur, in Gallia & Anglia rem in apertam ſectam erupiſſe poſt nuptias Pariſienſes. Quare ab his etiam regionibus auſpicatur, Galliamque perluſtrans recenſet totam Jeſuitarum nationem, Stephanum Junium Brutum, (quem Hu-

Hubertum Languetum fuiſſe docet,) Jo. Boucherium, G. Guil. Roſſæum ſeu Gilb. Genebrardum, Fr. Hottomannum, Ir. Philaletham ſeu Lud. Molinæum, Lamb. Danæum, Jo. Petitum, Allinum, Hugonotas: in Anglia vero reperit G. Buchananum, Jo. Miltonum, Jo. Philippi Miltoni ex ſorore nepotem, Autorem *du triomphe & de la liberté ou l'irrevocabilité du Teſt*, Autorem *du Julian l'Apoſtat*, Rob. Perſon, Godmannum, Algernonium Sidney, Gisb. Cockium, Jo. Tolandum. E Belgis porro adducuntur Mart. Becanus, Boxhornius, Guil. van der Meulen: e Germanis, præter ſeveriores quosdam Theologos tempore belli Smalcaldici & obſidionis Magdeburgicæ ad hanc ſectam proniores, Thuringiaci & Monaſterienſes Anabaptiſtæ, Paulus Felgenhauerus, David Pareus, Jo. Althuſius, Rheinh. Königius, Jo. Limnæus, Jo. Fr. Gronovius: ex Italis, præter Papas plurimos Monarchis infeſtos, Bellarminus, Petrus Martyr Florentinus, Claudius Seyſellius, Marta: ex Hiſpanis Mariana & Ferd. Vaſquius. Tandem nec Poloniam, Hungariam, Sueciam, Monarchomachos neſcire Cl. Autor oſtendit, ſcriptores tamen non adducit. Stimuli, quibus acti Monarchomachi, cenſente Noſtro, fere hi fuerunt, 1) veneratio prodigioſæ dominationis Pontificis Rom. 2) odium Tyrannidis, 3) odium Regni potius quam Tyrannidis, 4) pulchritudo philoſophiæ de optima regni ſpecie, 5) religio inter homines diverſa ſentientes, 6) ſecuritas ſcribendi, 7) pruritus diſputandi adverſus fautores & adulatores tyrannorum, 8) favor democratiæ, 9) Machiavelliſtarum flagitia. Atque hæc in priori Sectione a Noſtro pertractantur. In poſteriori autem de Antimonarchomachis breviter agit, quorum in fronte ſtat Jacobus magnæ Britanniæ Rex, quem ſequuntur Claud. Salmaſius, Petrus Molinæus junior, Autor libri qui inſcribitur *Carolus I Britanniæ Rex a ſecuri & Miltoni calamo vindicatus*, Jo. Brammalus, Zieglerus, Jac. Schallerus, Guil. Urſinus de Rivio, Autor *des defenſes de la Monarchie Françoiſe contre le livre de Junius Brutus*, Matharellus, Albericus Gentilis, Henr. Arniſæus, Guil. & Jo. Barclaji, Sam. Bochartus, tandemque Autor *fictæ Judithæ & falſæ ex ea ſumtæ doctrinæ*.

** ** **
* * *

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Octobris, Anno MDCCXVI.

S. HIPPOLYTI, EPISCOPI ET MARTYRIS, Opera, non antea collecta, & partem nunc primum e MSS. in lucem edita Græce & Latine. Accedunt Virorum doctorum notæ & animadverſiones, &c. curante JO. ALB. FABRICIO, S. Theol. D. & P.P. in Gymn. Hamb.

Hamburgi, ſumtu Chriſt. Liebezeit, 1716, fol. Alph. 3 pl. 19.

QUatuor effluxerunt anni, ex quo Celeb. *Fabricius*, tot egregiis jam operibus literatum orbem ſibi devinctum habens, Hippolyti, de cujus perſona & ſcriptis pro diffuſiſſima ſua lectione *Bibliotheca ſua Græca lib. V cap. 1 §. 25* diligentiſſime diſſeruit, quæcunque ſuperſunt, monumenta in unum corpus cogere, ac ſplendide illuſtrata publici juris facere in animum induxit. Quo in conſilio ſe magis confirmatum ſenſit, poſtquam humanis rebus ereptus eſt *Jo. Millius*, quem abſoluta illa incomparabili Novi Teſtamenti editione ad Hippolyti Opuſcula uno volumine edenda & notis illuſtranda ſe accincturum fuiſſe fama vulgaverat. Quanquam ignorare Lectores noſtros nolumus, non omnem cum Millii corpore ſpem ſepultam eſſe, ſed ſpiſſum volumen animadverſionum ejus ad Hippolyti ſcripta jam poſſideri a Cl. *Jano*, Academiæ Wittebergenſis Profeſſore, quem publico nomine rogatum volumus, illius ut theſauri participes faciat cultores antiquitatis eccleſiaſticæ.

Sed ut redeamus ad Hippolytum Fabricii, primo loco ejus *de Antichriſto* liber exhibetur, & quidem ex Gudiana editione,

one, cum in Combefiſiana multa inſint peccata typographica. Subſtratæ ſunt ſingulis paginis annotationes Combefiſii, item eæ, quas ſuæ editioni manu propria alleverat Gudius, non omiſſis iis, quas Epiſtolis ſuis Criticis inſeruerat Tanaquillus Faber. His ſuas paſſim adjecit obſervationes ipſe Fabricius, qui & veterum de illo libro teſtimonia adjunxit: quem in modum & de ceteris Hippolyti ſcriptis univerſa antiquorum ſcriptorum loca, ubi eorum fit mentio, in conſpectum dedit. Sequitur Hippolyti *Canon Paſchalis*, in marmorea ſtatua ad urbem Romam A. 1551 effoſſa deſcriptus, adjecta in tribus tabulis æneis ipſa illa ſtatua. Hinc ſiſtitur *Chronicon* non magni momenti, Hippolyto noſtro tribui ſolitum. Tum procedunt doctiſſimorum Virorum in memoratum Canonem Paſchalem, pariterque in Catalogum ſcriptorum Hippolyti, qui in dicta ſtatua repræſentatur, animadverſiones & notæ, Joſephi Scaligeri, Petavii, Caſſini, Bucherii, Moynii, aliorumque. Hinc exhibetur Franciſci *Blanchini* doctiſſimus de canone iſto Paſchali liber, Romæ A. 1703 editus, nobisque A. 1705 p. 305 recenſitus: quem, quia in oris noſtris rariſſimus eſt, recudendum judicavit Fabricius. Hanc ipſam ob cauſam etiam adjunxit *Jo. Vignolii* duas de anno primo imperii Severi Alexandri Aug. quem præfert ſtatua Hippolyti, Diſſertationes, quarum priorem A. 1714 p. 303 recenſuimus, poſteriorem hoc ipſo anno 1716 p. 120. Accedunt excerpta ex *Virginii Valſechii* & *Philippi a Turre* de eodem argumento ſcriptis, in noſtra quoque Acta relatis A. 1712 p. 408, & A. 1714 p. 307. Jam ſequuntur Fragmenta ex operibus Hippolyti deperditis, inter quæ nunc primum edita eſt ex MS. codice *Thomæ Galei* Homilia in Theophania, interſperſis notulis Fabricii noſtri, qui plura ſe propediem daturum promittit in *Specilegio Patrum tertii a Chriſto nato ſeculi.* Ultimum locum occupat *Appendix*, ſcripta Hippolyto ſuppoſita exhibens, itemque reliquias *Hippolyti Thebani*, ſcriptoris ſeculi decimi, inter quas primum locum tenet Diſſertatio *de duodecim Apoſtolis*, quam nudam jam publicaverat Fabricius A. 1714 una cum tribus illis *de Vita Moſis* libris, Gaulmini commentario illuſtratis, p. 508, ſed nunc ſtipatam ampliſſimis annotationibus Franciſci *Combefiſii.*

LET-

Digitized by Google

LETTRES CRITIQUES &c.
hoc eſt:
EPISTOLÆ CRITICÆ DE PRÆCIPUIS aliquot locis Scripturæ Sacræ, Autore Dn. de J.

Amſtelodami, apud Petrum Humbertum, 1715, 8.
Alph. 1 pl. 2.

Singularia quædam exegeſeos altiſſima meditatione ac citra præjudicium ſuſceptæ ſpecimina hoc libro editurus Rev. *Joncurtius*, (eum enim Auctorem ſubjectus librorum catalogus nominat,) ſex epiſtolas de totidem locis, quæ vulgo perperam intelligi arbitratur, ſacri codicis publici juris faciendas duxit. *Prima* de cruciario illo eſt, quem ex conſceleratiſſimo homine in piiſſimum ſubito mutatum eſſe, a Chriſtoque inter ſui regni cives receptum, vulgo credimus ac docemus. Autor vero noſter, non ſolum negans, illum fuiſſe hominem ſceleribus flagitiisque obrutum, ſed etiam contendens, jam dudum ab eo Chriſtum pro Meſſia habitum fuiſſe, vulgari ſententiæ tria potiſſimum occaſionem dediſſe exiſtimat: primum, quod Matthæus & Marcus in eorum numero, qui Chriſto cruci affixo maledixerint, ponant etiam illos ſupplicii ſocios: deinde, quod iidem Evangeliſtæ hos graviſſimo & inviſiſſimo *latronum* nomine appellent; denique, quod converſus ille cruciarius ipſe faſſus ſit, *ſe ferre, quæ facto ſuo digna ſint*. Tria hæc doctisſime enervantur hac epiſtola. Et ad *primum* quidem Autor reſpondet, recentiores omnes interpretes agnoſcere duce Luca, unum duntaxat latronum maledixiſſe Chriſto: eosque recte ſentire, erudite probat, perſpicuis docens exemplis, naturale eſſe, ut homo affectu quopiam graviori commotus pluralem numerum uſurpet ſenſu indefinito, id eſt, rem ipſam vel ſtatum rei proponens, non numerum rerum vel perſonarum. Addit, ſi vulgaris opinio eſſet vera, Evangeliſtas dicturos fuiſſe *duos latrones;* item diſerte annotaturos fuiſſe miraculum, quo ſcilicet homo improbisſimus ſubito mutatus ſit in virum piisſimum; ipſum denique latronem Chriſtum veniam ſuæ blasphemiæ rogaturum fuiſſe. Ad *alterum* reſpondet, λῃςὰς appellari & eos poſſe, qui non ſint latro-

latrociniis adſueti, ſed in numerum latronum a magiſtratu referantur: quem in modum omnes ſuppliciis capitalibus deſtinati, etiam innocentes, appellari ſoleant *malefici*. Cum igitur Pilatus duos illos in ſeditione deprehenſos damnavit tanquam latrones, voce publica, quam imitentur iſti Evangeliſtæ, eos vocatos fuiſſe *latrones*, qui tantum ſeditioſos ſe præbuerint. Ac notatu dignum judicat, quod Lucas eos non *latrones* vocet, ſed *κακούργους*. Addit, etiam Actor. XXI, 38 *latrones* dici, qui tantummodo rebelles fuerint. Cum igitur ex ſolo nomine latronis non ſequatur, eum fuiſſe habitualiter, ut ſic loquamur, ſceleratum; contra ex ejus in cruce facto & verbis appareat, eum non fuiſſe tironem in pietate ac religione; ſatis eſſe ſibi cauſæ putat Noſter, cur de hoc cruciario meliora potius credat, quam deteriora. Qua in ſententia confirmatur teſtimonio Marci, Barnabam una cum ſociis ſeditionis in vincula conjectum eſſe ſcribentis ob factam (& quidem, ut Lucas addit, Hieroſolymæ) cædem. Hinc enim jam liquere putat, noſtros cruciarios non fuiſſe latrones proprie dictos, ſed Judæos, qui orto neſcio qua de cauſa tumultu aliquem interfecerint. Porro ex verbis hujus cruciarii colligit Cl. Joncurtius, eum fuiſſe hominem Judæum, qui ſæpe interfuerit ſermonibus & miraculis Chriſti, & hinc permotus fuerit ad Chriſtum admirandum & ſequendum: id quod etiam inde pateat, quod clare dicat, Jeſum *nihil mali feciſſe*: unde intelligatur, Chriſtum ei fuiſſe cognitiſſimum. *Facile* autem is potuit caſu incidere in tumultum, ac *ſæpe* contingit hominibus maxime probis, ut ſubito quodam affectu accenſi in crimen aliquod prolabantur. Potuit igitur cruciarius noſter in grege aliquot Judæorum contra Romanos milites, ſuperbe nimis Judaicam gentem tractantes, tumultum excitantium deprehendi, &, quod in tali caſu fieri ſolet, ultimo addici ſupplicio, non tam ob gravitatem ſui peccati, quam ad alios hoc metu in officio continendos. Addit Cl. Autor, etiam ob id in meliorem partem pro cruciario noſtro præſumi debere, quia in cruce tantum patientiæ, humilitatis, fidei oſtendat: cumque ſine neceſſitate non ſit ſtatuendum miraculum, par eſſe, ut converſio cruciarii noſtri credatur ordinario proceſſiſſe modo. Etiam in

cum

Digitized by Google

cum diſcipulis Chriſti fortaſſe putavit, regnum ejus fore terrenum, adeoque ſeditione excitata jugum Romanum excuti poſſe. Ac fortaſſe ratus eſt, id facilius fieri poſſe tempore paſchali ob multitudinem Judæorum Hieroſolymæ tum congregatorum. Nec Autor credit, cruciarium noſtrum ipſummet in tumultu commiſiſſe cædem, cum ſolus Barrabas vocetur homicida; ſed eum infortunio quodam cum Barraba comprehenſum, cum minimum peccaverit, eidem pœnæ addictum fuiſſe exempli ſtatuendi cauſa. Ad *tertium*, quod cruciarius fateatur, ſe juſte damnatum, ſupplicioque dignum eſſe, reſpondet Cl. Autor, (1) hoc dici in comparatione Chriſti, viri innocentiſſimi, præ quo cruciarius iſte omnino pœna ſit ſua digniſſimus: (2) hoc verum eſſe reſpectu tribunalis divini, cum quilibet homo ſuis peccatis graviſſimarum pœnarum reus fiat: (3) etiam humani tribunalis reſpectu id verum eſſe. Nam, licet ille homo in ſeditione omnium leviſſime peccarit, tamen deprehenſus juſte fuit extremo affectus ſupplicio. Illuſtratur hoc exemplo Petri, qui, ſi ob aurem Malcho abſciſſam tanquam ſeditioſus cruce affixus fuiſſet, debuiſſet dicere, ſe ferre, quod facto ſuo meruerit. His quædam ſubjunguntur de dilatione pœnitentiæ ad finem usque vitæ, oſtenditurque, quam periculoſa ac difficilis ea ſit, quamque parum præſidii in exemplo cruciarii noſtri inveniat, qui quomodo ad fidem Chriſti & cognitionem de regno ejus pervenire facillime potuerit, ediſſeritur.

Secunda epiſtola, vaticinium Jacobi Geneſ. XLIX, 10 illuſtrans, tria diſpeſcitur in capita. Primo Judæorum interpretationes vel potius detorſiones refelluntur. Secundo loco vulgaris Chriſtianorum interpretatio evertitur eo argumento, quod ita eventus prædictioni non reſpondeat, cum tribus Judæ imperii faſces non tenuerit perpetuo inde ab exitu ex Ægypto ad Meſſiæ adventum usque. Hoc pluribus exponitur, variæque rationes, quibus iſtam ſententiam tueri ſolent interpretes, labefactantur & refelluntur. Tertio ſuam ipſius ſententiam Cl. Autor exponit & confirmat. Scilicet exiſtimat, τὸ שֵׁבֶט hoc loco non *ſceptrum* ſignificare, ſed *tribum*, quo ſenſu ea vox ſæ-

pius occurrat in ſacro codice. Ad amoliendam novitatis invidiam docet, hanc interpretationem, qua tribui Judæ prædicta ſtatuatur perpetuitas, non ſolum Oleaſtro placuiſſe, ſed probatam etiam eſſe a Junio & Tremellio, itemque ab Ainswortho, Anglo doctiſſimo. Originem vulgaris interpretationis refert ad LXX, quos vocant, interpretum verſionem, qui vitio ſuæ gentis vana ſpe inflati τὸ *Schebeth* reddiderunt *principem*, cujus inſigne ſceptrum eſt. Hos ceteroſque ex Judæis interpretes, qui *ſceptrum* verterunt, ſecuti judice Noſtro ſunt bona fide veteres pariter, quos Patres vocamus, junioresque eccleſiæ magiſtri, Patrum autoritati eousque dediti, ut ſimpliciter in eorum ſententias tranſeant, iisque refragari nefas ducant. Hinc Cl. Autor ſuam interpretationem, ſecundum quam, *tribum non ablatum iri a Juda*, id eſt, tribum Judæ ſemper manſuram, nec vel interitu vel confuſione abolitum iri, donec venerit Meſſias, prædixit Jacobus; ab objectionibus Pererii, Oleaſtrum in ſuo ad Geneſin Commentario impugnantis, vindicat. Nec vero negat, a Jacobo prædictum eſſe, ſatis diu Reges futuros in familia Judæ: ſed illud vaticinium contineri ait v. 8 his verbis: *Filii patris tui proſternent ſe coram te*, id eſt, ut ex Geneſ. XXXVII, 7 patet, *tu rex eorum eris*. Porro perpetuitatem tribus Judæ propterea prædictam eſſe putat, quia ex ea Meſſias erat naſciturus, cujus adeo ſtirps certo ſciri, ac, eum e tribu Juda ortum eſſe, digito quaſi demonſtrari debebat. Oſtendit inde, in tribu Juda *ſemper* manſiſſe accuratam genealogiam, qua ipſa *tribus* Levi poſt captivitatem Babylonicam caruerit. Porro τὸ *mechokek* accipit ſenſu *ſcribæ*, qui catalogos genealogicos fideliter ſervet & continuet. Hinc convinci a nobis poſſe Judæos putat, quippe cum ipſis fatentibus genealogia tribus Judæ ſalva fuerit usque ad Meſſiæ adventum, ex eo vero tempore eandem, quam ceteræ tribus, confuſionem ſubierit. Confert etiam cum oraculo Jacobi ore edito vaticinium Danielis Cap. IX, 25, 26, 27, ubi pariter prædicitur, adventum Meſſiæ ſecuturam eſſe exſtinctionem reip. Judaicæ, ne umbra quidem priſtini ſplendoris relicta. Denique ſubjuncta vaticinii Jacobæi de Juda paraphraſis hanc epiſtolam concludit.

Tertia

Digitized by Google

Tertia epiſtola (quam cum reliquis brevius recenſebimus,) contendit Cl. Autor, Paulum Rom. VII, 14 ſqq. non loqui de ſemet ipſo, ſed per mimeſin de homine irregenito. Obſervat, hunc locum contraria ſententia primum interpretatum eſſe Auguſtinum, quem pro oraculo habitum ſecuti ſint ſequentis ævi theologi. Quanquam nobis non ſola Auguſtini autoritate permoti videntur interpretes ad ejus amplexandam ſententiam, ſed etiam ea re, quod alteram interpretationem, quam noſter Autor tuetur, propugnaret Pelagius ejusque ſectatores.

Quarta epiſtola explicatur locus Rom. VIII, 19 ſqq. ubi per *creaturas* intelliguntur ethnici, qui in ſtatu ignorantiæ & ſuperſtitionis anxie exoptarint liberari ab inquietudine mentis, & certi fieri cupierint de gratia Numinis & conſequenda poſt mortem vita meliore. Inter alia ex Cl. Autoris ſententia ſpes beatiorum temporum in animis ethnicorum excitata fuit per oracula Sibyllina, quæ ex Jeſaia propheta depromta eſſe putat, & huc quartam Virgilii eclogam trahit. *Quinta* votum Paulinum Rom. IX, 1, 2, 3 perpenditur & ita exponitur, ut optet Apoſtolus victima fieri piacularis, cujus morte (non æterna, ſed temporali) Numen placetur, & ad avertenda, quæ Judaicæ genti impendebant, mala commoveatur. *Sexta* denique ad Pſal. LVIII, 5 & 6 putat Cl. Autor, (1) omnino dari artem incantandi ſerpentes, (2) illam artem conſiſtere in uſu mediorum naturalium, e. g. in certa modulatione, (3) Davidem loco dicto non approbare popularem errorem de ſupernaturali incantantium potentia, ſed ludibrio habere incantatores, tanquam homines vanos & credulitate plebis ad quæſtum ſuum abutentes.

COMMENTAIRES SUR LES EPISTRES D' OVIDE. &c.
hoc eſt,
COMMENTARII IN EPISTOLAS OVIDII, Autore CASPARE BACHETO, Domino MEZIRIACI. Editio nova.
Tomi II.

Hagæ, apud Henricum du Sauzet, 1716, 8 maj.
Alph. 3.

Hoſce

HOſce commentarios, Burgi Breſſiæ anno ſuperioris ſeculi vigeſimo ſexto primum editos, & a Rich. Simonio, Bælio & Menagio mirifice laudatos, ſed in ipſa Gallia rariſſimos, jamdudum videre deſideravit doctiſſimus quisque: eaque ſitis magis incenſa eſt, ex quo eruditiſſimi Autores *Hiſtoriæ criticæ literariæ* (*Hiſtoire Critique de la Rep. des lettres*) Tomi I capite III eos recenſendos ſuſceperunt, doctam immiſcentes & valde accuratam ἐπίκρισιν. Nunc igitur tot tantisque deſideriis ſatisfactum eſt: imo ſuperata ſunt vota eruditorum, adjectis non proletariis monumentis, quæ & in fronte & in exitu horum commentariorum exhibentur. Hæc omnia igitur citra ambages recenſebimus.

Tomo primo exhibetur primum Vita Autoris, ex præſtantiſſimis collecta ſcriptoribus, cujus compendium dabimus. Scilicet Claudius Caſpar Bachetus, Meziriaci dominus, in Breſſia natus nobili ſtirpe, magnam adoleſcentiæ partem Lutetiæ ac Romæ conſumſit. Hinc domum redux brevi tempore haud mediocrem conſecutus eſt eruditionis famam, abdicatoque honorum ſtudio otium elegit literarium, atque uxorem duxit, in qua eligenda ſe uſum eſſe ſumma felicitate prædicare ſolebat. Ceterum ingenium ei obtigerat honeſtæ voluptatis in primis appetens. Neque enim literarias ſolum ſectabatur delicias, ſed ſubinde ludis, ſaltationibus, comœdiis aliisque jucunditatibus animum relaxabat. Quæ res adeo non vilem eum faciebat civibus ſuis, ut hi potius eum maximi æſtimarent, admirarentur, colerent. Suavem hanc vitam finivit A. 1638 d. 26 Febr. anno ætatis quadrageſimo quinto, tribus annis ante in Academiam Francicam, quæ tum naſcens adhuc erat, receptus. In quibus ſtudiorum generibus excelluerit, ſcripta ejus docent. Edidit autem, præter ſcripta nunc recuſa & a nobis recenſenda, *Librum problematum arithmeticorum*, iterum cum additamentis editum: item *Diophanti Alexandrini libros arithmeticorum*, e Græco Latine redditos & luculentis illuſtratos commentariis, quos ipſe Carteſius magni fecit, itemque Voſſius. Reliquit etiam opus manu exaratum, quo *Algebræ myſteria* expoſuit: item *commentarium* ampliſſimum, ſed pariter nondum editum,

Digitized by Google

tum, in *Apollodori Bibliothecam:* & in aliis quoque elaborandis occupatus fuit, quorum mentionem omittimus.

Cetera, quæ elucubravit, duobus, quos manu jam tractamus, continentur Tomis. Ac priore quidem primum locum poſt Vitam Autoris occupat Diſſertatio de origine nominis *Lugdunum*: in qua fabuloſis rejectis opinionibus pronum ſe Bachetus præbet in ſententiam Plutarchi, nomen illud Gallicum eſſe ſcribentis, idque in libro *de fluminibus* explicantis. Hinc ſiſtitur Diſſertatio ad Plinii *lib. XXXIII cap. III*, cujus verba, quibus diverſus auri valor in rep. Romana deſcribitur, doctiſſime expendit, tandemque emendat ſagaciſſime. Tum Diſſertatio ſequitur *de Translatione ex una lingua in aliam:* quam non ita pridem in Menagianis primum editam jam breviter recenſuimus menſe Aprili p. 156. Excipit eam *Vita Æſopi*, quæ pariter jam in ſeculi noſtri lucem ſuperiori anno revocata erat, uti ejus anni menſe Novembri p. 518 indicavimus. Succedunt tandem *Epiſtolæ Ovidii* Gallicam in linguam traductæ & commentariis illuſtratæ. Neque vero univerſæ diſertiſſimi illius poetæ epiſtolæ hic comparent, ſed octo duntaxat priores. Scilicet primo Tomo comprehenditur Epiſtola Penelopes ad Ulyſſem, Phyllidis ad Demophoontem, Briſeidis ad Achillem, Phædræ ad Hippolytum, Oenones ad Paridem. Altero Tomo exhibetur Epiſtola Hipſipyles ad Jaſonem, Didonis ad Æneam, Hermiones ad Oreſten. Tum ſubjiciuntur Latina Bacheti Meziriaci carmina, inter quæ principem tenet locum Virginis Deiparæ ad Chriſtum filium, paulo poſt acerbiſſima morte defuncturum, epiſtola. Agmen claudunt Autoris poemata Italico ſermone compoſita.

Lectoris in gratiam redimus ad Commentarios poeticos, in quibus quam ſequatur methodum, ipſemet Autor in Præfatione exponit. Scilicet translationi Ovidianarum epiſtolarum metricæ, in qua ſingula Romani equitis diſticha quaternis reddit verſibus, ſubjicit commentarios, in quibus & *criticum* agit, multa loca reformans ſive codicum veterum ſuffragio ſive certiſſimis nixus conjecturis, & *philologum*, cum hiſtorias ac fabulas, tum ritus priſcos dilucide exponens, adductis veterum teſti-

 monüs

Digitized by Google

moniis propria ipſorum lingua, ſubjecta tamen verſione Gallica. Ceterum ut, quid Bachetus præſtiterit, clarius appareat noſtris Lectoribus, unam Didonis ad Æneam epiſtolam perluſtrabimus, ut *ex una diſcant omnes*. Primum igitur, præmiſſo Epiſtolæ argumento, Gallica ipſius epiſtolæ Verſio metrica exhibetur. Ei ſubjiciuntur quatuor Diſſertatiunculæ, quarum prima de ortu Æneæ: altera de ortu ſive ſtirpe Didonis agitur, ubi ſimul coarguitur error Virgilii chronologicus, & Æneas trecentis annis Didone vetuſtior eſſe demonſtratur: tertia de vita Æneæ usque ad ejus ab urbe Carthagine diſceſſum: quarta denique de vita Didonis. Jam ſequitur commentarius ad ipſam epiſtolam, in quo Meziriacus non ſingula perſequitur, nec omnes diſpellit tenebras, ſed ſaltuatim ad viginti novem hujus epiſtolæ verſus (univerſi autem ſunt 196) pedem ſiſtit, eorumque aliis lucem affundit, aliorum occaſione digreſſiones facit antiquariæ eruditionis pleniſſimas. Inter has undetriginta notas quædam Ovidium ſolo paralleliſmo illuſtrant, maxime petito ex Virgilii Æneide: nempe nota ſecunda, tertia, quarta, ſeptima, duodecima, decima ſeptima, decima nona, vigeſima, vigeſima prima, & vigeſima quinta: quibus notis illuſtrantur verſus 23, 34, 45, 67, 91, 121, 127, 137, 141, 165. Aliæ doctas exhibent digreſſiones. Namque ad *v. 48* diſſerit Meziriacus de Tritonis, dei marini, parentibus & officiis ex hiſtoria fabuloſa: ad *v. 58* de ortu Veneris ex ſpuma maris, & hinc tributa a *poetis Veneri* magna in mare poteſtate: ad v. 75 de diis Penatibus: ad *v. 81* de uxore & filio Æneæ, repetens, quæ de iis memoriæ prodidit antiquitas: ad *v. 86* adducit autores diſſentientes de numero annorum, quibus exulandum fuit Æneæ, antequam venit in Italiam: ad *v. 94* diſputat de cauſa, cur Furiæ vocatæ ſint *Eumenides &c:* ad *v. 116* diſſerit de origine & nomine urbis Carthaginis: ad *v. 123* de gente Getulorum: ad *v. 147* congerit, quicquid de Tiberi fluvio relatum legit in monumentis veterum: ad *v. 155* quinque diverſas recitat ſententias de loco, ubi ſepultus Æneas: ad *v. 189* enarrat fata Annæ ab exceſſu Didonis ſororis ſuæ. Quæ ſuperſunt notæ, numero vix totidem, quot Thebarum portæ vel divitis oſtia Nili, illæ demum illuſtrandis Ovidii verbis inſerviunt,

vivunt. Scilicet ad *v. 2* non vulgaria profert Commentator noſter de cantu cygni morientis, ſimulque defendit Poetam ſuum, quod *olorem* vocaverit *album*, recteque id factum eſſe, pluribus evincit. Ad *v. 83* & *84* (vel ex editione Heinſii *v. 85* & *86*, quam numerationis differentiam Lector & in ceteris obſervet,) ex MS. codice fratrum Puteanorum vulgarem lectionem, quæ corruptiſſima erat, emendat. Vulgo enim ita editum eſt par illud verſuum:

Hæc mihi narrabas, at me movere merentem.
Illa minor culpa pœna futura mea eſt.

Meziriacus hunc in modum eos refingit:

Hæc mihi narraras: ah me movere: merentem
Ure: minor culpa pœna futura mea eſt.

Ac mirum ſane, Nic. Heinſium vulgatam lectionem retinuiſſe, cum tamen iſtam emendationem ſe vidiſſe ſcribat, quæ licet non ſit perfecta, ut paulo poſt videbimus, tamen vulgari lectioni longiſſime præferri digna eſt. *Ad v. 97* contra Cerdanum contendit Noſter, Didonem defuncto ſuo marito templum exſtruxiſſe proprie dictum. Ad *v. 111* diſputat, pro *in terras* reſtituendum eſſe *internas. V. 163* explicat ex hiſtoria, & ex Virgilio illuſtrat. Verſum *177* & ſequentem, qui vulgo ita fluunt:

Dum freta miteſcunt, & Amor dum temperat uſum,
Fortiter ediſcam triſtia poſſe pati;

ope laudati codicis cum Salmaſio ita corrigit:

Dum freta miteſcunt & amor: dum tempore & uſu
Fortiter ediſco &c.

Cui emendationi ſubſcripſit Heinſius, eamque in textum recipere non dubitavit. Verſum *181* paucis Noſter explicat ex Virgilio. Denique verſum *190* ex antiquitate illuſtrat, docens, olim in honorem mortuorum pretioſiſſimas res in rogum ſimul injectas fuiſſe. Abſolutis ita annotationibus duas ſubjicit diſſertatiunculas Meziriacus, quarum prior fata Æneæ usque ad mortem ipſius perſequitur, poſterior de morte Didonis agit: in qua oſtenditur, eam nimio prioris mariti amore flagrantem ad novas prævertendas nuptias ſeipſam interfeciſſe, adeoque magnam illi injuriam factam eſſe a Virgilio, qui & turpem ejus

Digitized by Google

amorem narrarit, & eam amoris impatientia mortuam ſcripſerit. Atque hactenus Meziriaci ad Didonis epiſtolam commentarii.

Ceterum cum hinc appareat, Meziriacum multa hujus epiſtolæ reliquiſſe intacta, facile intelligat unusquisque, multa ibi reſtare partim emaculanda, partim explicanda & illuſtranda. Nobis itaque qualemcunque huc conferre liceat ſymbolam, depravatisque aliquot locis medicam admovere manum, permiſſa Criticis judicandi libertate.

I. Verſus 29.-32 ita ſunt editi:

Parce, Venus, nurui, durumque amplectere fratrem
Frater, Amor, caſtris militet ille tuis.
Aut ego, qua cæpi (neque enim dedignor,) amare,
Materiam curæ præbeat ille meæ.

Tertio verſu Heinſius, meliores ſecutus codices, reponit *quem* pro *qua*. Sed ne ſic quidem clara eſt Didonis oratio. Videtur ita reſcribendum: *Fac rogo, quem cæpi*, cetera: hoc eſt: Fac quæſo, ut Æneas, quem amare cœpi, mutuo amore mihi reſpondeat, ut ipſo frui poſſim meoque affectui ſatisfacere.

II. Verſus 33 cum ſubſequenti ita vulgo legitur:

Fallor, & ipſa mihi falſo jactatur imago,
Matris ab ingenio diſſidet ille ſuæ.

Latere hic mendum, vidit Heinſius: ſed locum hunc dum corrigere cupit, magis corrumpit. Reſcribit enim ita:

Fallor: & iſta mihi falſæ jactatur imago.

Aut egregie fallor, aut ita ſcripſit ipſe Ovidius:

Fallor: & (pro *etiam*) *ipſa mihi falſo jactatur origo.*
Matris ab ingenio diſſidet ille ſuæ.

Scilicet proxime rogaverat Dido Venerem, quam matrem ſuam eſſe dixerat Æneas, ut huic injiceret ſui (Didonis) amorem. Sed per figuram, quam *correctionem* vocant rhetores, Dido nunc negat, Venerem eſſe Æneæ matrem, quippe cujus ipſe tam ſit diſſimilis, ſtatuitque, falſo Æneam jactaſſe tam ſplendidam *originem* ſive ſtirpem. *Fallor*, inquit, *etiam ipſam originem ſive ſtirpem ſuam falſo mihi jactavit Æneas, Venere matre ſe natum eſſe dictitans.* Pari modo infra v. 77 80 loquitur Dido:

Sed

Sed neque fers tecum, nec, quæ mihi, perfide, jactas,
Preſſerunt humeros ſacra paterque tuos.
Omnia mentiris: neque enim tua fallere lingua
Incipit a nobis.

III. Verſus 83 & 84 vulgarem lectionem jam ſupra repræſentavimus, itemque emendationem Meziriaci. Longius in emendando progreſſus eſt Cl. Burmannus, ut ſuperiori anno *p. 177* memoravimus, ita reſcribens:

Hæc mihi narraras: nec me movere: cetera. Quæ emendatio omnino perfectior eſt Bachetiana: ſed videant Critici, an non pro *movere* rectius ſcribatur *monuere*, ut hæc ſit verborum ſententia: *Hæc mihi narraveras, quæ me monere debebant: ſed non paſſa ſum me moneri,* (ich habe mich doch nicht dadurch warnen laſſen,) *ſed credula tibi fui, ac proinde meritas ſtultæ credulitatis nunc pœnas ſolvo.*

IV. Verſus 69 ita exſcriptus vulgo legitur:

Quicquid id eſt, totum merui, concedite dices.

Latet mendum, inquit Heinſius, ſed non tollit illud. Mihi hæc vera videtur lectio:

Quicquid id eſt, totum merui, tunc perdite dices,

id eſt, quicquid mihi damni attulerit dira hæc tempeſtas, id omne merui. Sic Cicero Famil. X, 5: *His temporibus difficillimis, reip. QUICQUID ſubveneris, id erit totum & proprium tuum. Perdite*, inquit porro Dido, id eſt, tu, qui jam in mari periturus es, uti ſupra *v. 59* ſe ipſam vocavit *perditam*. Ceterum quod Heinſius τὸ *dices* in *dicas* mutatum vult, ferri non debet. Tota enim oratio requirit *dices*, Didone *futuras* Æneæ cogitationes deſcribente. Ac in pentametro quoque Poeta ſcripſiſſet *putabis*, niſi metrum coegiſſet ponere *putes*.

V. Verſus *111* ab omnibus agnoſcitur male ſanus eſſe. En illum!

Occidit in terras conjux (meus) *mactatus ad aras.*

Τὸ *in terras* mendoſum eſſe, dubitari nequit. Hinc Meziriacus ingenii ſui ductu reſcripſit *internas*, Mycillus *Herculeas*, Heinſius *Herceas*. Mihi nulla harum emendationum placet, qui probabiliorem ſequens conjecturam ſcribo ita:

Digitized by Google

Occidit ah! Tyrias conjux mactatus ad aras.

Quam lectionem quinque MSS. codices confirmant, qui, teſte Heinſio, habent *ad terras*. Ac ipſa hiſtoria ei ſuffragatur. Nam Didonis maritum *ad Tyrias aras* mactatum eſſe, nemo neſcit. Vide vel primum Virgilianæ Æneidos librum v. 344 & 350, ubi hæc leges:

Imperium Dido, TYRIA regit urbe profecta,
Germanum fugiens.
- - *Regna TYRI germanus habebat*
Pygmalion.
- - *Ille Sichæum*
Impius ANTE ARAS - -
Clam ferro incautum ſuperat.

VI. Verſu 155 recte Heinſius ex codicibus vetuſtis repoſuit *matrem* pro *patrem*: eaque emendatio confirmatur *v. 29* & *v. 160*. Scilicet Dido obteſtatur Æneam per *matrem* ſuam, Venerem: per *patrem*, Anchiſen, non poterat, quippe jam mortuum.

VII. *Verſuum 157 & 158* ſententia non eſt liquida. Nec tamen eam, adhibita correctione, eruit adhuc quisquam. Equidem plane non dubito, pro vulgata lectione:

Sic ſuperent, quoscunque tua de gente reportas,
Mars ferus, & damni ſit modus ille tui;

hæc reponere:

Sic ſuperent, (id eſt, ſuperſint & vivi maneant,) *quiscunque*
tua (Trojana) *de gente pepercit*
Mars ferus, cetera.

Emendatio hæc, niſi fallor, liquida eſt & omni exceptione major. Ceterum Heinſius pro *damni tui* duobus e libris antiquis ſcribi jubet *damnis tuis*. Ego vero mallem receptam ſervare lectionem, quia Ovidius alibi, *e Ponto IV, 6, 20: Sitque malorum jam modus*, id eſt, finis. Sic & *Triſt. I, 10, 44* & *V, 1, 35*. Quanquam nec Heinſiana lectio abſurda eſt ob locum parallelum *Triſt. I, 8, 38*: ac *damna* plurali numero etiam Gellius dixit lib II cap. 27. Atque hæ ſufficiant emendationes locorum eorum, quos prætervectus eſt Meziriacus. Cum vero ſupra dixerim, nec

Digitized by Google

nec omnibus locis lucem affudiſſe Meziriacum, ſed multa ſupereſſe illuſtranda, vel unum hujus rei ſpecimen edere liceat. Scilicet ad *v. 119*, ubi ita fatur Dido:

Bella tument, bellis peregrina & fœmina tentor,

annotandum erat, his verbis ſignificari duas cauſas, cur bellum Didoni intentatum ſit periculoſum: primo quod ſit *peregrina*, adeoque amicitiam nullam contraxerit cum vicinis gentibus, quarum proinde auxilium implorare nequeat: deinde quod ſit *femina*, non vir, adeoque minus apta ad ferenda arma gerendumque bellum. Elegans ille loquendi modus alibi quoque locorum mihi obſervatus eſt: nec alienum præſenti loco videtur, gemina exempla producere. Sic igitur Noſter idem in epiſtola Oenones *v. 119*:

A juvene & cupido credatur reddita virgo?

Darius in ſimili caſu apud Curtium *IV, 10, 32*: *Num, quod quærere pudet*, (quærebat autem, an Alexander uxorem & filias ſuas libidinis inſtinctu violarit,) *auſus eſt & dominus & juvenis*, hoc eſt, an auſus eſt Alexander, quem auſum eſſe credibile eſt, quia tanquam dominus poteſt, & tanquam juvenis velle videtur. Plinius *lib. 1 epiſt. 12*: *Ego tamen, tanquam juvenis & fortiſſimi, morte doleo.* Curtius X, 5, 29: *Gloria laudisque ut juſto major* (Alexandro fuit) *cupido; ita & juveni & in tantis admittenda rebus.* Ita enim reſcribo ex codice Theocreniano. Idem IV, 11, 17: *Bellum cum captivis & feminis gerere non ſoleo. Armatus ſit oportet, quem oderim.* Et VI, 10, 13: *Unde & parricidæ & prodito* (ita reſcripſit Acidalius,) *tam alti quies ſomni?* Rurſus VI, 11, 6: *Cum inſidiaretur capiti regis & amici*, hoc eſt, cum inſidiaretur Alexandro, cui non ſolum tanquam regi ſuo, ſed etiam tanquam amico ſuo, quippe qui ipſum omnium arcanorum participem fecerat, parcere debuit. Et lib. *IV, 5, 20*: *patere ſocio atque hoſpiti portum*, hoc eſt, patere ipſi portum, quippe qui non ſolum ſocius regis ſit, ſed etiam hoſpes. Denique *V, 10, 15*: *Cum intuerentur, qualem & regem & virum fallerent.* Tacitus in vita Agricolæ *cap. IV n. 5*: *Se in prima juventa ſtudium philoſophiæ ac juris ultra, quam conceſſum Romano ac Senatori* (id eſt, homini, qui non ſolum Romanus civis, ſed ſenator Romanus eſſet,) *hauſiſſe.*

ſiſſe. Cicero *Famil. I, 6: Ipſa die debilitantur cogitationes & inimicorum & proditorum*, id eſt, hominum, qui non ſolum inimici ſunt, ſed quorum etiam conſilia ſunt prodita, ut adeo tela præviſa minus nocere poſſint. Idem oratione pro Milone *cap. 24* extremo: *Vita talis & civis & viri fidem non faciebat, niſi, eo tacente, res ipſa loqueretur.* Denique oratione in Catilinam tertia *cap. IX: Tanta res tam dementer credita* (hoc eſt, commiſſa) *& ignotis* & *barbaris*, id eſt, hominibus, qui & ignoti ipſis eſſent & barbari ſive hoſtes, ut adeo duabus de cauſis ſtulta ſit hæc fiducia. Atque hæc nunc ſufficiant: niſi quod ſubſequenti Diſſertatiunculæ veniam rogamus, quam & impetraturos nos eſſe argumenti affinitas confidere jubet.

C. A. H. RETRACTATIO ET CORRECTIO DUarum emendationum minus feliciter ſuſceptarum in Epiſtolis Ovidianis.

CUm res Critica in conjecturis verſetur ac divinationibus, earumque quædam ita perſpicuæ planæque ſint, iis ut aſſenſum nemo, qui ſapit, denegare poſſit; aliæ autem, licet non exiguam veri ſpeciem præ ſe ferentes, non omni tamen exceptione majores ſint; hinc ſapientis Critici eſt, & diſſentientes placide audire, rationibusque eorum, ſi firmæ fuerint, cedere, & ſuas ipſius hariolationes ſubinde ſub incudem revocare, melioresque emendationes, ſive ex ipſius animum ſubeunt, ſive *aliunde* ſuppeditantur, anteferre prioribus. Hominem ſe eſſe ſtolide negat, quem pudet erraſſe & a priſtina diſcedere ſententia. Equidem omni ope annitor, ut verum inveniam non in maximi ſolum momenti rebus, ſed etiam in levioribus. Verum juſta erga memet ipſum diffidentia quascunque meas ſententias, etiam veriſſimas viſas, ſubinde ad lancem rectæ Rationis exigens, non nimis raro deprehendo, me adhuc pro veritate amplexatum fuiſſe errorem, quem proinde ſtatim abdico, non amplius ſequens deteriora, quamprimum clare video meliora proboque. Qua in re veſtigiis inſiſtens præclariſſimorum virorum, ſpero, ingenuam hanc honeſtæ meæ inconſtantiæ profeſſionem apud cordatos

datos

Digitized by Google

datos viros non parituram eſſe præjudicium adverſus reliqua, quæ ſentio. Sed quid utor longiori præfatione, apud ſapientes ſupervacua; apud ſtultos, quorum largiſſimus ubique terrarum proventus eſt, inutili? Ad rem ipſam accedo. In *Parergis* meis *Criticis* undecim locorum Ovidii integritas me ſollicitum habuit. Iterum in Diſſertatiuncula quadam, hiſce Actis ſuperiore anno *Suppl. T. VI Sect. 2 p. 77 ſqq.* inſerta, decem ejusdem Poetæ vulneribus medicam admovi manum. Ex his viginti & una curationibus duæ ſunt, quæ priſtinam ſanitatem Poetæ haud reddiderunt, adeoque rectius ſuſcipiendæ ſunt adhibendæque: ceterarum ne poſt repetitam quidem diſcuſſionem me pœnitet, ut ſoſtrum poſcere Poetam jure poſſim, niſi ipſius debitor jamdudum eſſem, meaque adeo opera vix grati animi implerem officium.

Prior locus exſtat *Epiſt. VIII v. 49, 50,* ubi ita Oreſten affatur Hermione:

Nec virtute cares; arma invidioſa tuliſti:
Sed quid tu faceres? induit illa patrem.

Hoc eſt, nec laus fortitudinis deeſt ceteris tuis decoribus. Ferrum enim ſtrinxiſti, immeritamque patris tui cædem fortiter ultus es. Quæ res licet odii & invidiæ plena ſit, quippe matre tua, quæ interfecerat patrem tuum, occiſa; tamen excuſari & poteſt & debet. Quid enim faceres? *Induit illa patrem.* Hæc poſtrema verba commodæ ſententiæ non ſunt capacia. Nec multo melior iſta eſt lectio: *Induit illa pater:* quaſi Ovidius velit, Agamemnonem filio arma induiſſe, id eſt, ejus injuſta nece filium ſtimulatum eſſe ad arma ſumenda; repetendamque vindictam. Quæ interpretatio quis non videt, quam precaria, quam violenta ſit? Neque vero nego, probam eſſe dictionem: *induere arma,* id eſt, ſeſe armare. Virgilius eam habet lib IX Æneid. v. 180, Ovidius Faſt. I, 521, Triſt. IV, 1, 76 & IV, 9, 8; Curtius V, 11, 1. Illam quoque alteram bonæ notæ eſſe: *Induere arma alteri,* exemplum a Meziriaco allatum & ab Heinſio repetitum probat. Ceterum ſtat ſententia, illam expoſitionem verborum horum: *induit illa pater*, quam modo attuli, eſſe contortiſſimam. Ea re permotus ſtatui, mendum ineſſe huic

loco, atque in *Parergis* meis *p. 119* ita reſcripſi: *Imbuit illa patrem.* In animo erat illud Ciceronis Orat. pro Milone *cap. 7: Viam imbuere ſanguine alicujus*; & illud Curtii *III, 8, 5: Manus imbutæ ſanguine*; item Virgilii illud *ecl. I, 8: Illius aram agnus imbuet ſanguine ſuo.* Sed, fateor, mea nunc lectio mihi prorſus ſe non probat. Nam & illa ellipſis nimium audax eſt: *Imbuit illa patrem*, ſubaudi *ſanguine ſuo*, id eſt, interfecit patrem. Erravi itaque. Utinam, quæ nunc afferetur, conjectura melior ſit! Spero id quidem certe, ac plane confido. Adeo conveniens eſſe videtur huic loco, nec quicquam monſtri alere. Scilicet hunc legendum cenſeo in modum:

- - - *Arma invidioſa tuliſti:*
Sed quid tu faceres? INVOCAT illa (arma) *pater.*

Nempe Manes paterni invocaſſe dicuntur filium, ut mortem patris ulciſceretur. Ac ſane hæc dictio, ubi de auxilii vindictæve imploratione ſermo eſt, proprie uſurpatur: id quod uno & altero exemplo manifeſtum faciam. Ut omittam Ciceronem, qui, Nizolio teſte, dixit *invocare ſubſidium ſociorum*, en Livium, *Lib. I cap. 59* bis hoc verbo uſum! *Invocati* ſunt, inquit, *ultores parentum dii.* Ac paucis interjectis: *Invocantibus parentum furias viris mulieribusque.* Aureus eſt locus Senecæ Tragici in Thebaide *Act. II v. 2:*

Thebæ paventes ARMA fraterna INVOCANT,
Rogantque, tectis arceas patriis faces.

Ovidio igitur *pater invocaſſe* dicitur *arma filii*, dum ejus imago animo filii ſemper obverſans hunc non paſſa eſt quieſcere, donec ſumeret vindictam. Poeticam hanc loquendi figuram in ipſo ſacro codice reperimus, Deo Cainum ſic alloquente: *Vox ſanguinis fratris tui invocat me.*

Alter locus eſt in epiſtola VII, qua Dido Æneam hiſce obteſtatur verbis v. 155-161:

Tu modo per matrem, (recte ita Heinſius pro *patrem,*) *fraternaque* (Cupidinis) *tela, ſagittas,*
Perque fugæ comites, Dardana ſacra, deos,
(Sic ſuperent, quoscunque tua de gente pepercit
Mars ferus, & damni ſit modus ille tui;

Aſca-

Aſcaniusque ſuos feliciter impleat annos,
Et ſenis Anchiſæ molliter oſſa cubent:)
Parce, precor, domui, quæ ſe tibi tradit habendam.

Recte Heinſius verſum 157 cum ſubſequentibus tribus ſigno parentheſeos circumſcripſit, verſum 155 connectens cum v. 161, hoc ſenſu: *Ut parcas domui, precor te per matrem tuam tuumque fratrem*, cetera. Durior quidem videri poſſit, ac revera mihi meis in *Parergis p. 119* viſa eſt, longior illa parentheſis, & aliena ab Ovidii fluidiſſima elegantia. Verum tria exempla (quorum duo in memoriam mihi revocavit Amicus quidam doctiſſimus,) prohibent, quo minus longiorem ejusmodi παρένθεσιν novam judicemus & inſolentem. Primum ſuppeditat Virgilius Æneid. III, 362-368:

Fare age, (namque omnem curſum mihi proſpera dixit
Relligio, & cuncti ſuaſerunt numine divi
Italiam petere, & terras tentare repoſtas:
Sola novum dictuque nefas Harpyia Celæno
Prodigium canit, & triſtes denuntiat iras,
Obſcenamque famem:) quæ prima pericula vito?
Quidve ſequens tantos poſſum ſuperare labores?

Alterum dat Ovidius e Ponto *IV, 13, 43 ſqq.* qui locus verbis Didonis ſupra allatis prorſus eſt παράλληλος, adeoque Heinſianam lectionem non mediocriter confirmat. En illum!

At tu PER ſtudii communia fœdera ſacri,
PER non vile tibi nomen amicitiæ,
(SIC capto Latiis Germanicus hoſte catenis,
Materiam veſtris afferat ingeniis!
SIC valeant pueri, votum commune Deorum,
Quos laus formandos eſt tibi magna datos!)
Quanta potes, præbe noſtræ momenta ſaluti.

Sed tertium inſuper inveni locum παραλληλότατον, & ita ſimilem Didonis orationi, ut ovum ovo ſimilius eſſe non poſſit. In eo quippe τὸ *per*, obteſtandi particula, interjecta longa parentheſi, tandem etiam connectitur cum *Parce precor*. Iſte autem, quem innuo, locus legitur *lib. II Triſt. v. 155 - 179.*

Digitized by Google

PER ſuperos igitur, qui dent tibi longa, cetera.
PER patriam, cetera.
SIC tibi, quem ſemper factis animoque mereris,
Reddatur grata debitus urbis amor!
Livia SIC tecum ſociales impleat annos, cetera.
Soſpite SIC te ſit natus quoque ſoſpes, cetera.
SIC aſſueta tuis ſemper Victoria caſtris, cetera.
Hic tibi SIC redeat ſuperato victor ab hoſte,
Inque coronatis fulgeat altus equis!
PARCE, PRECOR, fulmenque tuum, fera tela, reconde.

Hinc liquido conficitur, me in *Parergis p. 119* perperam *τὸ per* mutaſſe in *fer*, nihilque prorſus in iſto verſu ineſſe vitii. Id quod erat demonſtrandum.

LEXICON PHILOSOPHICUM, SIVE Index Latinorum verborum deſcriptionumque, ad Philoſophos & Dialecticos maxime pertinentium, Auctore PLEXIACO.

Hagæ Comitis, apud Henricum du Sauzet, 1716, 4.
Alph. 1 pl. 18.

NOn eſt hoc ejus generis Lexicon Philoſophicum, quale Micrælius aliique ediderunt, terminos, quos vocant, philoſophicarum diſciplinarum explicantes ac deſcribentes; ſed eſt Lexicon puræ Latinitatis, in eorum gratiam compoſitum, qui philoſophicas doctrinas non barbaris illis Scholaſticorum, ſed ipſius Ciceronis aliorumque probatæ Latinitatis Autorum verbis exprimere geſtiunt. Eſt igitur hic liber Antibarbarus quidam, & hoc nomine eo magis dignus, quod non ſolum barbaras voces, quæ in philoſophicas ſcholas irrepſerunt, ſed etiam quæ in Theologorum & JCtorum libris reperiuntur, melioribus ac vere Latinis permutat. Ceterum duabus Opus hoc partibus conſtat. In priore Materia philoſophica, prout a Cicerone tractata eſt, ſervato rerum ordine, continetur, & ſub certas claſſes redacta ſeptendecim Capitibus exhibentur, quæcunque ſparſim Cicero protulit ad Logicam, Ethicam & Metaphyſicam pertinentia. Exhi-

Exhibentur autem ipſis Ciceronis verbis, quorum loca Autor bona fide indicat. Statim Capite primo, quod *de Philoſophia* inſcriptum eſt, omnia loca integra profert, quibus Romanus ille Conſul Philoſophiam generatim aut deſcribit, aut ſuas in partes dividit, aut laudibus ornat. In Caput ſecundum compegit omnia, quæ de Dilectica generatim loquuntur, Ciceronis loca. Capite quinto repræſentantur ea loca, ubi Cicero de ſyllogiſmo differit. Capite decimo quinto loca Ciceronis de tempore & æternitate exhibentur.

Altera hujus Operis Parte alphabetico ordine ſiſtuntur vocabula barbara, iisque opponuntur pura vocabula, quibus idem ſignificari poſſe Autor exiſtimat. E. g.. *Ipſa vis* & *revera eſſe* ponitur ab eo pro *actu primo* & *ſecundo:* conjunctio pro adunatio: aiens pro affirmativus: aliquo modo pro aliqualiter: in nihilum redigo pro annihilo: beſtia pro brutum: materia pro cauſa materialis: cauſa ſocia pro concauſa: fortuitum pro contingens: conjunctio pro propoſitio copulativa: res creata pro creatura: deſcriptio pro definitio: ratiocinatio pro diſcurſus: efficiens pro effectivus: res pro ens: natura pro eſſentia: communis pro generalis: quod fieri non poteſt pro impoſſibile: repugnantia pro incompoſſibilitas: ſingula pro individua: corporeus pro materialis: ratio pro medium: opinio præjudicata pro præjudicium: natura pro ſubſtantia: ex hominum Chriſtianorum communitate exterminare pro excommunicare: ipſum eſſe pro exiſtentia: acta Sanctorum pro Legenda: bis mille paſſus pro Leuca: legatus pro Locumtenens: artifex pro artiſta: lis capitalis pro proceſſus criminalis: injuriam inferre pro injuriari. Sed hæc pro ſpecimine ſufficere poſſunt.

PHILOSOPHIA QVADRIPARTITA, Autore P. BENEDICTO SCHMIER, Ord. S. Bened. S.S. Theol. & U. J. Doctore, nec non Philoſophiæ Profeſſore Ordinario in Univerſitate Salisburgenſi.

Salisburgi, apud Jo. Joſephum Mayr, 1716, 4.
Alph. 3 pl. 22.

SCholaſticæ philoſophiæ, ingenia ad inutiles diſputationes a vera ſapientia traducenti, nondum in omnibus Germaniæ noſtræ ſcholis valedictum eſſe, documento poteſt eſſe præſens Opus philoſophicum, quatuor in partes diſtributum. Primo enim Tractatu continetur *Dialectica regulata ſeu Inſtitutiones Summuliſticæ*, quæ tribus conſtant Diſſertationibus, quarum *prima* agit (1) de terminis Logicalibus, (2) de nomine, verbo & oratione, (3) de Univerſalibus ſeu Prædicabilibus, (4) de Definitione & Diviſione; *Secunda* de Propoſitione, Oppoſitione, Æquipollentia, & Converſione; *Tertia* de argumentatione & artificio ſyllogiſtico. Autor in Præfatione Lectorem docet, ſe non ſolum vulgares ſcholaſticæ Logicæ doctrinas proponere, ſed & nonnulla extraordinaria juxta Logicam Caramueliſticam, cujus Autorem ab ingenio admirabili & rariſſimo laudat. Extraordinariarum harum rerum unum & alterum exhibebimus ſpecimen. Pag. 28 ſub titulo *Reflexionis ſcrupuloſæ* conſiderat duas has theſes: *Petrus eſt albus, Petrus non eſt albus*. Eas cum judicet nec contradictorias eſſe nec contrarias, nec ſubcontrarias, nec ſubalternas, cum Caramuele ſuo anxie diſquirit, quid de iſtis propoſitionibus faciendum ſit. P. 11 ſex novas Conjugationes verbi ſubſtantivi *Sum*, in philoſophia multum, niſi fallitur, utilitatis habituras, proponit. En prima: *Sam, Sas, Sat, Samus, Satis, Sant*. Secunda: *Sem, Ses, Set, Semus, Setis, Sent*. Tertia: *Sym, Sys, Syt, Symus, Sytis, Synt*. Quarta: *Som, Sos, Sot, Somus, Sotis, Sont*. Quinta: *Soim, Sois, Soit, Soimus, Soitis, Soint*. Sexta: *Sum, Sus, Sut, Sumus, Sutis, Sunt*. Ut appareat, quantæ utilitatis ſit inventum hoc, en Propoſitiones: *Homo ſat animal, Petrus ſet, Deus ſyt, Deus ſot, Caramuel ſut alter Ariſtoteles, Angelus ſoit*; quæ hunc ſenſum habent: *Homo eſt animal, Petrus exiſtit, Deus exiſtit duratione ſimultanea ab æterno in æternum, Deus eſt & fuit & erit, Caramuel eſt alter Ariſtoteles, Angelus eſt & erit in æternum.*

Progredimur ad ſecundum hujus Operis Tractatum, qui

qui exhibet *Dialecticam controverſam*, & controverſias Scholaſticorum Logicas proponit pariter ac reſolvit, e. g. an diſtinctio conſiſtat in poſitivo? an inter gradus metaphyſicos locum habeat præciſio objectiva? an univerſale pereat in actuali prædicatione? an ſyllogiſmus ſit objectum attributionis?

Tertius Tractatus continet *Phyſicam controverſam*. Ut ſciat Lector, quales hic dirimantur controverſiæ, etiam harum tres quatuorve producere libet. Diſputat igitur Philoſophus noſter, an materia prima habeat actum exiſtentiæ propriæ? an materia prima includat actum metaphyſicum aut fundet? an Privatio ſit Principium per ſe, & intrinſecum compoſiti in fieri? an corpus conſtituatur in *loco formaliter per ubi modale?*

Quartus denique Tractatus ſiſtit *Metaphyſicam controverſam*, e. g. an ratio Entis poſſit objective perfecte præſcindi a ſuis differentiis? quomodo ſubſtantia materialis individuetur? an Deus poſſit creare Infinitum categorematicum?

ACTA PHILOSOPHORUM,
Das iſt:
Gründliche Nachrichten ꝛc.
hoc eſt:
ACCURATÆ COMMENTATIONES, QUIbus Hiſtoria Philoſophica exponitur. Accedunt recenſiones librorum veterum pariter ac recentiorum, ad iſtam Hiſtoriam pertinentium, ſubjuncta ſemper ἐπικρίσει.
Pars I. II. III. IV. V. VI.
Halæ Magdeburgicæ, in Officina Rengeriana, 1715 & 1716, 8. Alph. 3 pl. 3.

EN primum Tomum Hiſtoriæ Philoſophicæ, quam per faſciculos ſingulis anni quadrantibus edendos accurate deſcribendam ſuſcepit, cui ſuperiora Menſis hujus excerpta debemus, Collega noſter perinduſtrius, Cl. *Heumannus*. Queritur enim in Præfatione, pleroſque, qui illam hiſtoriæ literariæ partem tractarint, nimis negligenter in hoc verſatos eſſe negotio. Horum

rum igitur hallucinationes ut evitet, longiſſima in Hiſtoriam Philoſophicam Introductione viam ſibi munit, & firma quaſi fundamenta ponit, quibus accuratam Philoſophiæ ac Philoſophorum hiſtoriam ſuperſtrui poſſe judicat Ceterum, quia per vices edere hanc Hiſtoriam conſtituit, ad prævertendum Lectoris faſtidium methodum ſequitur arbitrariam, ſingulosque faſciculos tres diſpeſcit in partes, quarum prima caput aliquod ex hiſtoria philoſophica, altera argumentum quodpiam ſpeciale eodem ſpectans, tertia unius alteriusve libri iſtam hiſtoriam tractantis recenſionem exhibet. Antea vero, quam ipſam aggrediatur hiſtoriam, prima quatuor priorum faſciculorum parte eam, quam modo memoravimus, ſiſtit *Introductionem*, ſeptem

p. 1-63. abſolutam capitibus. Ac *primum* quidem eſt *de hujus hiſtoriæ utilitate ſive fructibus:* quorum *alios* ait eſſe *generales*, nempe (1) evitationem turpium errorum: qua occaſione non levium errorum in hac hiſtoria a doctiſſimis viris commiſſorum exempla affert; (2) culturam judicii hiſtorici: qua occaſione aliquot exempla fabularum, adhuc in hac hiſtoria pro veritatibus receptarum, producit, e. g. de Hippocrate ad Democritum curandum ab Abderitis arceſſito, de convivio ſeptem Sapientum in aula Periandri, de Thaletis coemtione olearum, de Solone a Crœſo in pyra invocato, de dolio Diogenis Cynici; *alios* eſſe

p. 65-92. *ſpeciales*, quos ſigillatim recenſere vetat brevitas noſtra. *Secundum* Caput eſt de *Homonymia vocum σοφὸς & σοφία, Philoſophus & Philoſophia, itemque Sophiſta.* Hic non ſolum variæ horum nominum notiones exponuntur, & exemplis undiquaque petitis illuſtrantur, ſed etiam oſtenduntur errores, qui ex homonymiæ hujus neglectu in Hiſtoriam Philoſophicam irrepſerunt.

p. 314. Adjungenda eſt huic Capiti Diſſertatio de Synonymo Philoſo-

321. phiæ, quando ſcilicet vocatur *ſapientia ſecularis*, noſtra lingua die Welt-Weißheit. Docet Autor, hanc appellationem ab inimicis Philoſophiæ profectam eſſe, maxime a Patribus Eccleſiæ, miſſoque iſto nomine Græcum illud, quod & Romani receperint in civitatem, *Philoſophiæ* nomen patrio noſtro ſermone

p. 93. uſurpari debere exiſtimat. *Tertium* Caput eſt *de natura & com-*

103. *plexu Philoſophiæ.* In hoc & Philoſophiæ eſſentiam deſcribit,

& partes

& partes ejus ſex conſtituit, Logicam, Ethicam, Jurisprudentiam, Politicam, Phyſicam, Theologiam: docetque, philoſophiam, quanta quanta ſit, eſſe practicam. *Quarto* Capite ſiſtuntur *criteria ſive notæ falſæ & adulterinæ philoſophiæ.* Fal- P. 179-
ſam enim judicat Noſter (1) eam philoſophiam, quæ verſatur 236.
in rebus inutilibus; (2) quæ nititur autoritate humana: qua occaſione philoſophia eclectica commendatur ac defenditur; (3) quæ traditione nititur; (4) quæ ſociam habet ſuperſtitionem: quare omnis veterum barbarorum philoſophia rejicitur, ſimulque, quanta ſit inter veram religionem & philoſophiam concordia, quantaque rurſus inimicitia falſæ religionis erga philoſophiam, oſtenditur. Hac occaſione docetur, quomodo factum ſit, ut philoſophia radices ageret inter ethnicos, idque partim tribuitur formæ regiminis non monarchicæ in priſca Græcia, partim inde eveniſſe creditur, quod philoſophiæ operam dederint homines, qui non fuerint ſacerdotes. (5) quæ ſymbolis & ænigmatibus involvitur. Hinc & hieroglyphica Ægyptiorum & ſymbolica Pythagoræorum Philoſophia exploditur. (6) quæ docetur a magiſtro corruptiſſimis moribus prædito.
Quarto huic Capiti ſubjecit Autor Diſſertationem, qua partem 236-
aliquam philoſophiæ ſymbolicæ illuſtrat. Explicat ſcilicet 246.
Cabbaliſtarum quatuor mundos & decem Sephiroth eum in ſenſum, ut appareat, doctrinis illis nihil ſubeſſe ſolidi, ſed nugas eſſe & anilia deliramenta. Oſtendit enim, myſterium quatuor illorum mundorum explicandum eſſe ex hiſtoria creationis Moſaica: decem vero Sephiroth eſſe Meſſiani regni adumbrationem ex aliquot S. Scripturæ locis petitam: ac proinde indignatur, Theologos quosdam hinc eruere myſterium Trinitatis.
Quintum Caput eſt *de origine & progreſſu ſtudii philoſophici.* 248-
Sapientiæ ſimplicis originem refert Autor ad inopiam rerum, ob 321.
quas homines vulgo beati vocantur, vixque fieri poſſe putat, ut felicitas terreſtris & vera ſapientia in una ſede morentur. Simplicem hanc ſapientiam ait olim in gente Hebræorum exſtitiſſe, ceteris gentibus ſtultitiam ſectantibus, aliis ruſticam, aliis politicam, quam priore ſtultiorem eſſe judicat. Porro oſtendit, quomodo ſtultitia gentilium facta ſit erudita, obſtetricante (a) ne-

 ceſſita-

Digitized by Google

ceſſitate, unde geometria, aſtronomia, & medicina orta, (b) curioſitate, cujus & natura exponitur & efficacia exemplis illuſtratur, (c) ſuperſtitione, unde aſtrologia & ſimiles diſciplinæ profectæ. Hinc occaſionem datam eſſe putat origini philoſophiæ, & quidem in Græcia. Oſtendit enim, in Græcia, non barbaris in regionibus, primum ortam eſſe Philoſophiam, & Laertium idem docentem defendit. Diſſerit porro de progreſſu & augmentis Philoſophiæ in Græcia. Addit denique adjumenta ſtudii philoſophici & impedimenta. Illa ſunt (1) otium & vacuitas a curis ac ſollicitudine, (2) æmulatio, (3) copia librorum: hæc (1) tres vitioſi affectus primarii, (2) pædantiſmus, (3) ſuperſtitio. *Sextum* Caput agit *de ingenio Philoſophico.* Docet hic Autor, ordinarie nullum hominem ineptum eſſe ad ſapientiam, ſed ad eruditam ſapientiam, id eſt, philoſophiam non omnes ex æquo eſſe idoneos. Ingenia eſſe alia *paſſiva*, quæ traditas a majoribus doctrinas fideliter excipiant & mordicus retineant; alia *activa*, quæ ipſa veritatem inveſtigent. Poſteriora hæc rurſus vel ſpuria eſſe, ubi ſcilicet multum imaginativæ facultatis, parum judicii; vel vera, quæ judicio emineant. Hæc demum eſſe ingenia philoſophica, quæ rurſus vel primæ vel ſecundæ magnitudinis. Prioris generis ingeniis eos eſſe præditos, qui ab excelſis Philoſophis admoniti facile nuntium mittant erroribus inveteratis, veritatemque cupide amplectantur: poſterioris generis ingenia eſſe in iis, qui non exſpectantes magiſtrum *ignis* modo in intimos veritatis receſſus perrumpant. *Hæc* primi ordinis ingenia inde cognoſci, ſi (1) ſuperarint præjudicium religionis, (2) novas detexerint veritates, & quidem oppoſitas receptiſſimis opinionibus, (3) ad dubitandum de omnibus propendeant, nec vitio credulitatis laborent. Hac occaſione Autor quæſtionem illam excutit, an ingenia meliora propendeant ad hæreſin, item an deterioris ingenii homines ad orthodoxiam proni ſint. Ac ne deſiderentur exempla ingeniorum, paſſiva ingenia tribuit Scholaſticis & Pythagoræis; ingenia activa ſpuria Plotino, Porphyrio, Platoni, Bœhmio, Vanino: ingenia philoſophica vera ſecundæ magnitudinis Eraſmo, Melanchthoni, Bælio, Hobbeſio, Clerico, Grotio; primæ magnitudinis

p. 567-670.

Ari-

Ariſtoteli, Luthero, & Thomaſio. Ingenia dependere ab influxu ſiderum, negat. Etiam dogma de genio ſeculi & fatali ingeniorum circulatione ridet & exagitat. Obſervat, parentum ingeniis plerumque reſpondere ingenia liberorum, ſimulque ediſſerit, an ſpurii felicioribus polleant ingeniis, item an mulieres & caſtrati ad ſtudium philoſophiæ apti ſint. Ad aerem nos circumfluentem quod attinet, pro ejus natura ingenia quoque diverſa eſſe, ſibi perſuadet, ideoque judicium fert de ingeniis hominum calidiores frigidioresve regiones incolentium, ſpeciatim Germanorum, Batavorum, Anglorum, Gallorum, Hiſpanorum, Italorum: ubi & aliorum de diverſarum nationum ingeniis cogitata immiſcet & expendit. *Septimum* idque ultimum Introductionis caput eſt *de fide hiſtorica* eorum, qui de philoſophis eorumque doctrinis aliquid memoriæ prodiderunt. Initio hic probat Autor, etiam demonſtrationes dari in hiſtoria. Hinc perſequitur criteria hiſtoriæ veræ fideque dignæ, pariterque notas fabularum. Quo in argumento poſtquam uberius verſatus eſt, nævos attingit hiſtoriæ philoſophicæ, tum ratione perſonarum, tum reſpectu doctrinarum, tum librorum, qui iis tribuuntur, reſpectu. Adjicit methodum, quam in perſcribenda hiſtoria philoſophica ſit ſecuturus. Ea hæc eſt. Primo de perſonis Philoſophorum, quæ probari poſſunt, memorabit, fabulasque refellet. Deinde de vita moribusque Philoſophorum utiles proferet meditationes. Tum pari methodo tractabit doctrinas & apophthegmata Philoſophorum: ac potiſſimum Κυρίας cujusque philoſophi δόξας notabit expendetque. Denique ſucceſſionem ſcholarum, diſcipulos librosque Philoſphorum perſequetur. p. 381-460.

Introductione hac abſoluta ipſam philoſophicam hiſtoriam aggreſſus eſt, quam cum plerique omnes ab Hebræis primo cultam fuiſſe tradant, duobus capitibus *Hebræorum Philoſophiam* excutit. Ac *primo* quidem oſtenſum it, veteres Hebræos eorumque Patriarchas inde ab Adamo pios quidem prudentesque fuiſſe viros, at ſtudium philoſophicum haud excoluiſſe: præcipuas veritates ipſos non ingenio, ſed divinæ revelationi debuiſſe: omnes enim Patriarchas inde ab Adamo ad Joſephum 755-809.

Digitized by Google

uſque fuiſſe Prophetas ac Doctores Eccleſiæ: quare Adamum nomine Dei, non Deum ipſum, cum Caino de fratricidio locutum eſſe: quod argumentum copioſius ediſſeritur, Lutherique ſuffragio munitur. Ceterum cum ſcribendi ars philoſophiæ ſtudio egregie inſerviat, Autor pluribus in originem artis graphicæ inquirit, ac, poſtquam eos, qui ab Adamo, vel Setho, vel Henocho, vel Abrahamo, vel Moſe inventas, vel ab ipſomet Numine Adamo Moſive revelatas putant literas, refellit, contendit, ſcripturam inventam ab Ægyptiis eſſe eo temporis intervallo, quod inter Joſephum ac Moſem interceſſit.
p. 925-943. *Capite ſecundo* vulgarem de Hebræorum Philoſophia opinionem confutat, ejusque originem non unam detegit, ac ſpeciatim deinde, quæ ad Adami, Caini & Sethi Philoſophiam conſtabiliendam afferri ſolent, diſcutit & repudiat, reliqua hujus tractationis capita reſervans in faſciculum ſubſecuturum.

Pergimus ad ſpecialia argumenta paſſim interjecta. Of-
103-125. fendimus igitur hic *Apologiam pro Xantippe*, Socratis uxore: item
126-138. Diſſertationem *de Socratis forma corporis*, quæ vulgo deformis eſſe traditur. Noſter & originem vulgati erroris aperit, &, Socratem honeſta facie præditum fuiſſe, ex Arriano docet. Hinc
139-159. ſiſtitur *Vita Plotini*, ex Porphyrio deſcripta, ſed ita, ut oſtendatur, Porphyrium ex æmulatione erga Chriſtianos, more ceterorum illius ævi Platonicorum, liberaliſſime de Plotino ſuo mentitum eſſe. Adjicit Autor judicium ſuum de Plotino & Porphyrio, quorum utrumque ait fuiſſe minus acri præditum judicio, laboraſſe præjudicio autoritatis, credulitate, ſuperſtitione, vana mendacique jactantia, ad enthuſiaſmum pronos, adeoque
462-472. haud ſane magnos Philoſophos fuiſſe. Exhibetur etiam ſingularis *de partitione Hiſtoriæ philoſophicæ* Diſſertatio, in qua ſuas in *Introductione* deductas hypotheſes ſecutus nova ratione hanc hiſtoriam partitur, ſubjecta majoris lucis cauſa Tabula, quæ tamen ex p. 761 ſupplenda eſt. Singularis quoque hic exſtat
472-500. Diſſertatio *de illo oraculo, quod Socratem pronuntiavit ſapientiſſimum.* In ea veterum loca, quibus oraculum illud commemoratur, indicantur & expenduntur, tandemque concluditur, totam hanc hiſtoriam eſſe fictam. Porro cum rariora ſint ſcripta

Jor-

Jordani Bruni, hic recenſetur primo liber ejus *de monade, numero & figura*, additurque, eum fuiſſe hominem corruptæ imaginativæ, ac philoſophum cum ratione inſanientem; deinde octo ejusdem libri *de innumerabilibus, immenſo & infigurabili*, ex quibus ſingulares Bruni hypotheſes de immenſitate hujus univerſi, de innumerabilitate mundorum, & quæ ſunt reliquæ non minus mirabiles, eruuntur & paucis examinantur. Adjicitur ob doctrinæ affinitatem libri *de terris cœleſtibus* a *Chriſt. Hugenio* editi recenſio ea, quam Actis hiſce noſtris inſeruimus A. 1698 p. 448 ſqq. Præterea diſſeritur *de duobus numis*, quorum alter in Thaletis, alter in Pomponatii honorem cuſus eſt. Uterque explicatur, ac priorem recentiori factum ætate eſſe oſtenditur. Porro peculiari Diſſertatione, quam A. 1713 p. 458 ſqq. Actis hiſce noſtris inſeruerat Cl. Autor, fabula *de Hippocrate, Democriti inſaniæ medicinam adhibere juſſo*, ex hiſtoria veterum Philoſophorum eliminatur. Hinc *Platonica uxorum communio* ſub examen revocatur: ubi oſtendit Autor, Platonem omnino eam in rep. optima introductam voluiſſe, non quidem profano animo, ſed commiſſo in ratiocinando errore: Platonicos hujus ſententiæ puduiſſe, eosque proinde conatos eſſe variis rationibus, labem hanc magiſtro ſuo abſtergere. Sequitur Diſquiſitio *de ætate Potamonis Philoſophi*, qui vulgo Auguſti ævo floruiſſe creditur. At Noſter oſtendit, tertio poſt Chriſtum natum ſeculo, Imperatore Alexandro Severo, Alexandriæ eum floruiſſe. Exhibetur etiam *Catalogus ſcriptorum hiſtoriæ Pythagoricæ*, qui tantum nominantur indicato ſimul loco, anno & forma editionis: item *Catalogus ſcriptorum de Philoſophia Stoica*, in quo non ſemper ſoli librorum tituli recitantur, ſed paſſim ἐπικρίσεις admiſcentur. Singularis quoque hic obvia eſt Diſſertatio *de Æſopo & fabulis ejus*. Oſtenditur, nec Æſopum primum fabuloſi docendi generis autorem, nec earum fabularum, quæ nunc ſub ejus nomine circumferuntur, artificem eſſe: ac probabile redditur, nullum unquam extitiſſe Æſopum, ſed fictum eſſe hominem illum ex nomine אטף, quod Orientis linguis *Sapientem* ſignificet. Etiam *Jo. Lockii*, præſtantiſſimi philoſo-

p. 501-520.
869-908.
908-925.
520-523,
682-690.
670-681.
809-848.
848-868.
370-381,
752-754.
730-751.
944-972.

p. 972- loſophi, *Vita* digna Autori viſa eſt, quæ hic inſereretur ex V.C.
1031. Jo. Clerici Bibliotheca Selecta, adjectis nonnullis notulis.

Poſtremo quod attinet ad recenſiones librorum de hiſtoria philoſophica exſtantium, ſevera cum cenſura hic recen-
159-179. ſentur (1) *Jo. Jonſii libri IV de Scriptoribus Hiſtoriæ Philoſophicæ.* Præmiſſa Jonſii Vita ii laudantur, nec tamen eorum nævi tacentur, notato potiſſimum errore Jonſii de Archetimo primo hiſtoriæ philoſophicæ ſcriptore, quem errorem ex loco quodam
321-367. Laertii perperam intellecto emanaſſe oſtenditur. (2) *Diogenis Laertii Opus de vitis philoſophorum.* Differitur de ipſius perſona, ætate, ſtudiis non indiligenter, eumque Epicureæ diſciplinæ alumnum fuiſſe negatur. Hinc editio Meibomiana accurate recenſetur & expenditur, judiciumque de Diogene Laertio fer-
523-545. tur, allatis & aliorum de ipſo judiciis. (3) *Thomæ Stanleji Hiſtoria Philoſophiæ.* Præmiſſa notitia de perſona & ceteris ſcriptis Stanleji, ejus Hiſtoriæ editiones repræſentantur, maxime Oleariana, notatis tamen nævis laborioſiſſimi ceteroquin hujus
545-566. Operis. (4) *Thomæ Campanellæ Syntagma de libris propriis*, cui
690-720. non contemnendæ aliquot annotationes adjectæ ſunt. (5) *Jo. Launoji liber de varia Ariſtotelis fortuna in Academia Pariſienſi*, qui varie illuſtratur, ſimul vero oſtenditur, Launojum inimiciſſimum fuiſſe Philoſophiæ Ariſtotelicæ, adeoque non ſemper
720-724. candide egiſſe in hoc libro. (6) *Jo. Jac. Friſii Bibliotheca Phi-*
725-730. *loſophorum*, quem librum nullius frugis eſſe oſtenditur. (7) *Jo. Dav. Kæleri*, Profeſſoris Altorfini, biennio abhinc edita Diſſertatio *de pædantiſmo didactico Pythagoræ ratione ſilentii*, quæ
1032- laudatur. (8) *Nic. Hier. Gundlingii*, Profeſſoris Halenſis cele-
1039. berrimi, *Hiſtoria philoſophiæ moralis*, quæ mirifice commendatur ob detectos vulgi errores, addito voto, ut pergat Vir doctiſſimus ſuam Philoſophiæ moralis hiſtoriam, cujus pars prima tan-
1039- tum edita eſt, pertexere. (9) *Georgii Hornii Hiſtoriæ philoſophi-*
1061. *cæ libri ſeptem.* Hujus operis graviſſimi nævi notantur, quod ſcilicet refertum ſit digreſſionibus alieniſſimis, quod valde ſit imperfectum & perfunctoria opera congeſtum, nec ſplendido ſuo titulo reſpondeat, denique quod craſſisſimis ſcateat errori-
1061- bus. (10) *Petri Sylvani Regis Hiſtoria Philoſophiæ antiquæ & re-*
1069. *cen-*

centioris. Hæc licet compendioſa ſit, nec omnem hiſtoriam Philoſophiæ exhauriat, tamen inſigniter commendatur ob ſingulare autoris acumen.

Hæc ſunt primi hujus Tomi argumenta præcipua, quibus multa alia inſerta ſunt, quæ commemorare nobis ob ſtudium brevitatis non licet. Unum duntaxat atque alterum more noſtro delibabimus. *Pag. 33* & *p. 343 ſq.* proponitur atque exponitur diſtinctio inter hiſtoriam philoſophiæ & hiſtoriam philoſophicam. *P. 48 ſq.* explicatur ex philoſophia Stoica definitio Juſtinianea Juris naturæ, *quod natura omnia animalia docuerit. P. 178* docetur, Theano Pythagoricam primam omnium ſcripſiſſe librum de argumento hiſtoriam philoſophicam ſpectanti. *P. 210* oſtenditur, Collegium Roſianum, a Morhofio in cœlum usque laudibus elatum, eſſe merum figmentum. *P. 312* judicatur de primo libro Quæſtionum Alnetanarum Huetii, quod is pro ſcopo habeat, philoſophiam callide opprimere, cœcamque conciliare obedientiam religioni pontificiæ. *P. 418* oſtenditur, ſcepticiſmum hiſtoricum non lubricis niti fundamentis. *P. 443* docetur, qua occaſione Anaxagoræ tributa fuerit opinio de nigro nivis colore. *P. 499* fabuloſa pronunciatur relatio de Friderici Electoris Saxoniæ ſomnio, Lutheri reformationem antegreſſo. *P. 783* rejicitur vulgaris diviſio hominum antediluvianorum in Cainitas & Sethitas. *P. 940* origo artium œconomicarum divinæ tribuitur revelationi, non ingenio humano. Denique nec illud tacendum, paſſim hic veterum librorum loca vel emendata vel illuſtrata occurrere.

ABRAHAMI TGILDE, V. D. M. IN ZACHARIÆ Caput XIV Lucubrationes.

Dordraci, ex officina Matthæi de Vries, Typographi & Bibliopolæ, 1716, 4.

Alph. 1 plag. 15.

CAput Zachariæ XIV illuſtraturus Reverendus Autor in genere nonnulla præfatur de vaticiniorum ratione, & VII p. 2.
N. T. periodis, ratus, omnes divinorum vatum prædictiones Ec- 5.
cleſiæ N. T. promiſcue ac ſine temporum diſcrimine, pari modo

appli-

Digitized by Google

applicari non poſſe. Inveniri quippe plurima Vet. Teſt. ora-
cula, quæ hodie pro impletis, & præteritis, alia vero quæ adhuc
p. 6 pro implendis habenda ſint. Fata & res Eccleſiæ non ſemper eas-
dem fuiſſe. Neminem periodos negaturum eſſe pronunciat, niſi
ſit ex numero irriſorum. Fundamentum quippe eas habere in
Scriptura, & non tantum ſub ſeptem Sigillis & Tubis in Apocaly-
pſi repræſentari, ſed etiam columnis ſeptem in æde Sapientiæ col-
locatis, & a Salomone, Spiritus S. manuenſe, deſcriptis Prov. IX, 1,
ſignificari. Hujus enim Templi typo præfigurari arbitratur ædifi-
cationem, & conſummationem Eccleſiæ N. T. a Meſſia perficien-
dam. Harum periodorum diſpoſitionem non ex æquali tem-
9 porum dimenſione eliciendam, ſed illas a ſe invicem tunc di-
ſtinguendas eſſe, quando res nova luculenta fatorum immuta-
tione Eccleſiæ N. T. obveniat. Sæpe in Scripturis omnes pe-
riodos per multa capita concatenatas, plene deſcribi, e. g. Eſaiæ
LV usque ad LX. Nec raro in unico alicujus prophetiæ capite
contracte proponi. Tandem & hic obſervat Auctor, nullam
N. T. periodum, vel periodorum catenam introduci a Prophetis
Vet. Teſt. quin ſuam habeat occaſionem ex ſtatu populi Judai-
ci, ad quem vaticinatio dirigatur. Inde ad methodum tractan-
10 di verbum Propheticum progreſſus, ab interprete vaticiniorum
vult conſiderari voces, phraſes, & ritus, ad quos ſæpe alludatur,
nec non perſonam loquentem, connexionem & argumentum, ſi-
11 ve rem a Propheta propoſitam, loca parallela cum ipſa *divino-*
rum oraculorum impletione, quæ magnam *demonſtrationis* vim
habeat ad convincendos adverſarios, & ad animos piorum eri-
gendos confirmandosque. Quod ſi vero rei prædictio præſens Ec-
cleſiæ tempus excurrat, & ad ultimam Eccleſiæ gloriam ſub
ſeptima demum periodo futuram, pertineat, tunc loco imple-
menti prophetiæ *ἀπόδειξιν* ſubnectendam eſſe monet, qua de-
12 monſtretur, hoc vaticinium ad Eccleſiam quidem ſpectare, ſed
futuro demum tempore implendum eſſe. Præterea cum ab hi-
ſtoriæ profanæ cognitione magnum adjumentum expectari
13 poſſit, ſuadet Prophetarum interpreti Auctor, ut ſingulis perio-
dis ſuas hiſtorias proprias applicet, conficiatque ſibi catalogum
eorum ſcriptorum, qui in quavis periodo vixerunt. Unde va-
ticiniorum complementum facili negotio & erui & adſtrui, con-
fuſio-

Digitized by Google

fuſioque periodorum vitari queat. Quin & perſonarum in vaticinio loquentium affectus vult inveſtigari, qui diſci poſſint *partim* ex Accentuatione vel regulari vel irregulari, qua Spiritus S. ſententiam ſuam, tanquam ſui affectus indice, voluerit notari: *partim* ex peculiari orationis ſtructura, quando *Futura Præteritis*, & hæc *Futuris* in eadem ſententia ac verſu intermiſceantur. Quando enim Spiritus Dei *Futuris* immediate, & in eodem ſen- 15
tentiæ filo poſt *Præterita* utatur, id non ſimpliciter fieri putat, ut *Futura* illa a *Præteritis* ſuis regerentur, quæ communis Grammaticorum ſententia ſit, ſed peculiarem ἔμφασιν ſignificari. Spiritum S. nempe deſcribere velle perſonarum indolem, rei, quam agunt, aut agere inſigniuntur, mordicus adhærentem, nec non rerum excellentiam, ſive in bono ſive in malo ſenſu occurrentem, quod Autor additis exemplis uberius declarat. Sic
Pſalm. L v. 1, ubi præterito verbo דִּבֶּר futuri temporis vox 20
וַיִּקְרָא ſequitur, indicari opinatur, quod Deus in regno ſuo extendendo ita occupatus ſit futurus, ut conſtanter perſeverare velit, usque dum totam terram a Solis ortu ad ejus occaſum ſibi ſubjecerit. Sic *verſu 18, 19 & 20* ejusdem Pſalmi verba futuri
temporis וַתִּרֶץ *conſenſiſti* cum ipſo, & lingua tua תַּצְמִיד 21
concinnat fraudem, תֵּשֵׁב *conſides* in fratrem tuum, תְּדַבֵּר *loqueris*, & in filium matris tuæ תִּתֶּן *das* blasphemiam &c. poſt Præterita poſita ſignificare, Judæos refractarios hæc ſcelera cumulare, & palam ſine pudore committere. Eorum mentem 22
tanta malitia imbutam eſſe, ut ei mordicus inhæreat, in eaque, callo conſcientiæ quaſi inducto, perſeverare velint. Viciſſim quando Pſalm. CXIX v. 167 legitur, שָׁמְרָה *cuſtodivit* anima mea teſtimonia tua, וָאֹהֲבֵם & *dilexi ea*, nota futuri temporis indicari putat ἐμφατικῶς, Davidem in teſtimoniorum divinorum dilectione tam conſtanter perſeverare velle, ut nec blanditiis, nec minis, nec ipſa morte avelli poſſit. Eandem efficaciæ
rationem latere putat in illis Scripturæ dictis, ubi in eadem ſen- 25
tentiæ conſecutione cum mutuo rerum reſpectu *Futura* præ-

cedunt,

cedunt, & *Præterita* ſubſequuntur, Pſalm.XXXI,8, XLIX, 15, LXXXVII, 4, Zach, IX, 14. Accentus Hebraici Autori noſtro ſunt ſigna characteriſtica a Spiritu S. dictata, & vocibus addita, non tantum ad tonum vocum moderandum, ſed imprimis etiam ad deſignandum rerum efficaciam, & loquentium affectus, & ad diſtinguendam accurate ſententiæ prolatæ ſenſum. Quod Autor exemplis illuſtrat, commendans *Andr. Reinbeckii* libellum ad doctrinam de Accentibus Hebræorum rectius intelligendam, nec non *D. Philippi Ouſeel Introductionem* in Accentuationem Hebræorum metricam, Lugduni Batavorum 1713 in lucem editam. Hinc neceſſitatem ſcrutandi prophetias inculcat, & multiplicem earum uſum exponit. Ad ipſum Zachariæ Caput XIV, quod ſibi explicandum ſumſit, delatus, breviter ſtrictimque disquirit, de hujus vaticinii gravitate, argumento, tempore, occaſione, figurarum ratione, & titulo, quem ita vult formari atque capiti inſcribi: *Totius Eccleſiæ Chriſti ſeu Nov. Teſt. vindicatio, conſolatio & gloria per ſeptem periodos, ſibi invicem ſuccenturiantes, diſtincte promovendæ.* Specimina ex ipſo commentario non afferemus. Ex his enim facile intelligent lectores, quid ſibi de Autoris inſtituto & labore promittere queant.

ORIGINES ECCLESIASTICÆ. OR THE Antiquities of the Chriſtian Church.

i. e

ANTIQUITATES ECCLESIÆ CHRISTIANÆ. Volumen IV, in tres libros diviſum; Autore JOSEPHO BINGHAM, Rectore Headborna-Worthenſi.

Londini, apud R. Knaplock, 1715, 8.
Alphab. 1 plag. 6.

PRioribus tribus Voluminibus Autor doctiſſimus de variis ordinibus hominum, qui Chriſtianam olim Eccleſiam conſtituebant, de templis item vel locis cultus divini, & diverſis Eccleſiæ tractibus, novem libris egerat. Nunc ad publica ejuſdem officia & exercitia, quibus homines ad cœleſtem civitatem perducti

ſti ſunt, conſideranda pervenit. Quarto igitur hoc Volumine de inſtitutione, baptiſmo & confirmatione Catechumenorum tribus libris diſſerit. Lib. X, ubi de inſtitutione illorum & primo Symbolorum uſu, Cap. I reddita ratione, cur illi *κατηχέμε-* p. 1.
νοι, Novitioli, Tyrones Dei, Audientes dicti ſint, docet, quod homines impoſitione manuum, precibus & ſigno crucis Catechu- 3. ſq.
meni facti ſint. Dein, cum inquiſiviſſet, qua ætate in numerum 7.
illorum recepti ſint, & quamdiu in eo ſtatu permanſerint, recenſet, qua ratione gradatim in Chriſtianæ religionis capitibus inſti- 10.
tuti ſint, ſimul obſervans, quod præter libros quosdam Scriptu- 12.
ræ hiſtoricos & morales, Apocryphos etiam legendi facultatem habuerint, horumque præcipuus tum temporis uſus fuerit, ut præcepta morum Catechumenis inſtillarent. Cap. II de variis claſſibus vel gradibus Catechumenorum, gradualibus item exercitiis & diſciplinis cujuscunque ordinis agens, diſſentit ab illis, 16.
qui duos ſaltem Catechumenorum ordines conſtituunt. Ipſe 17.
autem cum Cardinale Bona quatuor claſſes ſtatuens, non quidem cum illo Audientes, Genu flectentes, Competentes & Electos ad numerum illum refert, ſed Competentes & Electos pro uno & eodem ordine habens, ἐξωθεμένες, ut vocari poſſe putat, i. e. privatim, antequam Eccleſiam intrandi poteſtatem habuerint, inſtitutos, reliquas claſſes anteceſſiſſe, ex Concil. Neocæſ. c. 5 probare conatur. *Poſtea Audientibus, Genuflectentibus,* 18 ſqq.
Competentibus & Electis repræſentatis, quomodo ultima claſſis nomina ad baptizandum dederit, & partim crebro examine, partim exorciſmo, impoſitione manuum, ſigno crucis & inſufflatione conjuncto, partim jejunio & confeſſione delictorum, partim Symbolo fidei, oratione Dominica, formula renunciandi Diabolo, & fœdus cum Chriſto ineundi, aliisque reſponſionibus in baptiſmo ſolemnibus, eidem præparata fuerit, ceterasque ceremonias, quibus Competentes dies aliquot ante baptiſmum capita obvelata habuerunt, aures eorundem, addita voce *Ephphata*, tactæ, & oculi luto illiti ſunt, enarrat. Quæ vero Baſnagius & alii de cereo ardente in manus Catechu- 34.
menorum tempore exorciſmi dato, Cypriani & Auguſtini verba quædam figurata pro literalibus accipientes, tradiderunt,

Digitized by Google

p. 37. rejicit, & contra alios ex Auguſtino Confeſſ. I, 11, & Concilio Carthag. III can. 3 oſtendit, Sacramentum Catechumenorum, cujus idem Auguſtinus de Peccator. merit. II, 26 mentionem facit, nihil aliud eſſe, quam parvam ſalis portionem, una cum
38. lacte & melle poſt baptiſmum illis datam. Quantum ad diſciplinam Catechumenorum, obſervat, Catechumenos in graviora peccata prolapſos ita punitos eſſe, ut de gradu ſuperiori ad inferiorem dejecti ſint, vel ad ſummum baptiſmus illorum ad ho-
41. ram mortis ſit prorogatus. Mortuos autem ante baptiſmum, propria culpa neglectum, non aliter quam aliorum criminum
42. reos vel αὐτόχειρας, ſine Chriſtianæ ſepulturæ ſolennibus ſepultos eſſe; ſed mitius tractatos, ſi caſus inopinatus & inevitabilis prohibuerit baptiſmum illorum, qui pie ſe ad illum præparave-
43 ſqq. rint. Et in ejuscemodi caſu veteres crediſſe, quod defectum baptiſmi vel martyrium, vel fides & vera converſio, vel vinculum unitatis Eccleſiæ, ad quam ex hæreticis quidam accedentes ante baptiſmum obierint, vel conſtans Euchariſtiæ uſus, cujus participes nonnulli, opinione, non re ipſa baptizati extiterint, ſupplere potuerit. Rem vero majoris difficultatis fuiſſe, ſi infantes ante baptiſmum mortui ſint; eaque de re varias Patrum
56 ſqq. opiniones adducit. Cap. III de origine, natura, & nominibus
67. antiquorum fidei Symbolorum differens, aſſentitur illis, qui nomen Symboli ex re militari ortum ſtatuunt. Nominibus etiam aliis, quibus idem canon & regula fidei, μάθημα, γράμμα & γραφὴ dicitur, explicatis, quæſtiones pertractat, an Symbolum
70. Apoſtolorum, quod dicitur, ab ipſis Apoſtolis profectum ſit:
75. an Apoſtoli compoſuerint Symbola quædam fidei, illisque uſi ſint in Catechumenorum inſtitutione, vel adminiſtratione ba-
76. ptiſmi: ſique uſi ſint, quinam articuli illis comprehenſi fuerint; ad primam quidem una cum aliis negative, ad ſecundam affirmative reſpondens, circa tertiam vero Grabio in Annotat. ad Bull. Judic. Eccleſ. Cathol. ſubſcribens. Cap. IV extat Col-
83. lectio variorum fidei Symbolorum, auctior quidem illa, quam Uſſerius de Symbolo Romano exhibuit. Nempe fragmenta Symboli ex Irenæo, Symbolum ex Origene, fragmenta Symbolorum ex Tertulliano & Cypriano, Symbola Gregorii Thau-

ma-

maturgi, Luciani Martyris, Apoſtolicarum Conſtitutionum, Hieroſolymitanum, Cæſareenſe, Alexandrinum, Antiochenum, Romanum, Aquilejenſe, Nicænum, Epiphanii, Nicænum in Concilio CPolitano a. 381 articulis quibusdam auctum, & Athanaſianum, interſperſis obſervationibus quibusdam, recenſet. Cap. V diſpicit de origine, natura, & rationibus diſciplinæ arcani, &
contra Pontificios, Schelſtratenum maxime, oſtendit, illam pri- p. 125.
ma Eccleſiæ ætate minus ſtricte obſervatam, ſed Tertulliani cir- 126.
citer tempore enatam eſſe. Neque vero juxta illam Catechume- 127.
nos cultum Sanctorum, Angelorum atque imaginum ignorare 129 ſqq.
debuiſſe, ſiquidem Tertullianus manifeſte illum rejecerit; ſed potius modum adminiſtrandi baptiſmum & ſacram unctionem, vel confirmationem, ordinationem ſacerdotum, Liturgiam publicam, vel preces Eccleſiæ ſolemnes, modum celebrandi Euchariſtiam, imo etiam, ſi primam Catechumenorum claſſem re-
ſpicias, myſterium Trinitatis, Symbolum, & Orationem Domi- 138.
nicam. Cujus diſciplinæ cauſas porro Noſter allegat. Libro *Undecimo* ritus in adminiſtratione baptiſmi olim obſervatos ob
oculos ponens, Cap. I nomina baptiſmo a Patribus tributa, quæ 143.
ſunt indulgentia vel abſolutio & remiſſio peccatorum, *παλιγγενεσία*, *χρίσμα*, *φωτισμὸς*, ſalus, myſterium, ſacramentum, *σφραγὶς*, character Dominicus, ſacramentum fidei & pœnitentiæ, tinctio, lavacrum regenerationis, magna circumciſio, *δῶρον*, *χάρισμα κυρίου*, *ἐφόδιον*, *φυλακτήριον*, *τελείωσις* & *τελετὴ*, *μύησις* & *μυσταγωγία*, diligenter explanat. Cap. II loquitur de ma-
teria baptiſmi, & hæreticis, qui rejecerunt, vel corruperunt illum, 159.
Aſcodrutis, Marcoſianis, Valentinianis, Quintillianis, Archon-
ticis, Seleucianis & Hermianis, Manichæis & Paulicianis, eaque 164.
occaſione Voſſium notat, Euthymium de Paulicianis perperam intelligentem; docens, hunc nihil aliud innuere, quam
quod Pauliciani fidem in Chriſtum ſufficientem eſſe baptiſmum 166.
crediderint. Meſſalianos vero vel Euchitas, quos pariter non-
nulli iis accenſent, qui baptiſmum rejecerunt, ſaltem præcipu- 171.
am partem ſpiritualis efficaciæ ejus negaſſe, oſtendit. Cap. III de antiqua forma baptiſmi, & hæreticis præcipue, qui mutarunt vel corruperunt illam, Tritheiſtis, Priſcillianiſtis, Menandro

ejusque aſſeclis, Elceſeanis, Montaniſtis, Sabellianis, Marcoſianis,
p. 188. Paulianiſtis, Eunomianis, ibique Baronium & alios aſſerentes, quod Ariani in genere ejusdem cum Eunomianis innovationis formæ baptizandi rei fuerint, ex male intellectis Athanaſii & Hieronymi locis falli, declarat. Nunc de perſonis, per quos baptiſmus olim adminiſtratus eſt, in medium quædam adducere debuiſſet, ſed cum de iis in prima & ſecunda parte Hiſtoriæ Scholaſticæ Baptiſmi Laicorum, Londini A. 1712 & 1714 Anglice
192. pariter editis, abunde egerit, Cap. IV ſummatim tantum non-
194. nullis inde repetitis, ſtatim ad ſubjectum Baptiſmi ſe convertit. Hic autem nonnullis de ritu campanas baptizandi Pontificiis re-
195. cepto, antiquiori autem ætate ignorato, præmiſſis, tam mortuorum, quam vivorum pro mortuis baptiſmum, infirmis & hæreticis quibusdam uſitatum, orthodoxam olim Eccleſiam rejeciſſe
201 ſqq. demonſtrat, & Pædobaptiſmum ex Clemente Romano, Herma Paſtore, Juſtino Martyre, Autore Recognitionum, quem cum Juſtino Martyre coævum putat, Irenæo, Tertulliano, Origene, Cypriano & Concilio Carthaginenſi probat, atque inde ſimul
208 ſqq. Salmaſii & Suiceri aſſerta confutat, quod doctrina de neceſſitate Baptiſmi ad ſalutem non doctrina priorum duorum ſeculorum fuerit, ſed poſtea introducta, eoque Pædobaptiſmus fun-
217. datus. Alia quoque adducit, quæ ad Pædobaptiſmum referri poſſunt: nempe, quod Cyprianus & Concilium Carthaginenſe illis ſeſe oppoſuerint, qui illum usque ad diem octavum diſtule-
218 rint: quod Gregorius Nazianzenus ſtatuerit, *baptiſmum extra caſum neceſſitatis usque ad tertium ætatis annum differendum*
219. *eſſe*; & in quibusdam Eccleſiis baptiſmus infantum æque ac adultorum, extra præſens mortis periculum, usque ad Paſcha-
221 ſqq. tos feſtum prorogatus fuerit. Et tandem de Quæſtionibus illis, an infantes, quorum alter ſaltem parens Chriſtianus ſit, vel excommunicatorum parentum infantes, vel liberi expoſiti, quorum parentes ignoti ſint, vel Judæorum & paganorum infantes, vel qui nati ſint Parentibus adhuc gentilibus, baptizari poſſint,
228. veteres affirmativam ſententiam tuliſſe, memorat. Cap. V Adultorum baptiſmum perſequens, quinam admiſſi ſint ad illum, quinam minus, paulo diſtinctius, quam alii, qui ex inſtituto

de

de Baptiſmo ſcripſerunt, refert, & peculiarem Marcionitarum,
omnes matrimonio junctos baptiſmo arcentium, errorem notat. P. 253.
Cap. VI Tempori & Loco baptiſmi, & Cap. VII Renunciationi
& Profeſſioni immediate ante baptiſmum factæ immoratur;
atque in poſteriori quidem evincit, tria ab omnibus baptizandis 278.
requiſita eſſe, (1) ut renunciarent Diabolo; cujus etiam renun-
ciationis formulam adducit, quæ ejus vis fuerit exponit, de an- 279 ſqq.
tiquitate ejusdem renunciationis agit, eamque nudo corpore
vultu ad occidentem verſo, manibus protenſis & aliquando et-
iam colliſis, ſputoque emiſſo, ter repetitam fieri debuiſſe, docet.
(2) Ut in orientem verſi obedientiæ fœdus inirent cum Jeſu 286 ſqq.
Chriſto. (3.) Ut verbis Symboli uſitatis fidei profeſſionem 291 ſqq.
ederent, eamque publice & modo maxime ſolemni, manibus
& oculis ad cœlum ſublatis factam, & non minus ter repetitam
eſſe, obſervat. Imo obſervat etiam, veſtigia apud nonnullos 298.
occurrere, unde appareat, quod, qui fidei profeſſionem fecerit,
in libris Eccleſiæ propria, ſi valuerit, manu nomen dederit.
Publica vero & particulari peccatorum confeſſione in baptiſmo 303
minime opus fuiſſe, ex Chryſoſtomo tuetur. Cap. VIII de 305.
Sponſoribus in baptiſmo, quorum alii pro infantibus, alii pro
adultis, qui morbo vel alia imbecillitate pro ſemet ipſis reſpon-
dere non poterant, reſpondebant, alii reliquos adultos monitis & 319.
præceptis ſuis ante & poſt baptiſmum imbuebant, notatu
digna profert, ibidemque praxin Romanæ Eccleſiæ, qua
ſponſores cum illis matrimonium inire prohibentur, cum quibus
ſpiritualis cognatio ipſis intercedit, ex Lege Juſtiniani Cod.
Lib. V Tit. 4 de Nuptiis Leg. 26 ortum traxiſſe conjicit. Cap.
IX de Unctione in baptiſmo, ejusque origine, differentia a chri- 322.
ſmate in confirmatione adhibito, & ſcopo, ſigno item crucis
non ſolum in admiſſione Catechumenorum, & tempore Exor-
ciſmi, ſed etiam in unctione illa ante baptiſmum, & in con-
firmatione adhibito; Cap. X de Aqua precibus ad baptiſmum 332.
conſecrata, & eodem modo quoad qualitates mutari credita,
quo panis & vinum in Sacramento Cœnæ; & cap. XI de variis 344.
baptizandi modis, immerſione, trina immerſione & in bapti-
ſmo Clinicorum aſperſione factis, commentatur. Liber *Du-*

odeci-

Digitized by Google

decimus Confirmationi aliiſque ceremoniis baptiſmum inſecutis, antequam homines Euchariſtiæ facti fuerint participes,
p. 365. deſtinatus eſt. Cap. I de Tempore, quo confirmatio peracta, & perſonis, ad quos ſpectavit, inſcripto, tradit, quod illa,
366. præſente Epiſcopo, ſtatim poſt baptiſmum facta, abſente au-
367. tem illo uſque ad adventum ejus procraſtinata ſit; neque ſolum
368. ſi adultos, ſed etiam, ſi infantes ſpectemus. Hoc enim tam ex veterum teſtimoniis, quam ex eo evincit, quod infantibus etiam Euchariſtiam dederint. Indeque porro deducit, quod confirmatio non pro Sacramento a baptiſmo diſtincto habita ſit. Cap. II Miniſtros confirmationis delineat. Cap. III de modo adminiſtrandi illam, & ceremoniis in celebratione ejus ſolemnibus, unctione nimirum chriſmatis, ſigno crucis, impoſitione manuum additis precibus facta, earundemque origine & forma, de neceſſitate item confirmationis veteribus credita, & pœna illorum, qui eam neglexerint; Cap. IV de reſiduis baptiſmi ceremoniis confirmationem inſecutis, & Cap. V tandem de Legibus contra iterationem baptiſmi in Eccleſia & Rep. latis, commentatur. Ex his vero luculenter apparet, quod doctiſſimus Binghamus longe plenius de Catechumenis ſcripſerit, quam Tobias Pfannerus, qui pariter ex inſtituto de illis egit; & nihil plane omiſerit, quod ad illos referri poſſit. Nosque nulli dubitamus, quin harum literarum amantes in votis habituri ſint, ut idem Antiquitates Eccleſiaſticas eodem *ordine*, eademque diligentia explicare pergat.

DUCTUS LACRYMALES NOVI EORUMQUE Anatome, Uſus, Morbi, & Curationes, Diſſertatio Epiſtolaris ad illuſtriſſimum Virum, Collegam amiciſſimum, JOSEPHUM LANZONI &c. conſcripta a JOHANNE BAPTISTA BIANCHI.

Auguſtæ Taurinorum, apud Joannem Franciſcum Maireſſe & Joannem Radix, 1715, 4.

Plag. 7 Figur. Tab. 1.

Quo

QUo Autor nobiliſſimus in ductus eos lacrymales, lacrymalem qui lympham ab oculis ad nares devehunt, in multis cadaveribus curioſius inquireret, occaſionem controverſiæ dederunt inter Gallos atque Italos circa illos non ita pridem motæ ac in Literatorum Diarii, quod Venetiis in lucem editur, Tom. XVII Articulo XV p. 417 & 443 indigitatæ, poſtquam Dominicus Anel, Chirurgus Gallus, Obſervationem ſingularem de Fiſtula lacrymali, hanc adminiculo duarum Operationum recens a ſe inventarum curandi, Genuæ A. 1713. idiomate Gallico evulgaſſet. Quamvis enim tales canales nec Veteres, nec Recentiores latuerint, atque poſtremos inter a Morgagni Adverſar. Anatom. Tab. 4 Fig. 1 & Verheyen Anatom. Edit. 2 Tab. 28 Fig. 9 Figuris etiam adumbrati fuerint, quia naturalem tamen ipſorum habitudinem Noſter primus exactius obſervaverit, ſpecioſo novorum ductuum lacrymalium titulo eoſdem inſignire nullus dubitavit, dum in præſenti Diſſertatione epiſtolari dictorum ductuum veriorem primum Anatomen, deinde Uſum, ac denique Morbos & Operationes hiſce convenientes, exhibet. In parte nempe prima quemadmodum vivam ejusmodi partium lacrymalium imaginem, cum verbis, tum Figuris a nobis in Tabula IV transſcriptis, triplici repræſentat ratione, prout illæ vel juxta oculum, tam extra, quam intra canalem oſſeum ſitum obtineant & cum aliis partibus cohæreant, vel a capite penitus ſeparatæ ac apertæ exiſtant, vel in capite denique reſupinato ſeu inverſo appareant, ita ex omnibus ea hic loci cumprimis annotare juvabit, quæ nova videntur non modo nomina, ſed & obſervata. Ad nova quippe ſpectat nomina, quando Autor duos ductus lacrymales, qui prope internum oculorum canthum a punctis palpebrarum lacrymalibus incipiunt ac nonnullis cornua limacum audiunt, laterales vocat, concurſum autem horum ſpeciatim ſaccum, & reliquum canalis, ſub inferioribus oſſibus ſpongioſis ſive turbinatis intra nares hiantis, ductum longitudinalem ſalutat, roſtri ſacci voce internam hujus prominentiam majorem intelligens. Inter nova vero anatomica Noſtri obſervata referri merentur: annulus cartilagineus punctorum lacrymalium, frænum palpebrarum oculi cum ſuis productionibus, ſacci lacrymalis duo

anguli, ſuperior & major alter, alter inferior & minor, æqualis tum ſacci & ductuum lateralium, tum ductus longitudinalis & antri naſalis, longitudo, ligamentula ſaccum cum ſubtenſis oſſibus nectentia, a perioſtio provenientia & ſacco vaginam ſimul tendineam concedentia, ductus lacrymalis longitudinalis a perpendiculo verſus poſteriora notabiliter declinans ac inæqualis capacitatis, dum latior a ſacci angulis deſcendit, mox gracileſcit & demum rurſus in pelvis modum ampliatur. Neque ab alio quam a Noſtro annotatum legitur, quod cuncti ductus iſti ex capite exemti atque inciſi ob retia vaſcularia exquiſite interius rubeſcant, ſaccusque & longitudinalis ductus fibris quidem muſcularibus notabiliter gaudeant, ſaccus tamen peculiari ulterius ſubſtantia ſpongioſo - glanduloſa præditus ob eminentias plures minores & unam majorem vix ſenſibilem cavitatem obtineat, ductus autem longitudinalis expanſioni pelviformi, qua intra naſi cavum patet, valvula quædam tenuis ſemilunaris præponatur, nec canalem occludens, nec variorum a naribus ad oculum tranſitum arcens, niſi major aliquando extiterit. Quoniam nihilominus caruncula, lacrymalis dicta, in duabus prioribus Figuris aliquanto longior delineatur, ac inſuper cum Galeno pro peculiari carne venditatur, quæ in dorſo ſaltem quam plurimos acinos glanduloſos gerat, microſcopio quidem luſtrandos, ſed omnibus oſculis excretoriis deſtitutos, percommodum viſum fuit in Lectoris gratiam ex celeberrimi Ruyſchii Theſauri Anatomici Secundi Tabula prima mutuari ſimul Figuram Tertiam, hancque propter dictæ carunculæ, ſive glandulæ potius lacrymalis, cum figuram naturalem, tum oſcula varia, per quæ ex illa compreſſa humor exſtillat, loco Figuræ 4 reliquis adjungere. Sed relicta canalium iſtorum, lacrymas ab oculis ad nares transportantium, nova conſignatione anatomica, ad uſus eorum deveniamus, quos Autor ex ipſorum ſitu atque ſtructura in Parte altera eruit. Quod lacrymæ namque poſt variarum oculi partium lubricationem ad internum deriventur angulum, hujus nunc declivitati in dormientibus, nunc aſſiduis ciliorum ictibus in vigilantibus adjudicatur, uberiori lacrymarum per hyemem proventu ac ſeroſarum tunc in pluribus guttularum turpi

pi

pi ad naſum propendentia, ex ſolenni earum evaporatione impedita emergentibus. Ne autem humor oculum irrigans nimis cito ad nares deſcenderet, emiſſarium oculi haud immediatè ad fundum anguli interni, ſed ad aliquam diſtantiam locari aſſeritur, duo videlicet puncta lacrymalia, lacrymale fluidum ad utramque palpebram per carunculam lacrymalem ab angulo repulſum excipientia, in quantum carunculæ hujus uſus primarius perhibeatur, laticem ad internum angulum appulſum ad diſſita nonnihil puncta lacrymalia per corpulentiam æque ſuam ac figuram retorquere, premere ac dirigere. Quicquid vero lymphæ lacrymalis poſt perennes ciliorum ictus, tanquam lacrymarum ſyſtolen, per duo puncta lacrymalia ad ductus laterales & hinc ad ſaccum deducitur, utrobique in curſu ſuo multum retardatur, ibi quidem a ductuum lateralium, præcipue inferioris, ſitu parum inclinato, hic autem a ſacci & ſitu horizontali & infarctu interno, ut reliquum denique lacrymarum, non adeo copioſe ſecernendarum, poſt itus & reditus repetitos eadem porro ratione ſequi ac paulatim ad nares excerni queat. Ac etſi liquida in ſaccum introducta partim a fibrarum muſcularium corrugatione, partim a ſingulis palpebrarum ictibus ratione harum appendicum impellantur, ſufflaminantur tamen ulterius a ſacci & ductus longitudinalis anguloſitatibus deſcriptis, nec non ab hujus ductus longitudinalis anguſtia media & notabili ad fauces obliquitate, defluentes ſimul lacrymas verſus fauces magis, quam externas nares, diſponente. Suo demum in naſum introitu longitudinalis ductus in pelvim indigitatam dilatatur, ne lacrymalis ſuccus cum narium muco commixtus obſtructiones poſt ſe ibi relinquat, prout valvula pariter ejus cavo inſidens tam mucum ejuſmodi, quam volatiliorum odoriferorum ad oculum adſcenſum videatur arcere. Ut reliqua, quæ de lacrymis, ſpecilli per nares in ductum longitudinalem ad ſaccum usque intruſione, oſſium turbinatorum ac muci naſalis uſibus adduntur, ſicco nunc pede prætereamus, quod ex parte ultima morbi viarum iſtarum lacrymalium una cum appropriatis operationibus ſuperſint luſtrandi. Morbi ſiquidem ductuum lacrymalium deſcriptorum licet in genere a vitio vel eorum organico, vel fluidi ipſius tranſeuntis, enaſci ſoleant, in ſpecie ni-

hilominus ſacci & ductus longitudinalis morbi principales ad duo primaria genera, obſtructionem videlicet ſimplicem & fiſtularem, reducuntur eorumque remedia chirurgica ſubjunguntur. Simplex lacrymalium obſtructio, a lacrymis viſcidioribus ac coagulatis inducta, nuncupatur, quando in obſtructis hisce partibus eroſio, ruptura & callus deficiunt, tumor tamen aut in ſacco, aut in longitudinali ductu, aut in utroque, adeſſe valet, humorque lacrymalis per puncta lacrymalia regurgitare, perſæpe ichoroſus aliterve a ſtatu naturali deſciſcens. Sedem huic frequentiorem dum ſaccus ob horizontalem præcipue ſituationem & aliquando ſimul ductus longitudinalis ratione notabilis ejus ad introitum in vaginam oſſeam anguſtiæ præbent, erroris merito arguuntur, quotquot hactenus obſtructiones ad hujus poſtremi terminum in ſpatia naſalia ſtabiliverunt. Quoties autem obſtructio ſimplex in ductuum lateralium progreſſu aut ſacci tantummodo gremio hæreat, congrua ſubtiliſſimorum ſpecillorum introductio æque cenſetur ac detergentis liquoris per exiles ſiphunculos injectio repetita, cujus utriusque tamen uſum ductus longitudinalis obſtructio eo minus admitteret, quo magis ſacci angulus & ſpecilli flexilis per punctum lacrymale alterutrum, potiſſimum ſuperius, immiſſi progreſſum, & fluidi per idem punctum injecti impetum ſiſteret. Qua occaſione ante quam plurimos annos Johannes Baptiſta Fontanus, Johannes Fontanus, Franciſcus Angleſius, Antonius Reyna, Albertus & Andreas Verna, Auguſtæ Taurinorum in affectibus ejusmodi apta ſpecilla prudenter ac feliciter *introduxiſſe* a Noſtro celebrantur, qui in medio relinquit, annon Veteribus etiam, tum ſpecilla, tum injectiones in ductuum lacrymalium morbis adhibendi methodus innotuerit, quam ex Recentioribus ſuperius laudatus Dominicus Anel, ab Autore ne nominatus quidem, ſibi vindicare fuit anniſus. E diverſo obſtructio compoſita, ſive fiſtula lacrymalis vocatur, ſi cum calloſo ulcere, lato ventre, orisque anguſtis ſacci lacrymalis & appenſorum ductuum ſimplex obſtructio combinetur, a lympha lacrymali ſtagnante una acriori & rodente progenita. Cujus ſicuti variæ enumerantur ſpecies, aliæ cum, aliæ ſine tumore, aliæ exterius apertæ, aliæ non apertæ, aliæ cum oſſium contiguorum læſione, aliæ

non

Digitized by Google

Digitized by Google

16 M.Oct. pag. 485.



Digitized by Google

non, in ſacco aliæ, aliæ in ductu longitudinali, aliæ in utroque, ita ante omnia ſpecillorum & injectionum uſus, veluti calloſitatem tollendi impotens, in fiſtulæ lacrymalis medela reſpuitur, injectiones vero balſamicæ ac temperantes non niſi in ſimplici ductuum lacrymalium excoriatione ac quibusdam caſibus inter obſtructionem ſimplicem & fiſtuloſam mediis laudantur, hinc genuina fiſtularum curatio in competenti per ferrum, aut cauſticum, aut præſidium inſenſibiliter dilatans, apertione conſtituitur, ac tandem fiſtulæ, nunc cum, nunc ſine oſſium læſione, remedia appropriata præſcribuntur.

Ceterum dolemus, Hiſtoriæ Hepaticæ, quam in Actis A. 1712 Menſe Majo p. 212 recenſuimus, Partem tertiam practicam ab Autore ſub calcem Diſſertationis præſentis promiſſam in altera ejus Editione hocce anno Auguſtæ pariter Taurinorum evulgata nondum comparuiſſe: quamobrem vitam vireſque ſufficientes ipſi apprecamur, ut tam iſtam, quam Hiſtoriam ſuam naturalem humani corporis in ſtatu ſanitatis ac morbi, per plures tomos diſtributam, cum publico communicare valeat.

Figurarum Tabulæ IV Explicatio.

Figura I exhibet vaſa omnia lacrymalia dextra ab oculo ad nares in ſtatu & menſura naturali.

TAB. IV. Fig. I.

a. Caruncula, *lacrymalis* dicta, per abſciſſos nexus ſuos laterales varios, aliquantulum ultra poſitionem ordinariam elongata.

bb. Puncta lacrymalia ſeu orificia ductuum lacrymalium lateralium.

cc. Ductus hujusmodi laterales, non inſulſe ab aliquibus *Cornua Limacum*, nuncupati; disjuncti ceterum ſtudioſe a tunicis palpebrarum, quibus immergebantur, hinc elevati, & in tota eorum habitudine patuli facti.

d. Concurſus horum ductuum, ſeu ſaccus lacrymalis, a ligamentis palpebrarum denudatus, cujus extenſio eandem ſervat, ut ductus laterales laudati, longitudinis menſuram.

e. Angulus ejusdem ſacci ſuperior & major ex recto ad acutum vergens, nec non ejusdem aſſidentia & connexio cum oſſibus, *ungue* & *maxillari*.

f. Ejus-

Digitized by Google

f. Ejusdem ſacci ad naſum canalicularis productio, quem ductum Autor longitudinalem nuncupat.

g. Ductus longitudinalis ampliatio pelviformis ante ejus ingreſſum in lacunas narium.

m. Appenſa intus valvula ad ejusdem ductus ingreſſum & inſertionem in labyrinthos narium per tunicæ

i. dictos labyrinthos inveſtientis tenuitatem foras transparens, cujus etiam tenuitatis favore transparet acus, ab extimo naſo usque ad valvulam ſeu ductus longitudinalis terminum directe producta.

k. Cavitas naſalis.

l. Ejusdem cavitatis progreſſus verſus extimum naſum.

m. Ejusdem progreſſus verſus fauces.

n. Proceſſus lateralis anterior oſſis tertii paris maxillæ confractus, ut conſpici abunde queat jacentis in ejusdem gremio ductus longitudinalis productio.

o. Osmet ipſum tertii paris maxillæ ſub orbita, ob eandem etiam cauſam confractum.

p. Portio oſſis *Unguis* & proceſſus anterioris tertii paris oſſium maxillæ ſuperioris adhuc in ſitu, ut ſuper eandem conſpici poſſint

qqq. Ligamentula ſaccum eique appenſum longitudinalem ductum ad dictorum oſſium accubitum nectentia.

r. Angulus inferior ſacci, quem etiam minorem vocamus reſpectu ad ſuperius deſcriptum majorem.

Figura 2. ſiſtit vaſa eadem dextra ab oculo ad nares aperta, & cum veſte membranoſa antri majoris naſalis e capite integre ſeparata, ut amplius horum omnium habitudo eluceſcat.

TAB. IV. Fig 2.

a. Caruncula lacrymalis, æqualiter ac in prima Figura diſpoſita.

bb. Puncta lacrymalia, ſeu oſcula ductuum lacrymalium lateralium per longitudinem aperta.

cc. Ductus hujusmodi laterales & in longum aperti.

d. Saccus pariter apertus.

e. Angulus ſuperior ejusdem ſacci, ut in Fig. 1, ſed hic apertus & ab oſſium connexione diductus.

f. Du-

f. Ductus longitudinalis apertus.
g. Ejusdem ductus ampliatio pelviformis aperta.
h. Valvula, per ductus apertionem in ſitu ſuo ſatis conſpicua.
ii. Tunica naſalis, introitum & ampliationem ductus longitudinalis ſuccingens, pariter aperta & utrinque revoluta, ut introſpici poſſit cavitas,
k. quæ primo intuitu diſtincta apparet ab antro majori & intimiori narium, per interpoſitionem oſſis turbinati inferioris p. dum ceterum una eſt & continua cum eodem antro majori n n. ab l. & m. comprehenſa.
l. igitur extremitas eſt ejusdem cavitatis naſalis majoris, ad extremas nares protenſa.
m. Extremitas ejusdem cavitatis ad fauces.
n n. Comprehenſa ab hisce terminis cavitas, ſeu antrum magnum narium, ab extimo naſo usque ad fauces per eandem longitudinis menſuram, quæ a ſummitate anguli ſacci usque ad imum hujus antri comprehenditur, protenſum.
o o. Exquiſita ejusdem antri horizontalis ſituatio & productio a naribus ad fauces, utrisque palati oſſibus accumbens.
p. Os turbinatum inferius, propria interpoſitione, ut ſupra cavitatem ex pelvi ductus longitudinalis ulterius ampliata productum ab antro narium majori apparenter diſcriminans.
q. Portio palpebræ ſuperioris.
r. Portio palpebræ inferioris.
ſ. Tuberoſitas carneo-glanduloſa, inſtrata per longitudinem ſacci, denſoque agmine granulorum, per intimam totam ſacci faciem diſperſorum, circumdata.
t. Angulus inferior ſacci.
u. Baſis cavitatum naſalium ſuper oſſa palati laudata.

Figura 3. exhibet reſupinatum Caput ſive vertici incumbens, ejusque ideo baſin ſuperius obviam, ac baſes cavitatum naſalium denudatas penitus ab oſſibus utrisque palati, easdem fulcientibus, ut uno intuitu ima pars & habitudo inſertionis ductus longitudinalis cum antro naſali, ejusque inſuper correſpondentia cum naſo externo & faucibus conſpici facile queant.

a. Cavi-

Digitized by Google

TAB. IV. Fig. 3.

a. Cavitas naſalis per interpoſitionem oſſis inferioris turbinati leviter, ſeu tantum quoad partem ſuperiorem ſuam ſequeſtrata a majori antro naſali, ut ideo reſpectu ad hoc antrum tanquam antrum aliquod laterale primo aſpectu compareat.

b. Locus in hac cavitate, ubi ſeſe inſertum vadit pelvis ductus lacrymalis longitudinalis.

c c. Majus ſeu intimius antrum naſale.

d d. Os itaque turbinatum inferius per intertextam ſuam partem antri naſalis ſuperius poſitam in duas quaſi cavitates diſcriminans, quæ tamen, ceſſante ad imum interpoſiti hujus oſſis corpore, in unam coaleſcunt.

e. Membrana baſin totius antri naſalis dextri ſupra oſſa palati conſtituens, ad partem hanc dextram aperta & extrorſum explicata, ut pateat laudata cavitas naſi cum oſſis turbinati interventu.

f. Membrana antrum naſale ſiniſtrum inferius etiam inveſtiens, ejusque ideo baſin non minus conſtituens, a ſitu ſuo non adhuc dimota, ſicque hoc antrum abſcondens.

g. Baſis oſſis vomeris, quod propria interpoſitione, una cum ſepto narium ſuperius eidem connexo, cavitatem naſalem integram in binas exacte cavitates, ſeu dextram & ſiniſtram memoratas ſequeſtrat.

. Portio ductus longitudinalis ſiniſtri, diducti a ſitu ſuo, licet adhuc cum tunica antrum ejusdem lateris ſuccingente & obvelante implicati.

i. Portio ductus longitudinalis dextri extra ſitum ſeu inferius inflexi, ut ejusdem inſertio b. in cavitatem diſcriptam a. poni melius ob oculos & dilucidari queat.

k. Concurſus anterior ambarum cavitatum antri dextri narium, ex oſſis turbinati interpoſitione apparenter diviſarum, earumque ideo uniformis progreſſio ad

l. narium dextram, ob inſpectionis claritatem, apertam & diviſam.

m. Concurſus poſterior earundem cavitatum, earumque ideo uniformis progreſſio ad

n. faucium cavitates.

o. Eminentia, producta ex ima parte proceſſus lateralis oſſis pomuli, & ſuperſtite adhuc portione ſecundi proceſſus oſſis tertii paris, relicta adhuc in ſitu ad majorem figuræ claritatem & laudatæ revolutæ membranæ e. ſuſtentationem.

p. Narium ſiniſtra in ſitu, ſeu non aperta, nec diviſa.

Figura 4. ex Ruyſchii Theſauri Anatomici Secundi Tabula prima deſumta, genuinæ palpebræ portiones potiores ex homine ſiſtens.

TAB. IV. Fig. 4.

A. Cilia.

BB. Oſcula ductuum, per quos humor quidam excernitur.

C. Puncta lacrymalia.

D. Glandula lacrymalis, in qua varia foramina ſeu oſcula hiantia cernuntur.

* *   * *   * *
*   *   *

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Novembris, Anno MDCCXVI.

AN EXPOSITION OF THE HISTORICAL BOOKS of the New Teſtament &c.

EXPOSITIO LIBRORUM HISTORICORUM Novi Teſtamenti, ſcilicet Evangeliorum Matthæi, Marci, Lucæ & Joannis, nec non Actorum Apoſtolicorum, cum obſervationibus practicis; Autore MATTHÆO HENRY, V. D. M.

Londini, apud M. Laurentium & reliquos, 1715, f. Alph. 8 pl. 23.

QUas in V. T. codicem, Pentateuchum videlicet, Hiſtoricos item, Poeticos & Propheticos libros, quatuor Tomis comprehenſas expoſitiones utili ac præclaro inſtituto edidit *Matthæus Henry*, eas in his Actis A. 1713 p. 337 & A. 1715 p. 354 commemoravimus, & ea, qua dignæ ſunt laude, ornavimus. Nunc quintum iſtorum commentariorum volumen, quod Hiſtoricos N. T. libros, Chriſti & Apoſtolorum res geſtas enarrantes, complectitur, exhibendum nobis & annuntiandum ſimul eſt, Rev. Autorem, antequam luci publicæ expoſitum penitus illud oculis cernere potuit, vitam cum morte commutaſſe. Ita tamen & hanc operis egregii partem undique ipſe perfecit, ut non modo omnem prelo commiſerit, ſed & ipſam præfationem ſuo ſtylo conſcripſerit, quamvis, niſi mors obſtitiſſet, magis forte expoliendam. In iſta, quam diximus, præfatione uſum & autoritatem librorum N. T. tum adverſus Judæos, ſummam inter priſci ac novi fœderis oracula conſenſionem inprimis urgens, breviter vindi-

cat, tum contra eos, qui Chriſtianum quidem nomen retinentes Chriſtianam tamen religionem, omnemque, qua hæc nititur, revelationem, efficta quadam ac inſolentius jactata cogitandi libertate, impugnare non dubitent, graviter tuetur. Hos enim nec ipſos libere cogitare, ſed potius præjudiciis ex pravis cupiditatum motibus, ambitionis maxime, nec non novitatis & contradicendi ſtudio enatis, ceu mancipia, ſervire; nec aliis, quos non argumentis, ſed figmentis in ſua tanquam magiſtrorum verba jurare cogant, cogitandi libertatem concedere demonſtrat, eosque demum, qui Chriſti doctrinam ceu regulam ſequantur, vera cogitandi libertate uti poſſe oſtendit, ſuoque ipſius exemplo comprobat. Eos præterea, qui Apoſtolicas Conſtitutiones, quas tamen ſubleſtæ admodum fidei eſſe ſatis conſtet, N.T. tabulis veluti adſuere & in pari cum his dignitatis gradu collocare audeant, merito refellit, tandemque P. R. bullam contra Quesnellianam N. T. editionem promulgatam Sacrarum literarum autoritatem non parum infringere ex propoſitionibus inibi damnatis colligit.

De ipſis Commentationibus, quibus libros ſanctos illuſtrat Autor, multa jam dicere non juvat; cum eadem, quam alibi jam expoſuimus, methodo utatur, non tam ea ſectatus, quæ ad rem criticam aut philologicam pertinent, quam eorum commodis inſerviens, qui ſacri codicis lectione ſaluti ſuæ conſulere ac pietatis majora ſubinde incrementa capere cupiunt; quam in rem ea quæ vel ad fidei confirmationem, vel morum ſanctimoniam vel adflictorum conſolationem faciunt, creberrime inſpergit. Ceterum, ne præclaro huic operi tanto ſtudio atque labore huc usque perducto perfectio ſua deſit, ſpem facit, qui hanc ob rem ſingulare monitum in lectorum gratiam huic volumini præfixit, *Jo. Evans*, fore, ut ex ſchedis defuncti præter expoſitionem epiſtolæ ad Romanos, quam ipſe jamdudum prelo paraverit, ab amico Autori, cum viveret, perfamiliari reliqua eodem ſcribendi genere ſuppleantur, totumque adeo horum Commentariorum corpus omnibus ſuis partibus perfectum atque abſolutum reddatur.

AN

AN ESSAY ON THE THIRTY NINE ARTICLES of Religion.

i. e.

TENTAMEN IN TRIGINTA NOVEM Articulos Religionis, compoſitos A. 1562, & reviſos 1571, in quo, textu Latine & Anglice exhibito, & minutiſſimis variationibus octodecim antiquiſſimorum & authenticorum exemplarium accurate notatis, refertur, quomodo Synodus Eccleſiaſtica proceſſerit in formando & conſtituendo textu, controverſa clauſula vigeſimi Articuli demonſtratur eſſe genuina, & cauſa ſubſcribendi Articulis juxta legem, hiſtoriam & conſcientiam expenditur. Accedit Præfatio Epiſtolica ad Antonium Collinum, Armigerum, qua inſignes fraudes Autoris libelli, cui titulus, Prieſtcraft in Perfection, *exponuntur; Autore THOMA BENNET, SS. Theol. Doctore, & Eccleſiæ ad S. Jacobum in Diæceſi Colceſtrienſi Rectore.*

Londini, apud W. Innys, 1715, 8.

Alphab. 1 plag. $7\frac{1}{2}$.

IN *Epiſtola* Præfationis loco ad Antonium Collinum, famoſæ de Libertate Cogitandi Diſſertationis Autorem, præmiſſa Rev. Bennetus, cujus Introductionem in Theologiam in Actis hujus anni p. 206 recenſuimus, non obſcure prodit, quod idem ille Collinus etiam libelli ante ſex annos ſub titulo, *Prieſtcraft in Perfection,* editi, & ab ipſo hic refutati Autor ſit. Nam, ut alia jam taceamus, quum p. IX & XVIII hujus Epiſtolæ Evangelii *Sommonocodom* mentionem facit, reſpicere videtur ad Diſſ. de cogitandi libertate p. 52, ubi illud inter varias Scripturas variis populis receptas memoratur. Sed, quiſquis Autor libelli illius fuerit, innuerat ille, quod exemplar aliquod Articulorum impreſſum originali monumento Actorum Parliamenti, quod dicitur, additum, ſed a Clero ſubtractum fuerit: quod prima editio Articulorum A. 1563 Anglice facta in Bibliotheca Bodlejana ex libro quodam Miſcellaneorum exciſa ſit: quod in eadem Bibliotheca duo occurrant exemplaria A. 1563 a Renardo Wolfio impreſſa, quorum alteri prolixa ſcheda agglutinata ſit,

comprehendens nomina illorum,qui Articulis ſubſcripſiſſe credantur: quod Laudus Archiepiſcopus, & Pearſonus Epiſcopus notoriæ prævaricationis & impoſturæ circa Articulos rei ſint: quod denique,cum Articulus aliquis religionis a Clero interpolatus ſit,Patres & Concilia,quæ manus illorum tranſierint,nullius autoritatis eſſe poſſint. Ab his igitur criminationibus Noſter Clerum in hac Epiſtola ſolide ſatis vindicat, ut contra illos, qui cogitare poſſint, quod rebus nonnullis in hoc tentamine paulo majorem operam impenderit, & in multis minutiis tam exacta collatione non opus fuerit, ſe munire conatur. Sequitur *Introductio*, qua octodecim Codicibus tam MStis, quam impreſſis, quos inter ſe contulit, recenſitis,textum Articulorum Latine & Anglice adverſis paginis exhibet, & minutiſſimas variationes,non omiſſis etiam manifeſtis calami & ſtanni erroribus, & diſtinctionum diſcrepantiis,annotat. Hanc vero ipſum *Tentamen* excipit. Cap. I agit de variis variationum generibus in antecedenti collatione deprehenſis. Cap. II enarrat monumenta, quæ originalibus Synodi, quæ A. 1562 Articulos recepit, incendio magno Londinenſi abſumtis, defectum illorum ſupplere poſſint, nempe Transſcriptum e Regiſtro Principali Sedis Archiepiſcopi Cantuarienſis a Laudo Archiepiſcopo tempore Caroli I, quo Angliæ Præſulibus objectum fuerat, quod clauſulam articuli vigeſimi ſuppoſuerint, in Camera ſtellata, vulgo *Starchambre*, productum; Regiſtrum domus ſuperioris Synodi A. 1562 habitæ a Gibſono e MSto quodam,hodie ad Carolum Battelejum pertinente, publicatum; Heylyni Excerpta ex monumentis Synodorum ab A. 1528 usque ad A.1580 habitarum, in MSto, quod nunc Franciſci Epiſcopi Roffenſis eſt, extantia. Cap. III memoratur, quid in Synodo A. 1562 a d. 19 usque ad 29 Januar. de Articulis geſtum ſit. Cap. IV accurate delineat MStum Latinum Articulorum in Bibliotheca Collegii, quod Cantabrigiæ a Benedicto nomen habet, aſſervatum, cui A. 1562 d. 29 Januarii Epiſcopi ſubſcripſerunt. Cap. V de Epiſcopis, qui illi ſubſcripſerunt, multis diſputat. Cap. VI de Subſcriptionibus inferioris Cleri agit. Cap. VII probat, quod Articuli Synodo recepti relati ſint in Regiſtrum Archiepiſcopi Cantuarienſis. Cap. VIII evincit, quod MStum illud Latinum

Colle-

Collegii Benedicti non ſit originale. Cap. IX probabile eſſe declarat, quod originali Articulorum Archivo Sedis Cantuarienſis inſerto neque ſubſcriptum, neque ſigillum majus additum fuerit. Cap. X certum eſſe ait, quod Regina Articulos illos approbaverit. Cap. XI obſervat, quod iidem Articuli A. 1562 in Latina ſaltem lingua recepti, in Archivum relati, & rati habiti ſint. Cap. XII ſiſtit diſcrepantias inter MStum Collegii Benedicti, & primam Wolfii, Regii Typographi, editionem, ejusdemque editionis exemplar in Bibliotheca Bodlejana occurrens, & ad MStum aliquod emendatum. Cap. XIII veriſimile eſſe putat, quod eadem Wolfii editio exprimat originale Articulorum ſedis Cantuarienſis. Cap. XIV paulo diligentius expendit diſcrepantias inter MStum Latinum Collegii Benedicti, & editionem Wolfii, ſpeciatim ſi reſpiciamus controverſam clauſulam Articuli vigeſimi in MSto omiſſam, & totum vigeſimum nonum Articulum, in Wolfii editione non expreſſum. Et de illa quidem exiſtimat, quod, cum in monumentis Synodi A. 1562 habitæ in Archivo Sedis Cantuarienſis aſſervatis eadem clauſula occurrat, publica autoritate addita ſit, licet etiam in MSto Latino non compareat; de hoc vero, quod licet utraque domus Synodi illum receperit, & Regina approbaverit, tamen, cum Roffenſis & Gloceſtrienſis Epiſcopus videantur ſubſcriptionem propter eundem articulum illum detrectaſſe, & Pontificii, quos præcipue ille offendere poterat, A. 1562 ſeparatum cœtum nondum formaverint, Regina ad præcavendum, ne diſſidia inter Epiſcopos, & turbæ civiles atque Eccleſiaſticæ orirentur, mandare potuerit, ne in Acta Synodalia in Archivo Sedis Cantuarienſis referretur. Cap. XV de Poſtſcripto editionis Wolfii duabus paragraphis conſtante diſſerit. Cap. XVI de primis Articulorum editionibus Anglice evulgatis præcipit. Cap. XVII diſquirit, an editio Articulorum prodierit ante 25 Martii 1563. Cap. XVIII exponit, quid A. 1566 in Synodo de Articulis geſtum ſit. Nempe conſilium fuit, inferiorem Clerum obligandi ad ſubſcribendum Anglicæ verſioni Articulorum; quod tamen, petentibus licet Epiſcopis, Regina non approbavit. Cap. XIX ex Heylyno refert, quid A. 1571 in Synodo de Articulis de-

cretum ſit. Cap. XX exemplar editionis Wolſii Articulorum, cui domus inferior Synodi A. 1571 ſubſcripſit, in Bibliotheca Bodlejana nunc occurrens, additis obſervationibus quibusdam, recenſet. Cap. XXI diſcrepantias inter Latinas & Anglicas editiones A. 1571 & antea impreſſas, nec non inter MStum Anglicum ejusdem anni, & Anglicas editiones illas ob oculos ponit. Cap. XXII evincit quod in Synodo A. 1571 textus Latinus Articulorum reviſus, & authentica quædam verſio illorum Anglica recepta ſit. Cap. XXIII de Anglicis editionibus Articulorum A. 1571 evulgatis, earundemque differentiis nonnulla obſervat. Cap. XXIV demonſtrat, quod Anglica exempla Articulorum A. 1571 impreſſa, quibus controverſa clauſula Articuli vigeſimi addita, ſint genuina, &, quibus deſit, ſpuria. Cap. XXV de Daji Latinis editionibus A. 1571 publicatis; Cap. XXVI de Synodo, quæ A. 1604 Articulis ſubſcripſit; & Cap. XXVII de Caroli I Regis Articulorum editione A. 1628, præfixa Declaratione ejus, vulgata tractat. Cap. XXVIII examen inſtituit, an Clerus obligatus fuerit Articulis A. 1562 compoſitis ſubſcribere, antequam Statutum A. XIII Eliſabethæ cap. 12 An. 1571 illud injunxerit; ſeque eam in rem idoneum argumentum non invenire aſſerit, & in Calamejum aliter ſtatuentem graviter animadvertit. Cap. XXIX de initio, progreſſu & receptione Statuti illius; Cap. XXX de editione *Articulorum, cui* pro eodem Statuto ſubſcribendum ſit; & Cap. XXXI de diverſa ſubſcribendi ratione poſt Statutum illud facta *diſpicit. Cap.* XXXII probat, quod Clerus pro Statuto illo obſtrictus ſit, ad ſubſcribendum omnibus triginta novem Articulis, & Cap. XXXIII, quod ſubſcriptiones Cleri accipi debeant tanquam declaratio opinionum, quas foveant, non tanquam nuda ad ſilentium obligatio. Cap. XXXIV reſpondet objectioni e locis quibusdam Laudi Archiepiſcopi, Chillingworthi, Bramhalli Archiepiſcopi, & Stillingfleeti Epiſcopi petitæ, quod aliter illi de ſubſcriptione ſenſerint, atque ſtatuerint, quod Eccleſia Anglicana hac non requirat fidem, ſed tantummodo, ut aliquis ſeſe doctrinæ huic non opponat. Et tandem Cap. XXXV docet, quam libertatem Eccleſia concedat illis, qui Articulis ſubſcribant.

Arbi-

Digitized by Google

Arbitratur nimirum, quod, ſi Articulus, vel propoſitio illo comprehenſa diverſas interpretationes admittat, poſſit aliquis dici credere veritatem illius, qui credat illam tali ſenſu veram eſſe, qualem ſine vi verbis illata & contradictione admittat; eodemque ſenſu illi ſubſcribere ſecure poſſe. Hæc Tentaminis in Articulos Anglicanæ Eccleſiæ ſumma eſt; quod, ſi quid in controverſiam de iisdem Articulis, eorumque maxime hiſtoria veniat, haud exiguo uſui eſſe poterit.

A DISCOURSE OF THE PRETENDED APOſtolical Conſtitutions.

i. e.

DISSERTATIO DE CONSTITUTIONIBUS Apoſtolicis vulgo dictis, in qua præcipua argumenta omnia & externa & interna pro γνησιότητι illarum a GUIL. *WHISTONO in Tentamine de his producta, examinantur & confutantur; Autore* ROBERTO TURNER, *M. A. Vicario ad S. Petri Colceſtriæ, & Collegii S. Johannis Cantabr. Socio.*

Londini, apud W. Innys, 1715, 8.
Plag. 20.

QUam ſacrum atque adeo reliquis omnibus N. T. Libris præferendum opus in Apoſtolicis, quæ vocantur, Conſtitutionibus inveniſſe ſibi viſus ſit, totique Orbi Chriſtiano magno ambitu obtruſerit Guil. Whiſtonus, in Actis hiſce A. MDCCXIV p. 28 ſqq. fuſe a nobis expoſitum eſt. Ejus itaque Viri mirandis ac temerariis aſſertis obviam eundum ratus Reverendus Autor, in Præfatione monet, cum pauca Apoſtolorum monumenta ſuperfuerint, jam inde ab initio Eccleſiæ Chriſtianæ ingenioſos homines ψευδεπίγραφα Apoſtolorum cœpiſſe comminiſci, ab Hæreticis plerumque avide capta, quos dum incautus ſequatur Whiſtonus, quantam infidelibus modernis ridendi Chriſtianismi præbeat opportunitatem, ipſi relinquit conſiderandum. Se præterea nullo adverſo affectu ad Conſtitutiones acceſſiſſe teſtatur, qui, ut pietatem quandam in compoſitione illa-

Digitized by Google

illarum agnoſcit, Liturgiæ illis contentæ eximiam devotionem admiratur, eo tamen, quo Whiſtonum ſua judicandi temeritas abduxit, procedere neutiquam audet. Ejus rei rationes toto Libro ediſſerit, quo prolixiſſime argumenta externa, brevius interna conſiderantur, pauciſſimis in Compilatorem totius operis inquiritur. Inter externa argumenta, ſive teſtimonia antiquorum primo loco apparet Philo, cujus Deſcriptionem Therapevtarum cum Conſtitutionibus amice conſpirare jactaverat Whiſtonus. At Cl. Turnerus ante omnia negat, Therapev-

p. 3. ſqq. verat Whiſtonus. At Cl. Turnerus ante omnia negat, Therapev-
tas Philonis eſſe Chriſtianos, deinde ſi id concedatur, nihil inde
7. evinci pro Conſtitutionibus, cum conſuetudo mane & veſperi
precandi a Philone laudata non inde demum peti debuerit, ſed
ſolemnis etiam apud paganos fuerit. Vid. Horatium L. IV Od.
8. V & Platonem L. X de Legibus. Idem de precantium facie verſus Orientem directa probat ex Virg. L. XII Æn. v. 172, Tertull.
10 ſqq. Apol. C. 16, Clem. Alex. L. VII Strom. nec *ἱερὰν παννυχίδα* Therapevtarum a Philone memoratam cum *παννυχίδι* Paſchali, quam Conſtitutiones memorant, commune quicquam habere oſtendit, quin ex naturæ lege Philonem Conſtitutionum
11. teſtem eſſe non poſſe, cum has A. D. 64, Philonis vero Librum *περὶ βίου θεωρητικοῦ* jam A. D. 40 ſcriptum eſſe ipſe Whiſtonus
16 ſqq. concedat. Hinc agit de teſtimoniis Scripturæ, quæ, *cum fere ubiq;* ab Autore Conſtitutionum *citata, nusquam tamen has vel unico* indicio certo alleget, ſatis inde patere inquit, nihil tale conſtitiſſe Sacris Scriptoribus, quale Whiſtonus ex locis Pſ. CX, 2, *Eſ. LIX,*
28. 20, Zach. II, 10, 11, Matth. XXVIII, 18, 19, 20, Act. I, 3, pro his *διαταγαῖς* exſculpſit. Pergit Noſter ad Clementis Romani indubitatas Epiſtolas, quas non magis vel ſtyli vel rerum paritate cum
33. *διαταγαῖς* concordare, quam Thucydidem vel quemcunque
34-48. Autorem Græcum, obſervat, ac imprimis hoc urget, famoſam de Phœnice hiſtoriam & a Clemente & ab aliis Patribus multum variatis circumſtantiis narrari, quam a *διαταγῇ* fiat, certe a nul-
49-53. lo illorum usquam referri, tanquam ex Apoſtolico libro petitam. Barnabæ, quæ vulgo vocatur, Epiſtolam in poſtremis Capitibus cum Conſtitutionibus hinc inde ad verbum convenire non negat Cl. Autor, ſed & ipſa hæc Capita valde eruditis eſſe ſuſpe-

Digitized by Google

ſuſpecta, tanquam ad διδαχὴν Βαρνάβα potius ſpectantia, &,
quæ in illis cum Conſtitutionibus conveniunt, a Clemente Alex.
L. II Strom. p 396 & Orig. περὶ ἀρχῶν L. II C. 2 non Apoſto-
lis, ſed diſerte Barnabæ tribui bene obſervat. In Hermæ vero 57.
Paſtore nihil Whiſtono præſidii eſſe eleganter oſtenditur, ubi
inter alia egregia Reverendiſſimi Gvil. Wakii, Epiſcopi tum Lin-
colnienſis, nunc Cantuarienſis, conjectura laudatur. Nimirum 58. 59.
Hermam poſt ſuam converſionem per aliquod tempus adhuc
infidelem habuiſſe uxorem & familiam, ad cujus impietatem
connivens ſevere a Deo fuerit objurgatus, donec Conjux ipſius
facta ſit Soror, ut ipſi Hermæ prædictum ſit Viſ. II C. II. Cete-
rum quomodo Hermæ circa adulteram uxorem recipiendam
dicta Mand. IV C. I a ſeveritate Conſtitutionum L. VI C. 14,
ac viciſſim Hermæ circa pœnitentes admittendos ſeveritas, eo-
dem loco, a Conſtitutionum clementia L. II C. 14 abhorreant,
haſque poſt Novatiana diſſidia ſcriptas inde appareat, fortiſſime
urgetur. Circa Ignatium breviter verſatur Noſter, cujus bre-
viores Epiſtolas notum eſt Whiſtono ſordere, interpolatas de-
pereunti. Circa Juſtini Martyris vero teſtimonium, cujus in
Apologia II exhibitam cultus divini apud Chriſtianos deſcripti-
onem prorſus ex Conſtitutionibus deſumptam jactaverat Whi-
ſtonus, eaque in re Juſtinum plus quam ullum alium Chriſtia- 74 ſqq.
num auſum fuiſſe, ultra limites arcani progredi, ut Magiſtratui,
cui uni hoc Jus competeret, rationem Chriſtianorum myſterio-
rum exponeret, bene a Noſtro quæritur: ubi hic Diſciplina ar-
cani? ubi vel verbo Juſtinus quicquam concelandum eſſe innuat?
quaque conſcientia Sanctus Martyr ex ſacroſanctis διαταγαῖς
Paganis Imperatoribus potuerit propalare ea, in quæ ne piis qui-
dem Laicis, nedum omnibus Epiſcopis ex Cl. Whiſtoni ſen-
tentia παρακύπτειν integrum erat? Irenæi locum L. III C. 2, 3,
4, quo ad Apoſtolicam traditionem provocat, tanquam locu-
pletisſimum teſtimonium laudaverat Whiſtonus, Traditio- 78. 79.
nem nihil aliud eſſe niſi Conſtitutiones aſſerens; enimvero Cl.
Autor monſtrat, ipſum Irenæum traditionem notare, quæ *non
per literas ſed per vivam vocem, ſine charta & atramento in cor-
dibus ſcripta* ſit, id quod nulla ratione ad Conſtitutiones ſcriptas 81. 82.

Digitized by Google

poteſt referri, ipſamque traditionem, qua Irenæus ſubinde ſit
uſus, adeo fuiſſe lubricam, ut ea nixus non dubitaverit inſigni
p. 82-91. errore Chriſto 40 vitæ annos adſcribere. L. II C. 39. Imprimis
vero graviter premit Whiſtonum controverſia Irenæi tempore
celeberrima de Paſchatis Feſto celebrando inter Aſiaticas &
Romanam Eccleſiam, in qua, cum utraque pars ad traditionem
Apoſtolicam provocaret, inque iis Conſtitutionibus, quas viderat
Epiphanius, plane aliter ac in noſtris res diſerte pro Aſiaticis
eſſet deciſa, (vid. Epiphanium Hær. LXX C. 10, quem hic ſequitur
Whiſtonus, hodierna exempla interpolata eſſe clamans,) hoc tamen non obſtante, Romanam Eccleſiam, omnesque
alias Orbis Eccleſias, præter Aſiaticas, teſte Euſebio L. V H.
E. C. 23, e diametro Conſtitutionibus adverſas eſſe voluiſſe,
inque tanta animorum *συῤῥάξει* neminem ad eas provocaſſe,
Polycarpum etiam Romæ cum Aniceto communicaſſe, id quidem,
ſi Conſtitutiones tum cuiquam innotuiſſent, factu prorſus
93. impoſſibile videtur. In Clemente Alexandrino unum notandum,
quod cum Conſtitutiones L. I C. 6 diſerte librorum gentilium
lectione Chriſtianis interdicant, ſecurus tamen interdicti
prorſusque ignarus plane contrariam in ſtudiis viam triverit.
Tertulliani locum prolixum de Cor. Mil. C. 3, 4, a Whiſtono
pro Conſtitutionibus laudatum, neutiquam ipſi favere aperte
98. monſtratur, quandoquidem is de pleriſque ceremoniis diſerte
neget, *ſi legem Scripturarum expoſtules, ullam inveniri*, quas ta-
101. 102. men Conſtitutiones ſcriptæ manifeſtiſſime injungunt, alias viciſſim
memoret, de quibus altum ibi eſt ſilentium, ex eadem
tamen traditione acceptas; quale eſt, quod ipſe de Baptiſmo C.
17 & de exhort. Caſt. C. 7 Laicis baptizandi poteſtatem permittit,
quam magno zelo illis negant Conſtitutiones L. III C. 10,
quodque Catholicos memorat jejunia celebraſſe *ex arbitrio,*
104 *non ex imperio*, de Jejun. C. II & XIII, cum contra jejunandi ratio
exacte in Conſtitutionibus præſcripta ſit & imperata. Origenes
ſuccedit, cujus Proœmium *περὶ ἀρχῶν* nequaquam favere
107. Whiſtono, imo dictum Origenis L. I de Princ. C. 3, ubi de Spiritu
S. ita: *usque ad præſens nullum in ſcriptis ſanctis ſermonem*
110. *invenire potuimus, per quem Spiritus S. factura vel creatura eſſe*
dice-

Digitized by Google

diceretur, ſatis oſtendere, non viſas aut pro divinis non habitas eſſe Conſtitutiones, quarum blaſphemus Compilator L. VI C. 11 diſerte Spiritum S. κτίσμα vocat, probatur. Cyprianum, Africanum quippe, (quibus Eccleſiis miſero fato Conſtitutionum κειμήλιον prorſus abnegat Whiſtonus,) forte eas non vidiſſe ipſe conjecerat, quæ tamen inde quoque adduxerat teſtimonia pro διαταγαῖς, examinat doctiſſimus Autor, qualia ſunt de Cramate in S. Cœna adhibendo, quod, quanquam conſentit cum Conſtitutionibus, attamen nec a Cypriano nec a Juſtino nec ab ullo antiquo tanquam inde petitum usquam memoratur. At memoranda ante omnia hic eſt Cypriani & Africanorum cum Romanis de rebaptizandis hæreticis controverſia, in qua, cum Conſtitutiones diſertiſſime Africanorum ſententiam approbarent, L. VI C. 15 Canon. 46, 47, cum Romanæ Eccleſiæ commiſſæ eſſent illæ ex mente Whiſtoni, attamen qui Romanum Epiſcopum tanto cum zelo contrarium defendentem, Cyprianum & Africanos miſere circa διαταγὰς excutientes, nihilque tale pro ſe allegantes, niſi ſolam conſuetudinem, ipſumque adeo Dionyſium Alexandrinum, in cujus Eccleſia pariter repoſitas διαταγὰς affirmat Whiſtonus, nec eo provocantem, nec Romanum Epiſcopum ob evidentem Apoſtolicæ autoritatis contemtum ſevere, ut opus erat, objurgantem animadverterit, is certo perſuaſus erit, de διαταγαῖς nihil tum inauditum fuiſſe in Eccleſiis. Neque hic juvant Whiſtonum, quæ is ad levandam hanc difficultatem in medium protulit, a Cl. Autore bene expenſa & refutata. Ea vero Controverſia noſtrum manu veluti ducit ad Dionyſium Alexandrinum, cujus ad Baſilidem Epiſtola evidens eſt argumentum, eum Conſtitutiones nunquam vidiſſe. Interrogatus enim a Baſilide, qua hora in vigilia Paſchali ſit ſolvendum jejunium, neutiquam ad Conſtitutiones provocat, quibus expreſſum erat tempus gallicinii L. V C. 18, 19, ſed reſpondet, ὥραν μεμετρημένην τιθέναι δύσκολον καὶ σφαλερόν ἐστι, nec, quæ ipſe proponit Conſtitutionibus conſona, apoſtolica autoritate dictat, ſed ὡς φρονεῖ συμβουλεύων, Baſilidem jubens ſtatuere, ὅ, τι ἂν αὐτῷ φανῇ δίκαιον καὶ βέλτιον, eademque Epiſtola de admittenda ad S. Cœnam menſtruata prorſus contra Conſtitutionum mentem

p. 118 ſqq.

122 - 127.

128 ſqq.

130.

134.

Digitized by Google

(vid. earundem L. VI C. 27, 28) opinatur. Nec favet porro Whiſtono, quod Dionyſius in Epiſtola ad Philemonem apud Euſebium H. E. L. VII C. 7 citet Servatoris dictum: *γίνεσθε δόκιμοι*
p. 135 ſqq. *τραπεζῖται*, quod neutiquam ipſi ex Conſtitutionibus petendum erat, cum alii Patres ea ex Servatoris ipſius ore vel Pauli ſcriptis citaverint, ipſæque *διαταγαὶ* his verbis præmittant, *ὡς εἴρηται*, tanquam aliunde allegatis. Lubentes præterimus, quæ adverſus Petri Alexandrini ex Canone XV & Concilii Neo-Cæſareenſis ex ejusdem Canone XV a Whiſtono prolata argu-
140. 141. menta monentur, in quorum poſteriores ſeptenarius Diaconorum numerus non ex Conſtitutionibus, ſed *ἀπὸ τῆς βίβλου τῶν πράξεων* deducitur, quin etiam diſerte *διαταγαῖς* eſt contrarius, cum Canon Neocæſareenſis non niſi VII Diaconos permittat, *κἂν πάνυ μεγάλη εἴη ἡ πόλις*, Conſtitutiones contra L. III C. 19 numerum Diaconorum jubeant eſſe *ἀνάλογον πρὸς τὸ πλῆθος τῆς ἐκκλησίας*. Circa Nicenum Concilium primum docet Clar. Autor, quam infeliciter Whiſtonus Canonem hujus Concilii
142. 144. XIII de moribundis ſacro *ἐφοδίῳ* non defraudandis ad locum Conſtitutionum L. VIII C. 32 referat, qui plane de S. Cœna
145 ſqq. non agit, ſed ad Baptiſmi communionem ſpectat. Deinde, quomodo fieri potuerit, ut in iſta tam magna Synodo circa controverſiam de matrimonio Clericorum nemo, ne Paphnutius qui-
149. dem ad Conſtitut. L. VI C. 14, 17, provocaverit; ut tota Synodus prorſus aliam Paſchatis celebrandi legem ſanxerit, quam quæ Conſtitutionibus Apoſtolicis juxta Epiphanium ferebatur,
152. nemine, præter paucos Quartodecimanos, contradicente; ut contra *διαταγῶν* manifeſte Arianis faventium divinam deciſionem totum Concilium iret, probe quærit Autor noſter: cumque magnum robur Whiſtonus quærat in Symbolo Arii & Euzoji, ab Hieroſolymitana Synodo approbati, quod *ἀναμφήριστον* dicitur *σώζειν τὴν παρὰ τοῖς πᾶσιν ὁμολογουμένην ἀποστολικὴν παράδοσίν τε καὶ διδασκαλίαν*, quaſi hoc modo provocetur ad Conſtituti-
157. ones, primo miratur Turnerus, nemini in his controverſiis citius ſuboluiſſe quicquam de his *διαταγαῖς*, deinde negat ſolum nomen *διδασκαλίας* aliquid pro illis facere, ambiguum quippe & ad multa alia facile applicandum, ubi graviter monetur Whi-

Digitized by Google

Whiſtonus, ne forte ipſi tantopere pro hac διδασκαλίᾳ conten-
denti obveniat, quod Chriſtus ait: μάτην σέβονταί με, διδάσκον- p. 160.
τες διδασκαλίας ἐντάλματα ἀνθρώπων, denique rogat, cur, ſi
tanta eſſet Conſtitutionum autoritas, maluerint Ariani novum 161.
Symbolum a ſe confictum tam ſacroſancto & ab Apoſtolis
ipſis tradito in διαταγαῖς ſuperinducere & præferre? Circa
Euſebii teſtimonium ante omnia diſquiritur, num διδα- 163.
χὴ ἀποςόλων, ab ipſo L. III H. E. C. 25 memorata, idem ſit
cum noſtris Conſtitutionibus, vel potius earum, ut Coteleri-
us, & poſt hunc Whiſtonus noſter voluere, epitome? Utrum-
que idoneis argumentis negat Cl. Autor, ac ſi vel maxime
id concedat, nihil inde lucrari cauſam Conſtitutionum do- 168-171.
cet, cum hæc ipſa διδαχὴ ab Euſebio inter τὰ νόθα referatur,
quæ non, ut Beveregius cum Valeſio voluit, eadem ſunt, quæ
ἀντιλεγόμενα, ſed ab iis manifeſte diſtincta nihil aliud ex mente
Noſtri notant, quam ψευδεπίγραφα; ac id imprimis quæren-
dum, cur in diſtincta Librorum Sacrorum enumeratione has
Conſtitutiones nunquam vel verbo memoraverit Euſebius? Ab- 172-173.
ſurdum enim eſt, inquit, quod Whiſtonus regerit, eas non tam 172-173.
pro ἐγγράφοις, quam ἀγράφοις monumentis habitas fuiſſe, nec,
quod Whiſtonus voluit, Euſebium aliosque antiquos Librorum 177-180.
Canonicorum numerum ad Conſtitutiones exegiſſe, ullo modo
apparet, cum perpetua in quæſtione de autoritate Librorum
ſacrorum ad Eccleſiarum autoritates fuerit provocatio, altum
de διαταγαῖς ſilentium. Athanaſium nec in Epiſtola Feſtali
aut Synopſi S. Scripturæ, nec ubi ad τὴν ἐξ ἀρχῆς παράδοσιν
Epiſt. 1 ad Serap. provocat, quicquam juvare Conſtitutiones, 184-185.
ipſumque Baſilium M. cujus de Spiritu S. C. 27 dicta in rem ſu-
am verterat Whiſtonus, ea, quæ Conſtitutiones diſerte jubeant, 191.
tamen ita proponere, ut de iis quærat: ποῖον ἐδίδαξεν ἡμᾶς
γράμμα; ignarum nempe ſcriptæ παραδόσεως, comprobatur.
Primus, qui indubie Conſtitutiones citavit, eſt Epiphanius, a
cujus tamen citationibus noſtræ Editiones in Paſchalibus Decre- 198 ſqq.
tis aliisque ita diſſentiunt, ut diſerte contrarium exhibeant: ipſe
etiam Epiphanius Hær. 76 p. 941 cum ἀγεννήτου nomen,
quod in Conſtitutionibus toties legitur, Patri tributum μηδαμοῦ ἐν 201.

θείᾳ γραφῇ ſe legiſſe affirmat, ſatis innuit, has in Scripturæ S. cen-
ſum apud ipſum non veniſſe. Tranſimus teſtimonia recentiora
a Whiſtono adducta, & a doctiſſimo Turnero bene examinata,
a quo denique Diſciplina arcani, ad quam Whiſtonus perpetuo,
ubi obſcuritate & defectu teſtimoniorum premitur, confugit,
expenditur. Ea vero etſi Sec. III & ſubſequentibus indubie ſit
p. 221. concedenda ſecundum Schelſtratenium, certe Apoſtolico ævo ju-
xta Noſtrum, Tentzelio aſſentientem, adſcribi nullo modo pot-
223. eſt, nec, ſi detur ea ætate eam obtinuiſſe, magis Conſtitutiones,
quam reliqua Apoſtolica ſcripta, æque certe myſterioſa, abſcon-
226. dere debebat, denique ita abſurda non erat, ut ipſius libri no-
men ne quidem liceret memorare, ut Whiſtonus exiſtimat. Ad
interna argumenta progreſſus Autor, egregie monet, rem
228. omnium difficillimam ſine dubio eſſe Apoſtolicum dicendi ge-
nus imitari aut præferre, adeo ſingularia in eo eſſe omnia, ut
nemo certe poſſit tentare ſimile quicquam Apoſtolis, niſi qui
eodem, quo ipſi, agatur Spiritu. Quare ubique in Conſtitutio-
229. nibus pellucere impoſturam, docetur, ex deſcriptione Eccleſi-
arum Templorumque, quæ pacifico quidem Chriſtianiſmi ſub
Conſtantino, non preſſo ſub Apoſtolis ſtatui conveniat, ex me-
232. moratis inferioribus Miniſtrorum Eccleſiæ ordinibus, Apoſto-
234 ſqq. lorum ætatem neutiquam ferentibus, ex infantum communio-
ne in Conſtitutionibus memorata, de cujus antiquitate ὡς ἐν πα-
ρόδῳ Autor diſſerit. Ita ἐσθῆτα λαμπρὰν Epiſcopo admini-
238. ſtranti tributam, pompoſos ac otioſos fere baptizandi ritus, quos
242. omnes Philippus Act. VIII, 37, 38 ignoravit, tum *Feſta tanto nu-
246. mero* injuncta, v. g. Sabbathi celebrandi, quæ conſuetudo No-
250. 252. ſtro videtur ad Marcionis tantum hæreſin confundendam ino-
leviſſe, dies memoriales ipſorum Apoſtolorum, Jejunia deni-
que tam ſevere imperata, cum ſimplicitate, modeſtia, reliqua-
que indole Apoſtolicæ ætatis pariter ac ſcriptionis nequaquam
258 ſqq. convenire docetur. Sed & ſeries Epiſcoporum & Hæretico-
264 ſqq. rum catalogos inibi traditos a ratione temporum & aliorum
teſtimoniis ita abludere monſtratur, ut fruſtra in iis aſſerendis
deſudet quiſquam, aliaque plura perſtringuntur, quæ in com-
pendium difficulter redigas. Ultimo Capite in Compilatorem

Ope-

Digitized by Google

operis inquiritur, quod & Romano & Alexandrino Clementi, quorum poſteriorem Beveregius ejus rei accuſaverat, abjudicatur Hippolyti aliorumq; διδαχαὶ tanquam prodromi & partes operis ab alio ex his conſuti recenſentur, & quanquam difficile ſit determinare exactum compilationis tempus, cum paulatim videatur coaluiſſe opus, Ariano tamen cuidam totum centonem tribuendum eſſe ab Autore concluditur, quem toto opere modeſte, judicioſe ac erudite rem omnem expediviſſe merito teſtamur. p. 279 ſqq.

JOHANNIS ANDREÆ GRAMLICHII Tractatus Theoretico-Practicus de Fœderibus divinis in Genere, ubi tum omnes hac de re Autores, laborioſe undiquaque conquiſiti, recenſentur & in partes vocantur, tum novæ ubique acceſſiones adduntur, ut & Compendium ſit & Complementum. Cum Appendice, quæ per Tabulas Analyticas in Synopſi repræſentat divina Fœdera, Doctrinamque Fœderalem per univerſum S. Codicem exſequitur, & Locos Theolog. omnes Fœderali Methodo diſpoſitos complectitur. Præfixa eſt Epiſtola Clar. Viri JOANNIS a MARCK.

Lugd. Bat. apud Iſaacum Severinum, 1715, 8.
Plag. 14.

DUm prolixiorem de Fœderibus Dei & univerſalibus & particularibus Tractationem premit Cl. Autor, hunc libellum veluti Operis majoris Prodromum, in itinere literario conſtitutus, Lugduni elaboravit & in publicum prodire juſſit, approbatione Venerandi Conſiſtorii Ducalis Studgardienſis & Summe Reverendi Cancellarii Tubingenſis D. Jægeri munitum, nec non a Reformato quoque Theologo, celeberrimo Marckio in Epiſtola præfixa, quousque patiebatur publica inter Lutheranas hypotheſes & Reformatæ Eccleſiæ doctrinam diſſonantia, commendatum. In hoc itaque eleganti doctrinæ tam momentoſæ compendio ut comprehenderet paucis, quicquid ad eam ſpectat, Cap. I Cl. Gramlichius nomina tum Ebræa, tum Græca Fœderum perſequitur, mox Cap. II ad exiſtentiam Fœderum

derum divinorum probandam adverſus eos, qui vel improprie prorſus fœdera Deum inter & Homines ſtatui exiſtiment, vel cæteroquin in methodum fœderalem ſint iniquiores, quos inter B. Zieglerum in notis ad Grotium, & Celeb. Förtſchium in Selectis Theologicis refert, accingitur. Premit hos Noſter frequentiſſimis Scripturæ S. locis, actuum ſacramentalium in Baptiſmo & S. Cœna, qui reapſe non alii ſint, quam fœderales, attributorum Dei, ipſiusque Naturæ noſtræ conſideratione, quæ ſuadeat omnino & naturale fœdus Dei cum Homine agnoſcere,
p. 28 ſqq. quod hac occaſione adverſus Joh. Placæum, fœdus naturæ naturaliter cognoſci poſſe olim negantem, defendit. Ac ne novitas quibusdam merito videatur ſuſpecta, hanc doctrinam præter
31 ſqq. antiquos Patres, Euſebium, Chryſoſtomum, Auguſtinum, inde ab initio Reformationis in utraque Proteſtantium Eccleſia ſemper floruiſſe docet, apud Lutheranos, facto ab ipſo Luthero & Flacio initio, maxima nomina recenſens, apud Reformatos poſt Calvinum & Bullingerum, cujus brevem Expoſitionem de Fœdere Dei unico impenſe commendat, reliquos in vulgus notos enarrans, qua data occaſione peculiare ſcriptum promittit, inte-
36. gram Doctrinæ Fœderalis Hiſtoriam inde a temporibus Patrum hucusque expoſiturum, & quidnam in ea quilibet Autor præſtiterit, quid in eo laudandum aut vituperandum, recenſiturum. Nec timendam ex hac doctrina monet *periculoſam cum* Calvinianis doctrinis colluſionem, quam aliqui Lutheranæ Eccleſiæ Doctores ſint veriti, cum ex Clar. Autoris ſententia *non*
38. alia doctrina magis apta ſit ad Reformatos in noſtras partes trahendos, ſiquidem nulla ratione cum abſoluto quodam Decreto conſiſtere poſſit Fœdus conditionatum, nec irreſiſtibilitas aut inamiſſibilitas Gratiæ cum ratione Fœderali ſit compatibilis. His ita diſputatis Cap. III ad Naturam Fœderum divinorum declarandam fit tranſitus, ac ab initio quidem partes contrahentes expenduntur, Deus hinc, tanquam Dominus Fœ-
56. deris, Homo illinc, & hic quidem, quod probe monetur a Cl. Autore, ſpectatus non ut perſona ſingularis pro ſe in individuo contrahens, ſed ut repræſentans filios, id quod in omnibus Fœderibus divinis, quæ in Scriptura memorantur, etiam quæ maxi-

me

me ſint particularia, quale eſt fœdus Dei cum Pineha, Num.
XXV, 12, 13, obtinere bene oſtenditur. Cap. IV ad actus fœ-
derales progreditur, inter quos a parte Dei eſt ſtipulatio, πα-
ραγγελία 1 Tim. I, 5, certam conditionem Homini confœ- p. 65-66.
derando præſcribens, (cujus conditionis ratio, ne ad merita
operum forte trahatur, perſpicue exponitur) ſed & vires eam
præſtandi ſimul ſuppeditans, tum ſanctio, partim promiſſoria,
partim comminatoria. Utriusque rationibus datis, Cap. 5 ad Ho-
minis actus fœderales accedit, neceſſarios, ut fœdus fiat δίπλευ-
ρον, Joh. XV, 16, & adſtipulatione vel expreſſa vel tacita, Deut. 83-86.
V, 27, Pſ. XXVII, 8, Deut. XXIX, 12. Gen. XVII, 2, ac reſtipu-
latione, quæ eſt ἐπερώτησις & παρρησία fidelium. 1 Pet. III, 21,
1 Joh. III, 21, 22, nullo tamen merito, ſed ſola promiſſione 88-91.
Dei nixa, abſolutos. Additur C. VI Ratificatio fœderis, quam
Cl. Autor ultimum divini fœderis complementum vocat, non
eſſentiale quidem, ſed acceſſorium, quod ritus ac ceremonias 97.
externas complectatur, ad quos a Noſtro referuntur Sacra-
menta tanquam pignora, in fœdere Naturæ Arbor Vitæ, in Gra- 101-104.
tiæ fœdere, quæ vulgo eo veniunt nomine, jurejurandum, ſo-
lennia convivia, animalium diſſectio, Gen. XV, 10, Jerem.
XXXIV, 18-20, tranſitus per partes cæſi animalis, victimæ
denique, quæ omnia in fœderibus humanis obvia in divinis quo-
que ſubinde imitata eſt συγκατάβασις divina. Id quod Auto-
ri ad Cap. VII viam munit, quo comparatis fœderibus divinis
cum humanis, quomodo ea ſecum invicem conveniant, quibus-
que rebus a ſe diſcrepent, monſtratur. Cap. VIII diviſionem
exhibet Fœderum divinorum, in qua quidem Autor cum pleris-
que ita verſatur, ut Fœdera divina in univerſalia & particularia 124.
diſpeſcat, in illis nec cum Camerone, Amyraldo & Placæo tria, 125-128.
nec cum Pontificiis & Socinianis unum tantum admittens, ſed
duo, Fœdus quippe Naturæ & Gratiæ, quorum & convenientia
& diſcrepantia expoſita, ad particularia deſcendit, quæ nihil 137-140.
aliud ſunt, quam diverſæ œconomiæ atque adminiſtrationes
Fœderis Gratiæ, earumque tres numerantur a Cl. Auctore, Fœ-
dus nempe Abrahamicum, Moſaicum & Evangelicum, de qui-
bus iterum, quibus in rebus conveniant, quibus diſconveniant,

Digitized by Google

ſtratur. Cap. IX Uſus Practici doctrinæ hujus Fœderalis ſubjunguntur. Quæ Appendicis loco habentur tres Tabulæ Analyticæ, de iis in Præfatione monet Autor, eas Sciagraphiam exhibere Operis majoris, ad Gellii Snecani ductum, qui ſimile quid integro abhinc Seculo elaboraverit, compoſitas. Earum prima ſingula Dei cum hominibus fœdera per ſingulas partes enucleat, altera, quomodo inde ab Orbe condito per pulcherrimam concatenatamque Hiſtoriæ Sacræ ſeriem indivulſo nexu ſeſe invicem exceperint divina Fœdera, enucleat, methodo vere fœderali, qualem alii tale quid tentantes nondum obſervavere, tertia Locos Communes Theologicos, atque adeo omnia Chriſtianæ Theologiæ Capita methodo fœderali, quod primus conatus eſt Joh. Braunius, eleganter incluſa ſiſtit, quo nomine hæ Tabulæ omnibus divinarum Literarum ſtudioſis oppido merentur commendari.

M. JO. HEINRICI THAMERI, AQUISGRANO-Juliaci, Schediaſma de Origine & Dignitate Pericoparum, quæ Evangelia & Epiſtolæ vulgo vocantur.

Jenæ, apud Wertherum, 1716, 4.
Alph. 1 pl. 1.

CL. Autor, qui Sereniſſimo Duci Saxo-Salfeldenſi a *ſacris* domeſticis eſt, materiam hanc, duabus diſſertationibus in Academia Jenenſi pertractatam, conjunctim jam cum orbe erudito communicat. Rem totam erudite ſatis, & adhibito acri judicio pertractat. Primum caput originem, alterum dignitatem harum pericoparum oſtendit. In Procemio præmiſſa brevi de
p. 6. antiquitate diei Dominicæ tractatione oſtendit tum iis, tum feſtis diebus ſingulares quasdam lectiones in uſu fuiſſe. Evan-
14. gelicas pericopas occaſione ſectionum Judaicarum, in quas legem & Prophetas diſtinxerunt, ortas eſſe judicat, & de tempore
16. varias opiniones adducit. Noſter vero accurate admodum
31. procedit, ut harum pericoparum ſuaſores, inceptores, autores atque emendatores a ſe invicem diſtinguat, & pericopas Feſto-

rum

rum a Dominicalibus diſcernat. Prima ergo feſta, in quibus ob beneficiorum divinorum recordationem textus peculiares inſtituti ſunt, fuerunt Seculo ſtatim I Paſcha & Pentecoſte, ſucceſſere Sec. II Natalis J.C. Sec. IV feſtivitas S. Stephani & Jo- p. 43-46. annis Evangeliſtæ, Sec. VI feſtum Circumciſionis, & ſic reliqua 53. etiam Sanctorum feſta commemorantur. In ſingulis ita ſe gerit Autor, ut ex monumentis hiſtoricis, homiliis item V. E. Doctorum, & Lectionariis antiquis, quæ probare ſuſcepit, rectiſſime comprobet. Dominicalium vero pericoparum ex 65. Græcis primum meminit Chryſoſtomus, ex Latinis Hieronymus, cui etiam Liber antiquus Evangeliorum, *Comes* inſcriptus, vindicatur. Ii autem, qui has pericopas inſtituerunt, ad ſtatum Eccleſiæ ſuorum temporum ſemper reſpexerunt. Sic Arianis temporibus textus egerunt de miraculis Chriſti θεανθρώπȣ, reli- 70 quæ occaſione data additæ ſunt, quam noſcere non ſemper utiq; poſſumus. Succeſſerunt ſingulis ſeculis quædam mutationes, quas omnes curioſe ſatis Autor excuſſit. De pericopis epiſtoli- 93. cis primo loco variorum Autorum ſententiæ proferuntur, in reliquis eodem modo proceditur, ut feſtorum ſingulorum textus enarrentur. De diebus Dominicis ante Hieronymi tempora ni- 107. hil conſtat, poſt ejus vero ætatem epiſtolas in uſu fuiſſe teſtatur Lectionarium vetus Gallicanum.

Sequitur caput ſecundum, in quo de harum pericoparum dignitate judicat Autor noſter, ubi tres omnino claſſes occurrunt. Prima eſt eorum, qui eas abjiciendas putant, quos inter 113. ſunt Reformati, ex noſtris vero Spenerus, Benthemius & Ar- 117. noldus. Altera eorum, qui pro iisdem, tanquam pro aris & focis pugnant, quorſum Lutherani plerique pertinent. Tertiam conſtituunt illi, qui eas neque rejiciunt neq; nimis ſuperſtitioſe 122. defendunt, inter quos ſunt Lutherus, Dannhauerus, Mayerus, & alii ex noſtris. Noſter de iisdem eodem modo judicat, & in ſequentibus prolixe oſtendit in Evangeliis dierum tum feſtorum, 129-135. tum Dominicalium pleraſque pericopas a textu ſuo minus recte 131.137. ſejunctas eſſe: illarum ſeriem ordinem hiſtoriæ ſacræ turbare & auditores confundere: deeſſe in iisdem articulos quoſdam fidei, quæ adeo per integrum annum non pertractantur: adeſſe 147.

 abuſus

abuſus tum ex parte Doctorum, qui Poſtillis, quas vocamus, ſegniores in meditando verbo divino redduntur; tum ex parte
p. 151. Auditorum, quorum attentioni perpetuo iterum occurrentia impedimento ſunt. Unde tandem Noſter concludit, non adeo commode proponi hodie pericopas Evangelicas, majori omnino Eccleſiæ commodo futurum ratus, ſi autoritate ſynodi cujusdam alii textus biblici, non item annui, ſeligantur: ad obje-
156. ctiones vero quasdam breviter reſpondet. Sectio 2 hujus capitis eadem methodo, quid de pericopis epiſtolicis ſentiendum ſit, aperit, quæ nos repetere ex re haud putamus.

SAMUELIS WERENFELSI, BASILEENSIS, Diſſertationum Volumina duo, quorum prius de Logomachiis eruditorum & de Meteoris orationis, poſterius Diſſertationes varii argumenti continet.

Amſtelodami, apud. Rod. & Gerh. Wetſtenios H. F. F. 1716, 8. Alph. 2 pl. 2.

NOnnulli ex Cl. Werenfelſii amicis, quos inter ſuum, in Partis alterius principio, nomen J. Ludov. Frey, D. & P. Baſil. profitetur, cum intellexiſſent, quædam a laudato Autore curatius elaborata Schediaſmata alias ſeorſim, diſſertationum Academicarum inſtar, vulgata, non ſine fructu a *pluribus* evolvi poſſe, conſilium ceperunt, de iis junctim in lucem publicam proferendis. Inde nata eſt præſens collectio, cujus portionem, nimirum illam de Logomachiis eruditorum *diſſertationem*, jam alias laudavimus in Actis noſtris A. 1693 p. 53 ſq. Dicemus igitur de ceteris. P. I p. 271 inſerta eſt de *meteoris orationis diſſertatio*, quæ de oratorum *dictis in ſpeciem ſublimibus & re vera inanibus ac vitioſis* ex inſtituto agit. Oſtendit autem nomen μετεώρου, quod olim idem, quod ὑψηλὸν notabat, abutentium culpa, fato multis aliis vocibus communi, in pejorem partem tractum fuiſſe, adeo, ut & a Longino ὑψηλὰ, vere ſublimia, & μετέωρα, vanam granditatis ſpeciem præ ſe ferentia, expreſſis verbis diſtinguantur. Hinc quid ad orationem grandem & ſublimem requiratur, docet Scilicet poſtulat res ſublimes, excellentes & admirandas, ſive judicio Philoſophorum tales ſint, ſive tales habean-

Digitized by Google

habeantur aut communi omnium hominum, aut eorum ſaltem, apud quos verba facimus, opinione; iis par requirit oratoris ingenium ac vigorem, præcipue vividioris imaginationis vim, in Poetis maxime conſpicuam, cum judicio acri ac incorrupto conjunctam. Poſt abſolutam in mente, judicioque probatam rei magnæ imaginem, videndum cenſet de verbis eandem æquantibus. Illa autem ſublimitatem nanciſcuntur, vel autoritate utentium, vel ſono, vel quæ inprimis attendenda venit, ſignificatione: circa quam monet obſervandum, ut adhibeantur verba non tam ea, quæ res magnas ſignificant, ſed quæ plus & omnium efficaciſſime eas deſignant. Huc refert illa Ciceronis in Senatu dicentis: *Senatus hoc intelligit, Conſul videt:* humilior enim fuiſſet oratio, ſi dixiſſet: Vos intelligitis & ego video. Hinc progreditur ad animum ſublimem, a quo ſolo grandis proficiſci poteſt oratio, deſcribendum. Magnum autem vocat animum, qui omni affectu in res magnas & eximias fertur, iis unice delectatur, viliores deſpicit, in omni fortuna conſtans eſt, liber, ſimplex, verique tenax. Hunc exiſtimat pingi integro orationis habitu, ſparſis per orationem ſententiis & apophthegmatibus. Verum recte ex his omnibus colligit, orationem ſublimen rem eſſe multo difficillimam, quam dum non aſſequuntur, qui eam affectant, incidunt in μετέωρα; de quibus nunc agit, eorundemque tria conſtituit genera: 1 quando oratio vere ſublimis rei humili accommodatur, 2 quando in argumento magno deeſt granditas orationis, 3 quando nec res ſublimis eſt, nec adeſt orationis ſublimitas. Prius vitium originem ducere duabus ex cauſis inquit; vel cum majoris facimus res leves, quam re vera ſunt, vel exiſtimamus apte de re nulla dici poſſe, niſi magnifice dicamus. Illuſtrat hæc exemplis *Jul. Caeſ. Scaligeri*, filio ſuo *Sylvio* Latini ſermonis accuratiorem rationem intempeſtiva verborum pompa commendantis: & *Chriſt. Longolii*, ſemet adverſus leves accuſatiunculas maximo clamore tuentis. Addit etiam, in idem vitium non raro incidere pleroſque maximorum virorum imitatores, eos ſcilicet, ut interpretamur, qui judicii imbecillitate laborant: & tales, qui magnis ubique nominibus abutuntur, quod non magni cujusdam ex antiquitate viri auto-

Digitized by Google

toritate eſt comprobatum. Alterum meteori genus apud illos licet deprehendere, qui ſublime judicant id, quod obſcurum, imo quod inſolens, rarum & extraordinarium eſt: qui tropis illatis ſæpe plus amittunt, quam lucrantur; qui nimis exquiſitum in cunctis ornatum affectant, in quo tamen prudenter modus ſervandus erat. Huc ſpectant meteora turgida, ſive quidam granditatis exceſſus, in ſoluta ligataque oratione obvius. Tandem peſſime peccant inter omnes, quibus videntur ſublimia, quæ ſuperba, quæ ferocia, imo impia exiſtunt, qui error eo eſt vulgatior, quia quotquot ſumus, ſuperba ſumus animalia, qui verborum immoderata arrogantia nimium quantum delectamur. Tertium meteori genus inter omnia maxime ridiculum eſt, quia & res ineptas verbis inepte turgidis deſcribit, id quod exemplis quibusdam manifeſtius a Cl. Autore oſtenditur.

In Parte altera harum Diſſertationum occurrit I Epiſtola ad Theodorum Gernlerum, in qua, quid de amicorum, ſuarum diſſertatiuncularum editionem ſtudioſe urgentium, conſiliis exiſtimet, liberius exponit, ægriusque ferre videtur illa molimina, quibus ſchediaſmata non curate ſcripta, ſed pene effuſa, non orbis literati luci, ſed umbræ academicæ deſtinata, protrudere in publicum laborabant. Epiſtolam excipit II *Schediaſma de ſuperſtitione in rebus phyſicis*, in quo apte admodum & graviter eorum redarguit vaniſſimam perſuaſionem, qui *neſcio quos admirabiles & prope divinos cauſis naturalibus tribuunt effectus, tametſi nullam inter cauſam & effectum connexionem ratio excogitare poſſit, neque latentem nexum conſtans experientia confirmet.* Nexum Phyſicum inter cauſam & effectum ponit duplicem; generaliorem, quando nil aliud comprehendimus, quam quod corpus motum contactu ſuo movere aliud, & talem effectum producere poſſit; & ſpecialiorem, quando & modum agendi diſtinctius capimus. Notat data occaſione commenta Phyſicorum aſtrologizantium, & eorum, qui numeris ſingulares virtutes ineſſe contendunt, quique experientiam ſolam, plerumque incertam, quandoque manifeſto falſam, audacius & ſine ratione crepant. III p. 28 ſqq. legitur *Judicium de Argumento Carteſii pro exiſtentia Dei petito ab ejus idea.* In principio obſer-

vat,

vat, affici injuria Carteſium a pluribus, exiſtimantibus, eum, neglectis argumentis certioribus, levia tantum ſectatum, ut atheorum impietati patrocinaretur. Docet igitur, ſyſtematis ſemel concepti, in quo exiſtentia Dei, ante operum divinorum contemplationem, præſtruenda erat, rationem, anſam, ex idea Dei Dei exiſtentiam demonſtrandi, præbuiſſe. Duo autem ſunt, quæ ab idea illa petit Carteſius, argumenta: unum a poſteriori, ſcilicet mentem ideam Dei non habere a ſe, ſed a cauſa quæ formaliter contineat omnes perfectiones, quas idea habet objective; alterum a priori, quod nimirum exiſtentia neceſſario contineatur in idea Dei; ſed notat Cl. Autor ſophiſma hic latere, ab ipſo Carteſio non obſcure patefactum. Dum nimirum operoſus eſt medit. III in demonſtranda hac propoſitione, Deus exiſtit, quæ dicenda erat nullius indiga demonſtrationis, ſi prædicatum tam clare contineretur in idea ſubjecti. Fallaciam vero in eo ſitam putat, quod Carteſius absque ullo fundamento ponat, exiſtentiam in mente objectivam ſemper cum exiſtentia neceſſaria & reali extra mentem copulatam. Huic judicio additæ ſunt IV *Vindiciæ de argumento Carteſii contra Epiſt. apolog. I. H. S. p. 63 ſq.* quibus levibus quibusdam ſibi propoſitis objectiunculis cenſuit occurrendum. In diſſertatione *de Loquela*, quæ nunc V ſequitur p. 111 ſqq. oſtenditur imperfectio linguæ repræſentativæ, & perfectio ſummaque opportunitas linguæ vocalis, quæ & formatu facillima & varietati rerum deſignandarum utiq; longe eſt aptiſſima. Accedit ad linguæ primigeniæ conſiderationem: negat p. 155, a Deo homini infuſam fuiſſe naturalis cujusdam linguæ notitiam: ſpeciatimque quod Ebræa lingua talis haberi nequeat, inde monſtrare conatur, quia ceteris non facilior, nec leviori opera diſcitur. Pag. 158 ſq. negat Cl. Autor, Adamum indolem rerum, præcipue animantium, penitius perſpectam habuiſſe, nominaque indoli apta ab eodem fuiſſe aſſignata, in quo ſuffragari eidem haud poſſumus. Sed tamen non penitus negat primævi ſermonis divinam originem, conceditque, Deum magiſterio quaſi ſuo præiviſſe Adamo, linguam vocalem condituro, dum nimirum frequentiſſimo in commercio ſonis quoque articulatis ad Adamum uſus eſt: putat adeo ex colloquiis

quiis divinis, memoriæ ſingulari felicitate, Adamum voces ſive nomina rerum potuiſſe retinere. Pag. 165 tandem contendit linguam inde ortam in ſtatu innocentiæ manſiſſe adhuc rudem admodum atque imperfectam. P. 167 eam ſequentibus temporibus & perfectiorem redditam & varie immutatam fuiſſe, donec ingrueret divino judicio linguarum confuſio, in qua voces retentæ rebus diverſis, antiquis nempe ſignificationibus oblivione quadam ſublatis, tribuebantur, ut inſervire prioribus finibus, abſque plurium peculiari conſenſu, haud poſſent. VI p. 187 ſqq. legitur de *Finibus mundi Dialogus*, cui p. 225 adduntur VII *de figura mundi Theſes*. In Dialogo ſub Philalethæ perſona confutat infinitatem mundi Carteſianam ex eo, quod extenſus ſit, quod partes habeat, quæ infinitæ eſſe nequeant, quodque ſpatium menti, terminos mundi cogitanti, occurrens revera imaginarium & ens rationis exiſtat. Figuram vero ſphæricam conjicit, quæ omnium maxime æquabilis ordinataque videtur. VIII de *Atomis* quædam meditata p. 239 refert: nimirum extenſi diviſibilitatem in indefinitum admittit, inde vero inferri poſſe, quod non dentur atomi, negat, potius cenſet, ex eo ſequi atomos dari innumerabiles & numero indefinitas, ut tot concipere non poſſimus, quin plures revera inſint corpori. IX ſequuntur *Aſſertiones & Quæſtiones de tempore* p. 285 ſq. In iis, quod tempus quantitas durationis aptiſſime nominari queat, poſt alios, aſſerit. Ariſtotelis vero definitionem non quid tempus ſit, ſed quomodo innoteſcat, oſtendere, & ad determinandum tempus commodiorem menſuram motu, tanquam duratione notiſſima, haud dari, docet. Pergimus ad X, Dialogum ſcilicet *de Animæ immortalitate*, p. 307. Animæ naturam ſitam in cogitatione putat; cogitans vero, quia non extenſum eſt, partes non habet, diſſolvi ergo in tales nequit, cum igitur deſtrui poſt corporis deſtructionem nequeat, multo minus intereat ſecundum ſubſtantiam, quod ne quidem de corpore dici poteſt, & tamen ſine cogitatione eſſe non poſſit, concludit, animam poſt mortem non perire, ſed vivere, ita quidem, ut cogitet. XI ſequitur *Philoſophiæ moralis ſpecimen* p. 315 ſqq. Diviſit idem in partes quatuor. In primo monſtrat, quid ſit ſecundum rationem vivere, in ſecun-

Digitized by Google

ſecunda incitamenta; in tertia impedimenta virtutum; in quarta exercitationes, quibus ad habitum acquirendum uti queamus, commendat: ſed omnia paucis lineis abſolvit. In *Theſibus ex variis Philoſ. partibus* XII, p. 327 relatis, improbat ſententiam alicujus Philoſophi ſtatuentis, judicium eſſe compoſitionem vel diviſionem nominum per verbum *eſt*, & *non eſt*. Num. XXIII aſſerit, plurima illum ſcire, qui nullum unquam ſyllogiſmum fecit, quæ ſententia de propoſitionibus intellecta defendi vix poteſt. Conſtitit enim dudum omnem veritatem per ſyllogiſmum, naturale illud ſubſidium ideas connectendi & ſeparandi, cognoſci. Annectuntur ultimo loco Oratio de Comœdiis, quam adoleſcens adhuc compoſuit, quaque earum uſus defendit, tum exarata ſermone Gallico Philoſophi deſcriptio, & Epigrammata Latina varia.

LES ELOGES DES HOMMES SAVANS TIREZ DE L' Hiſtoire de Mr. de Thou.

i. e.

VIRORUM DOCTORUM ELOGIA EXCERPTA ex Thuani Hiſtoria, cum additamentis, compendium vitæ ipſorum, de iisdem judicia & catalogum operum continentibus, Autore ANT. TEISSERIO, Conſil. & Hiſtoriogr. Regis Boruſſiæ. Quarta editio, correcta, & per innumeras novas obſervationes quarto tomonunc aucta.

Tom. IV.

Lugd. Bat. apud Theod. Haak, 1715, 8.

Alph. 5 pl. 7.

TAnta literatorum æmulatione excepta eſt opera, quam doctiſſimus Teiſſerius communi omnium applauſu probatis Thuani virorum doctorum elogiis præſtitit, ut jam quartum illa in publicum prodeuntia decora gratitudine excipiant. Id vero egerat Thuanus, inter recentioris ævi hiſtoricos facile princeps, ut integri ſeculi enarrationi, eruditorum ſingulis annis mortuorum, plus quadringentorum, ſubjiceret elogia, breviter equidem abſoluta, ſed quæ illa potiſſimum comprehenderent, quibus egregie de publica re eſſent meriti. Verum diſperſa legeban-

Digitized by Google

gebantur in vaſto & magni pretii opere, ut non niſi impedito ſtudio conquiri poſſent; & propriorum nominum ex vernacula quarumque gentium in Latinam linguam converſio obſcura reddebat illa; hinc interpretationem, quam in ſermonem Gallicum jam ante Rierus, Academiæ Gallicæ Socius ſuſceperat, adoptavit & ſupplevit Teiſſerius. Cumque propter brevitatis neceſſarium ſtudium, nec vitæ cujusquam ordine contextam ſeriem, nec operum editorum perfectum indicem pertexere Thuano licuiſſet, hoc ipſum præſtare, conquiſitis aliorum etiam de iisdem teſtimoniis, Clariſſ. Teiſſerius contendit. Et primum quidem, cum jam perſecutionis illius Gallicæ gravis tempeſtas propius immineret (quare & maturandum opus putavit) anno 1683 Genevæ in lucem edidit, quam editionem mox altera, Lugduni expreſſa, ſecuta eſt. Sed feſtinatio errores genuit, quos Cl. Bælius in Dictionario hiſt. crit. paſſim indicavit, quare multos in ſecunda editione anno 1696 Ultrajecti excuſa ſuſtulit, eandemq; plurimis novis obſervationibus additis locupletiorem reddidit, cui deinde novum additionum volumen ſeparatim Berolini 1704 ſucceſſit, quod ut in Actis A. 1704 p. 441 indicavimus, pro complemento operis haberi poterat. Verum, neque ſic defecit diligentiſſimi Autoris ſtudium, ſed novam nuper editionem molienti bibliopolæ non exiguam ſupplementorum farraginem liberaliter ſuggeſſit, & errores diligentiſſime correxit, in quibus quidem induſtriam ejus effugit, quod in novo tomo Berolinenſi in vita Andreæ Alciati p. 17 allegentur *Gaſpard Gudii* epiſtolæ, pro *Marquardi Gudii*, quod ſphalma in nova hac editione tom. I p. 74 repetitum eſt. In vita Jo. Rivii merito ridet doctiſſimus Teiſſerius Ryeri, Thuani interpretis, lapſum in verbis: *annos cum ſeculo numerabat*, quæ Gallica fecit *agé de cent ans*, cum Thuani mens eſſet, cum ſeculo vivere incepiſſe Rivium atque 53 ætatis & ſeculi anno deſiiſſe: verum neſcimus an ſatis ad mentem ipſius Thuani verba, quibus Rivium dicit, *pueritiæ & juventuti inſtituendæ operam Zwickaviæ impendiſſe*, ipſe Teiſſerius verterit: *Il fut etabli Profeſſeur a Zwickaw*, & poſt: *Georgio Fabricio in munere ſcholæ regendæ ſucceſſore relicto*, quæ Ryerus interpretatur: *lui ſucceda dans la conduite des etudes*,

quæ

Digitized by Google

qua a Teiſſerio minus animadverſa ſunt, quamvis plane alienum ſenſum inferant. Interim huic editioni minime denegandum, quod jure ſuo omnibus prioribus longe præferri poſtulet. Quod ad Indicem elogiorum univerſalem, quarto Tomo ſubnexum, multo quidem plura eruditorum nomina nunc illic comparent, quam in indice Ultrajectinæ editionis, quod tamen ita ſaltim capiendum eſt, quod eorum qui illic nominantur, præcipue homonymorum, levis tantum in opere mentio injecta ſit; ut cum vitæ Henr. Stephani ſubjungitur, quod alius Henr. Stephanus, Uratislavienſis Juteconſultus, claruerit, cujus quidem aliunde notitiam non habemus. Ceterum Cl. Autor haud diu ſuperſtes fuit editioni huic, quippe A. 1715 d. 7 Sept. anno æt. 83 Berolini exſtinctus.

DISSERTATION CRITIQUE SUR L'ILIADE.

h. e.

DISSERTATIO CRITICA, IN ILIADEM Homeri, ubi occaſione illius poematis, diſquiritur, quæ ſanæ rationi & antiquorum, æque ac recentiorum ſcriptorum autoritati conveniant; Autore Abbate TERRASONIO, Academiæ Regiæ ſcientiarum Socio.

Tomi II.

Pariſiis, apud Franc. Fournier, 1715, 8.

Alph. 2 pl. 6.

PHiloſophiæ ſtudia cum elegantioribus literis conjunxit ingenioſiſſimus Autor, & ſic artis poeticæ regulas ad illorum principia revocare inſtituit, ac Veterum judicia ad eandem trutinam expendere. Tribuit Philoſopho vim aliquam & imperium, unde illis in artibus, quæ a recta ratione dependent, aliorum autoritati non nimis inhærendum eſſe ſequitur. Quod ad Poetica attinet, Ariſtotelem, libello de arte poetica, & P. Le Boſſu, libro de poemate epico, utilia multa tradidiſſe agnoſcit. Sed illum tamen obſcuritate laborare, hunc amori, quo Homerum, Virgilium, Ariſtotelem & Horatium complectitur, nimium indulgere, ac manifeſte in eo errare, quod artes ingenii apud antiquiſſimos Græcos in ſummo perfectionis apice fuiſſe contendat,

Digitized by Google

dat, cum Homeri tempore veluti in infantia fuerint, adoleverint Athenis florentibus, & maturuerint demum ſub Cæſare & Auguſto. Deinde cum per Septentrionales populos cultioris mundi ſeries diu interrupta fuiſſet, Cl. Daceria putat, renatis ſub Franciſco I in Gallia literis Oratores ſubito, & Poetas eximios prodiiſſe, qui ex Veterum Græcorum & Latinorum lectione vim ſuam atque ornatum hauſerunt. Sed contra contendit Terraſſonius, non comparandos illos eſſe cum poſterioris ſeculi ingeniis, ac eloquentiam æque ac poeſin Gallicam tum demum effloruiſſe, cum proprium judicium ſuosque mores ſequi homines incepiſſent, cumque ſpiritus ille philoſophicus Carteſio inprimis autore latius ſe diffundere incepiſſet. Hinc erudite digreditur Athenas, oſtenditque multa illis ad perfectam ingenii gloriam defuiſſe. Tum contra Cl. Daceriam diſputat, quæ Latina Græcis ingenia poſtponit. Præfert illis Ciceronis judicium, ex cujus ſententia, Romani aut invenerunt per ſe ſapientius, quam Græci, aut accepta ab illis fecerunt meliora, quæ quidem digna ſtatuiſſent, in quibus elaborarent. Ad felicem Græciæ orientaliumque populorum ſitum, Solisque quo fruerentur, favorem reſpondet, Regnorum potius, aut Rerumpublicarum tranquillitati, & magnatum in literas favori, aliisque circumſtantiis, quam ingenio aeris, literarum incrementum eſſe tribuendum. Tandem Autor Philoſophiæ, & inprimis Geometriæ, maximam in elegantioribus literis utilitatem probat, utpote quæ libertati ſuæ mentem aſſe.at. Iliadis materiam in *generalem & ſpecialem* dividit Autor, quo de propoſito ejusdem poematis accuratius judicare poſſit. Illam Trojanum bellum, hanc Achillis iram fuiſſe dicit. Laudat generalem materiam, quum Trojanum bellum ad Græciæ laudem non parum contulerit, cui propterea Ilias non potuit non placuiſſe. Aſſentitur etiam Ariſtoteli, quod ad ſpecialem Iliadis materiam attinet, cui Homerus præ ceteris divinus apparuit, quia non totum bellum, ſed partem ejus cantare aggreſſus eſt. Interim negat, hanc partem, quæ de ira Achillis agit, dignam eſſe Epico carmine, imo & anguſtam putat nimis, & ſic fore, ut imputari illi poſſit, quod aliena immiſcuerit, quæ ad Achillis iram, Trojanumque bellum nihil faciant. Id

adhuc

Digitized by Google

adhuc deſiderari poteſt, quod dum terribilem repræſentare Achillem vult, otioſum facit. Ipſum etiam Iliadis initium triplici laborat vitio. Crederes enim prima fronte, Achillem in Græcos impetum facturum, & ira ejus in Agamemnonem tantum innuitur, cum glorioſior ejus in Hectorem ardor fuerit. Imo mors Hectoris, pulcherrimum illud Achillis facinus, plane ibi non prædicitur, cum regula Epici carminis ſit, ut ab initio ſtatim conſilium herois indicetur, quod poſt graviſſima obſtacula feliciter tandem exſequatur. In ipſa Iliade duo contraria proponi putat, dum Græcos adeo effert, qui tamen mox cum ingenti (100000) exercitu exiguam Trajanorum manum ſuſtinere nequeunt, tandemque ad naves repelluntur, neque aliud præſidium, niſi in conciliatione Achillis habent. Longinus περὶ ὕψους extollit Ajacis preces ad Jovem, ut diſſipet obortas tenebras orantis, utpote non vitam ſibi petentis, ſed diem repoſcentis, ut fortitudinem, cujus exſerendæ facultatem ignavæ tenebræ eripuerant, oſtentet. Sed Cl. Terraſſonius lucem illum optare obſervat, non, quod Longino viſum, ut cum Trojanis pugnet, ſed ut inveniat, quem ad Achillem mittere poſſit, quo is, de Patrocli morte certior factus, ad defendendos Græcos adveniat. Quam humiliter porro Græci, & ipſe tandem Agamemnon, inſanienti Achilli morem gerant, quam extra ſcopum ludi in honorem occiſi *Patrocli*, & ſupplices *Priami* preces Hectoris corpus ſibi petentis. Tum docet uſum doctrinæ moralis in poemate, eaque occaſione dramata muſica defendit, & quantum Homerus in Epicum characterem peccaverit in repræſentando heroe ſuo. Regulam ponit, quod heros, quem Poema Epicum proponit, virtutibus ſummis inſtructus eſſe debeat, & in exemplum producit Telemachum: Ilias autem nec in Agamemnone, nec in Achille, nec in Hectore ſibi conſtat. Tum inter heroes, quos Homerus finxit, & illos, quos *Hieroſolymæ liberatæ* Autor Taſſus produxit, comparationem inſtituit, quæ omnino, ſimul cum iis, quæ in fine de arte characterum Autor diſſerit, legi merentur. Deos alios depingere non potuit, quam craſſa illius temporis ignorantia & paganiſmi tenebræ permiſere. Sed aliter ſe res habet cum illis, qui hodie in id laborant, ut Deos injuſtos,

ridiculos, rixoſos defendant, ipſis gentilibus pejores, quorum multi Homeri doctrinam damnarunt; Jupiter adeo impotens animi deſcribitur, ut Dii inferiores in illum conjuraverint, regnoque fere expulerint. Sequitur nubes exemplorum, quæ injuſtitiam & malitiam Deorum probent, ut nec ipſæ, quæ in Iliade adducuntur perſonæ, ſive ex Deorum numero, ſive homines ſint, Jovis juſtitiam agnoverint. Aggreditur poſtea rationes, quibus Homeri autoritatem hodie defendunt. In eo inprimis prolixus eſt, ut falſas eſſe oſtendat, quas ſibi fingunt in Diis Iliados allegorias, quaſi Jupiter Deum, Minerva ejus ſapientiam, Mars fortitudinem ſignificet, quæ tamen divinæ eſſentiæ attributa cum ipſo ſæpe Deo pugnant, ſibique contradicunt, quæ latius Autor deducit. Sequuntur moralia & phyſica ſimilia, quibus uſus Homerus; ubi Autor multa cum eruditione contra illos pugnat, qui ad Homeri excuſationem S. Scripturæ locis abutuntur, imo ex hac illum multa ſumſiſſe credunt, vel Homeri ſcribendi rationem cum Autoribus a Deo inſpiratis comparant. Ultimo loco miracula ficta, prœlia, ſermones, præcepta & ſententiæ morales, & ipſe ſtylus, examinantur.

Des Deutſchen Reichs-Archivs Spicilegium Eccleſiaſticum.

h. e.

ARCHIVI IMPERII GERMANICI SPICILEgium Eccleſiaſticum ſive Germania Sacra Diplomatica, collecta a JO. CHRISTIANO LUNIGIO.

Tomi IV.

Lipſiæ apud Heredes Frid. Lanckiſii, 1716, fol. Alph. 52.

ABſoluto XIII Tomis *Archivo*, quod Cl. Editor vocat, *Imperii Germanici*, cujus mentionem Anno ſuperiori Menſe Decembri fecimus, in eo erat ut Indicem operis integri ederet locupletiſſimum. At cum inter hæc multi deſiderarent, paulo plura, quod ad ſtatum Eccleſiaſticum, monumenta exhiberi, atque

in

in his aliqui liberalius ſymbolas ſuas conferrent, non abs re duxit Cl. Editor, novum quoddam Spicilegium Eccleſiaſticum concinnare, quod IV Tomis prodiit, Tomos Archivi XIV, XV, XVI & XVII conſtituentibus. In Præfatione Archi-Epiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum & Abbatiſſarum pronam in communicandis ſchedis voluntatem debitis laudibus extollit. Luget tamen nonnullarum Eccleſiarum fata, quæ ſuas fundationes bello, incendio aut aliis adverſis caſibus amiſerunt. Monet etiam, ſe litibus de quorundam diplomatum fide nolle immiſceri, officio ſuo ſatisfactum ratus, ſi, ut oblata ſint diplomata ſedulo atque fideliter ederet, de quorum fide atque antiquitate alii diſpexerint. Alphabetico in collocandis Epiſcopatibus &c. ordine uſus eſt, ne juribus illorum præjudicare velle videretur, quanquam & in quibusdam ſerius transmiſſis ordo mutatus fuerit. Ceterum Viros doctiſſimos, quorum opera in colligendis hiſce voluminibus uſus fuit, quo nomine inprimis Cl. Uffenbachium Francofurtenſem celebrat, ut eadem benignitate ſibi in colligendo *Spicilegio Seculari* auxilio eſſe velint, decenter rogat. Hujus editionem ſe, ſimul ac occaſio id feret, moliri dicit, quo inprimis Comitum atque Baronum Imperii jura illuſtrabuntur. Idem demum Index generalis excipiet.

Nunc de ordine tantum, quem in hoc *Spicilegio Eccleſiaſtico* ſervavit, aliquid dicamus. Tomo I Generalia tam antiquiſſima quam nova, Chriſtianam in Germania fidem reſpicientia, diplomata, concilia, literæ, Comitiorum Receſſus continentur. Tomus II Moguntinum, Trevirenſem, Colonienſem, Salisburgenſem, Veſontinum, Magdeburgenſem & Bremenſem Archi-Epiſcopatum & ordinem Teutonicum Johanniticumque complectitur. Tomus III de Epiſcopatibus; IV de monaſteriis, Abbatibus & Abbatiſſis immediate imperio ſubjectis agit. Vetat rerum notatu dignarum moles, quo minus ſpeciminis loco quædam excerpi poſſint. Ceterum, quibus Cl. Lunigii ſumma integritas, diligentia & ampliſſimum commercium literarum cognita ſunt, de operis præſtantia ſatis, ut credimus, perſuaſi ſunt.

Des Heil. Röm. Reichs Staats Acta von jetzigen XVIII Seculo.

i. e.

SACRI

SACRI ROMANI IMPERII ACTA PUBLICA Seculi decimi octavi opera CASSANDRI THUCELII. Tomus II.

Francof. & Lipſiæ, apud Joh. Felicem Bielcke, 1716, fol. Alph. 10.

PRodit jam Tomus Actorum Thucelii Secundus, cujus (prioris enim M.Sept. anni ſuperioris mentionem fecimus) nunc quoque brevibus ratio reddenda eſt. Inſeruit Autor Cel. huic Volumini ſcripta anno 1702 inprimis variis linguis conſignata, nonnulla etiam partim in priore omiſſa, partim ob cohærentiam rerum ex annis 1701 & 1703 huc referenda; inpoſterum vero Acta cujusvis anni ob rerum copiam ſe duobus Tomis editurum, & quinis Voluminibus Indicem copioſiſſimum additurum pollicetur. Præterea ut rigidæ quorundam cenſuræ reſpondeat, Acta iſta ex Electis Juris Publici, Lunigii Operibus vaſtiſſimis, & aliis laude quidem ſua haud defraudandis petita pernegat, quippe quæ jam ante horum editionem collecta, XVIII Volumina jam compleant. Caput I hujus Tomi Acta circa Articulum IV pacis Ryſvicenſis, & Proteſtantium Gravamina Religionis; Cap. II nonnulla de civibus Evangelicis in terris Cæſareis; Cap. III continuationem litis, quæ Epiſcopum inter Civitatemque Wormatienſem interceſſit; Cap. IV plura ad ſucceſſionem Hiſpanicam & titulos Regis Hiſpaniæ in Auguſtiſſimum Carolum III publice collatos pertinentia continet. Ex his notandæ *Excerptorum hiſtoricorum & Juridicorum de natura ſucceſſionis in Monarchiam Hiſpaniæ Continuationes tres*, ab Ulrico
p. 81. *Obrechto*, uti ajunt, conſcriptæ, in quibus ex Molina, Grotio, aliisque, & hiſtoriarum fide probare Autor conatur, ſucceſſionem cognaticam ſub ipſo adeo Pelagio in Hiſpania fuiſſe introductam; Regnum Hiſpanicum eſſe majoratum, qui nec renunciatione nec teſtamento mutari poſſit; denique Principem aut Populum in ordine ſucceſſionis recepto nihil jure poſſe immutare, licet vel violentia quorundam, vel Regia ſtirpe extincta, electioni re ipſa locus ſubinde relinquatur. Sequuntur Auſtriacis addictiores, *Meditationes ad ſcripta quædam de ſucceſſione in Monarchiam Hiſpaniæ*, Gallica lingua exaratæ; &

Juſti-

Juſtitia Auguſtæ Domus Auſtriacæ in Regna & Provincias Hiſpanicas, cujus Autor ob proximitatem gradus, & jus Repræſentationis, & maſculorum prærogativam Regna hæc Leopoldo invictiſſimo vindicat. Cap. V de fœdere cum Helvetis ob Ducatum Mediolanenſem renovando,& licentia copias apud eosdem conſcribendi; Cap. VI de Transactione-Megalopolitana circa hæreditatem Guſtrovienſem; Cap. VII de pactis dotalibus inter Adolphum Fridericum, Ducem Megalopolitano Strelizenſem, & Johannem, Ducem Saxo-Gothanum; Cap. VIII de litibus inter Fridericum Wilhelmum Ducem Megalopolitano-Suerinenſem & Status Provinciales obortis, & Cap. IX de illius Transactione cum Roſtochienſibus agit. Cap. X lites de ſuperioritate territoriali inter Brandenburgicos ratione Ducatus Magdeburgici, & Mansfeldicos agitatas exhibet, hiſce petentibus, ut ſequeſtratio abrogetur; Brandenburgicis contra urgentibus, ſuperioritatem ipſismet quidem, minime vero bonis a Magdeburgicis occupatis competere; nec ſequeſtrationem tolli poſſe, cum creditoribus illud detrimento ſit futurum; imo a Brandenburgicis ſolum iſtam haud poſſe extorqueri, cum ſimul a Saxonibus conſtituta ſit ſequeſtratio. Cap. XI Legatorum Burgundici & Gallici emigrationem e civitate Ratisbonenſi; & Cap. XII quæ ob crimen feloniæ a Mantuano & Sabaudo patratum evenere, ſiſtunt. Cap. XIII controverſias Colonienſis cum Capitulo ob tributa absq; Statuum Provincialium conſenſu exacta, captumque a Gallis Decanum Capituli Leodienſis, & Statibus Circuli ob milites coactos, fœdus cum Gallis, & copias ipſorum ſub nomine militum Circuli Burgundici in arces ſuas receptas, ac litem de Succeſſione Hildeſienſi tradit; ubi animadvertimus, Colonienſem a Gallis pellectum ſpe, terras ſuas ſeculari conditione induendi, & uxorem ducendi, eademque conſilia anteceſſorem ipſius mente agitaſſe; Capitulum Colonienſe repetiiſſe Cæſarisverdam, a Ruperto Palatino quondam An. 1368 occupatam, & An. 1702 propterea ab Electore Palatino ſibi vindicatam; præterea Colonienſem a ſuis ſibi impoſitum fero agnoviſſe. Cap. XIV turbas Bavaricas & motus inde in Circulo Suevico excitatos; Cap. XV fœdera exteros inter & quosdam Imperii Circulos;

p. 134.

542.

600.

Digitized by Google

Cap. XVI Circuli Franconici apparatus bellicos; Cap. XVII Acta
Conventuum Circuli Suevici; Cap. XVIII Concluſa Imperii con-
tra Regem Galliæ, Ducem Andegavenſem, eorumque ſocios;
& Cap. XIX Brunſuico-Luneburgenſium Jura ſuccedendi in
p. 764. Regna Magnæ Britanniæ commemorant. His junguntur Cau-
ſæ, cur Seren. Mater Electoris Hanoverani, & Princeps Electo-
ralis in Angliam accerſendi, alii vero, qui jus ad hoc Regnum ſibi
tribuunt, rei læſæ Majeſtatis declarandi & omnes Angliæ cives
idem juramento firmare teneantur; qua occaſione Rigidiores
794. clandeſtini favoris in Pontificem & uſurpatorem Regii nominis
incuſantur. Cap. XX Anglorum conſilia adverſus occultas Gal-
lorum fraudes, quas fruſtra illi excuſare conati, & Declaratio
belli contra Gallos; Cap. XXI Clarigatio Belgarum, una cum
814. 816. literis Ducum Guelferbytanorum & Suecorum, quibus rumores
contra ſe ſparſos amoliuntur, & querelis Ducis Montisbelicar-
di contra Gallorum injurias, atque Cap. XXII Literæ ad Regem
Boruſſiæ de ſuſcepta nuper Regia dignitate exaratæ; & Rever-
ſales, quas vocant, Polonis eandem ob cauſam exhibitæ, depre-
henduntur. Cap. XXIII exhibet pacem Danos inter & Holſato-
Gottorpienſes Travendalii initam, & Controverſias inde ena-
tas. Denique Cap. XXIV Miſcellanea, ex quibus haud ſilentio
554. prætereundum Concluſum Collegii Electoralis, *vi cujus* Ele-
ctorum Legati Exteris in loco tertio cedere, aut ipſos *Excellen-
tiæ* titulo compellare detrectant, niſi eodem charactere *repræ-*
865. *ſentativo* gaudeant; tum Edictum Regis Galliæ, quo Nobilibus
ſuis permittit, ut abſque metu Nobilitatis amittendæ mercatu-
869. ram exerceant; Edicta magni Ruſſorum Czarii de libertate Reli-
gionis cunctis in ipſius provinciis degentibus conceſſa, emenda-
tione rei militaris & civilis, atque præcepta, quæ Moderator ſtu-
175. diorum Principis Ruſſorum hæreditarii ſequi teneatur; tum & li-
teræ Jeſuitarum ad Pontificem de cultu Sinenſium.

JO. GEORGII GRÆVII COHORS MUSARUM, ſive hiſtoria rei litterariæ, nec non hiſtoria bibliothecalis cum ſynopſi rei numariæ & ratione temporum, accurante WOLPHERDO van BUEREN.

Trajecti ad Rhen. apud Jacob. van Poolſum 1715, 8.
1 Alph. 2 plag.

Hæc

Digitized by Google

HÆc cohors Muſarum, quæ celeberrimi Jo. Georgii Græ-vii nomen præ ſe habet, partim hiſtoriam rei literariæ, partim hiſtoriam bibliothecalem complecti traditur. Hiſtoria rei literariæ ad epocharum ordinem accommodata eſt, ita, ut diſputentur quædam de rei literariæ fatis primum ante diluvium, de aſtrologia atque aſtronomia: deinde ex tempore diluvii ad exitum Iſraelitarum ex Ægypto, de artibus quippe magicis apud Ægyptios, de Atlante & Prometheo, omnium rerum inventoribus, de ſcriptis Noachi, Chami, Sambethæ Sibyllæ, de oraculis Sibyllarum, de ſcriptis Jacobi, Zoroaſtris, Perromedis, Hermetis Triſmegiſti, Sanchoniathonis; tertium ab exitu Iſraelitarum ex Ægypto ad templum Salomonis, de ſtatu populi Iſraelitici, de imperio Ægyptio, de regno Sicyoniorum apud Græcos, de regno Argivorum; de regno Thebano; Cretenſium a Minoe Jovis alumno legibus inſtituto; de Thebano bello & Argonautarum in Colchidem expeditione; de ſcriptis Moſis, Joſuæ & Judicum; de tragœdiis in regno Mycenarum & Argivorum; de inventione literarum in re publica Judaica, de arte poetica apud Græcos; de Orpheo, Muſæo Athenienſi, Amphione Dircæo, Eumolpo Athenienſi, & de Chirone Theſſalo: quartum a templo Salomonis ad captivitatem Babylonicam, de regnis Aſſyriorum & Ægyptiorum, de initio Olympiadum, de Herodoto Halicarnaſſenſi, ſeptem Sapientibus, Homero, Heſiodo, Piſiſtrato, Herophilo medico; quintum a captivitate Babylonica ad Chriſtum, de variis hiſtoriarum, juris & philoſophiæ Autoribus: quibus breviter abſolutis, neſcio quo ordine Autor iterum ſeſe convertit ad ſecula quintum, quartum, tertium, ſecundum, primum, & turbatim variarum ſcriptores ſcientiarum commemorat, ita ut nulla temporis ratio ſit habita. Hiſtoria bibliothecalis inſervire debet notitiæ Autorum & librorum, inprimis philologiæ, quippe quæ XII ſectionibus abſolvitur: prima earum diſſeritur de bibliothecarum catalogis, qui vel libros manu exaratos, vel impreſſos tantum complectuntur: ſecunda de ſcriptoribus, qui vel maxime ſpecialem Autorum & virorum clarorum literatorum notitiam nobis ſuppeditant, tertia de catalogorum & bibliothecarum ſcriptoribus, qui vel ſcripta tantum & opera, vel etiam elogia & vitas omnis generis Autorum & de iisdem judicia col-

Digitized by Google

legerunt, item, qui quorundam tantum virorum doctorum vitas, plerumque etiam ſcripta ſpeciatim exhibent: quæ particularis notitia reſpicit Autores vel certi temporis, vel unius nationis, vel loci, vel diſciplinæ, vel ordinis, vel ſexus; quarta de ephemeridibus, collectaneis libris, anonymis, pſeudonymis, & plagiariis; de ſcriptoribus, qui de homonymis egerunt; quinta de literarum uſu & origine & artis typographicæ inventione; ſexta de linguis; ſeptima de bibliothecis; octava de ſcientiis philologicis, & ſpeciatim de grammatica; nona de lexicis etymologicis & gloſſariis; decima de ſcriptoribus proverbiorum; undecima de criticis & arte critica; ultima de arte rhetorica & claris rhetoribus. Hiſce addita eſt breviſſima ſynopſis rei numariæ & ratio temporum, quæ haud brevior potuiſſet proponi. Omnia hæc momenta ita ſeſe exhibent, ut nemo, qui harum literarum tenet cognitionem, & ingenii Græviani excellentiam habet perſpectam, ſibi ſit perſuaſurus, fœtum hunc ab ingenio clariſſimi Grævii eſſe excluſum. Quævis propoſita ſunt turbatim, ut nullius temporis, nec ullius rerum connexionis ratio ſit habita, ſive Autorum ſive librorum & aliorum argumentorum notitiam reſpiciamus. Ad hæc maxime neceſſaria prætermiſſa ſunt ſilentio, quod facile patet, ſi exempli cauſa ea perlegantur, quæ opus noſtrum de ſcriptoribus vitarum Germanorum, Medicorum, de ephemeridibus, de libris in ANA, de bibliothecis tradidit. Tertium liber hic non plenus eſt, ſed pleniſſimus errorum, *non mediocrium*, ſed ſummorum, ita ut omnibus aliis libris palmam gloriæ hujus queat præripere. Non ab re erit, ſi exempla quædam ſubjiciamus. P. 20 dicuntur oracula Zoroaſtrea prodiiſſe cum ſcholiis *Methonis* & *Crellii* pro *Plethonis* & *Pſelli*. P. 175 accipit *Joachimus Fellerus* prænomen *Ludovici*, quum littera præmiſſa L. ſignificat Licentiatum Theologiæ, nec Fellerus hic eclogam Oxonio-Cantabrig. ſcripſit. P. 190 extat *Antonius Teiſterius* pro *Teiſſier*, p. 204 *Faucherus* pro *Fauchetus*, p. 208 *Gomaſtinus* pro *Tomaſſinus*, p. 214 *Johannes Stouus* pro *Jo. Schopfius*, qui dicitur abbas *Wittebergius* pro *Wurtenbergenſis*, p. 216 *Ziſettus* pro *Zilettus*, p. 218 *Leichenus* pro *Leickerus*, p. 219 *Iſrael. Spachinus* pro *Spachius*, p. 222 *Albiambe* pro *Alegambe*, qui Autor

Digitized by Google

tor eſt Bibliothecæ Jeſuiticæ, quam non *Nathanael Goruellus*, uti dicto loco affirmatur, ſed *Sothvellus* continuavit. P. 229 dicitur, quod Gaudentius Robertus & Benedictus Bacchinus Parmæ 1668 ephemerides ſuas literarias condere aggreſſi fuerint, quæ exitu anni 1698 finem nactæ ſint. Verum conſtat, cœpiſſe diarium hoc prodire 1686, & continuatum ad annum usque 1690. P. 232 multa erronea traduntur de hiſtoria Scaligeranorum, quorum alia prima, alia ſecunda dicuntur, quum Autor ait: *prima ex bibliotheca & cum præfatione Tanaquilli Fabri edita Groningæ 1669, 8, ſecunda in lucem prodierunt Hagæ Comitis 1668, 8, alii ea collecta eſſe affirmant a Johanne Vaſſario, ut Guido Patinus in ſuo Antibaillet Tom. I p 325 edit. Hag.* quæ pauca verba plena ſane ſunt errorum: primum Scaligerana prima debentur Sigonii JCti induſtriæ; deinde Groningæ prodierunt 1669 forma haud octava, ſed duodecima, uti ajunt. Scaligerana ſecunda autem edita ſunt Hagæ Comitum non 1668, ſed 1666, anno vero 1668 recuſa Lugd. Batavor. Porro nemo affirmat, collecta iſta eſſe a *Joanne Vaſſario*, ſed *Jo. Vaſſano:* nec Guido Patinus ſcripſit Antibailletum, ſed Menagius, quamvis Patinus in epiſtolis ſuis de Scaligeranis teſtetur. Ecquis non videt, hæc verba libri noſtri: *ut Guido Patinus in ſuo Antibaillet Tom. I p. 325* ita debere ſuppleri: ut Guido Patinus epiſtolis ſuis ep. 429, 430 & aliis, ac Menagius in Antibailleto tom I p. 352. P. 233 dicitur, Sorberianis præfixam eſſe vitam *Sorberii & Joannis Baptiſtæ Colomeſii;* ſed quis eſt ille Joannes Bapiſta Colomeſius, quum prænomen Colomeſii ſemper fuerit *Pauli?* legas his de cauſis pro *Colomeſii*, *Cotelerii*, cujus vita acceſſit cura Graverolii; ibidem non accuratius ſimpliciter traditur, Perroniana & Thuaniana, rectius Thuana, ſive Thuanea, typis vulgata eſſe 1694, quoniam Thuanea prodierunt Gallice paucis pagellis, induſtria fratrum Puteanorum, 1669, 8; nec Valeſiana 1698 ſed 1694 lucem adſpexerunt. P. 235 prodit ſe *Vicentius Dlacius quidam*, quamquam procul dubio notiſſimus *Placcius* erit, cui Theatrum anonymorum & pſeudonymorum debemus. Pag. eadem *Jo. Deckerus* pro *Jo. Deckherus*, *Petrus Delius* pro *Petr. Bælius* legitur; p. 236 *Leucopetra & Wittebergа* ſunt unum idemque. P. 237 allegatur *Leonis Allatii* diatribe de vitis eorumq; ſcri-

Digitized by Google

ptis, ſed qui intelliguntur voce *eorum*, quum Allatius variorum vitas compoſuerit? P. 249 extat quidam *Dalgatne* pro *Dalgarnus*, qui ſcripſit de arte ſignorum: p.254 affirmatur, *Mallincrotii* librum de ortu & progreſſu artis typographicæ 1693 exiiſſe in lucem, quod 1639 factum eſſe, inter omnes conſtat. Multo minus *Mentelius* ſcripſit *Hiſtoire de l'imprimerie & de la librarie*, ut p.255 traditur, cujus Autor eſt *Joannes de la Caille*; Mentelius autem compoſuit parænefin de vera typographiæ origine: nec *Chevalier* ſed *Chevillier* de origine artis typographicæ commentatus eſt. P.274 dicitur *Lambertus* pro *Lambecius*; p.283 *Magliabechius* mutatus fuit in *Magiabeſrium*; p. 322 apparet *Boethius* de origine fabularum Romanenſium, pro *Huetius*. Hæ ſpeciminis loco ſufficiant, quæ facili negotio augere poſſemus, ſi obſervatione digna eſſent: cuivis, qui mediocri ſtudio in his hiſtoriarum literis verſatus eſt, hujusmodi errata ſingulis paginis occurrunt, ut eo magis mirum videatur, præfixum eſſe operi huic celeberrimum ampliſſimi Grævii nomen. Ita fata interdum ferunt, labem celebritati & famæ alicujus nominis facile adſpergi, præcipue quum editores ex aliorum operibus gloriam affectant nominis. Quod ſi quis Cl. Grævio, veluti Autori monimentum hoc vellet adſcribere, maxime injurioſus eſſet in illius fulgentia erga literarum muſas merita. Nulla veſtigia ingenii Græviani apparent, quamvis Kuſteri, ad cujus Bibliothecam novorum librorum quam plurimis locis provocatur, quod qua ratione ſit factum, definire, muneris noſtri haud erit.

LAURENTII HEISTERI, MED. DOCT. ANAtom. ac Chirurg. Prof. Publ. Altorfini, de Cataracta, Glaucomate & Amavroſi Tractatio, in qua multæ novæ opiniones & inventa contra vulgatas Medicorum, Chirurgorum, Philoſophorum, nec non Mathematicorum ſententias continentur.

Altorfi, literis Jod. Guil. Kohleſii, 1713, 8.

Alph. 1 & fig. æn. Tab. II.

AUtoris in hoc libro ſcopus fuit, novam ſententiam de Cataracta, quam duo Galli, Briſſeau ſcilicet & Antonius Maitre-

tre-Jan, Gallico ſermone publicaverunt, iis quoque notam face-
re, qui vel Gallicam linguam non intelligunt, vel libros eorum
extra Galliam rariſſimos obtinere non potuerunt. Hanc ſenten-
tiam cum Autor noſter veram eſſe ſua quoque aliorumque præ-
ſtantiſſimorum virorum experientia obſervaverit, rei Medicæ
intereſſe credidit, ut etiam extra Galliam magis innoteſceret.
Quod autem, ut eo majori utilitate fieret, noluit tantum eorum
ſcripta Latine reddere, aut ſolum interpretem agere, ſed potius
ſibi propoſuit ſecundum novum hoc ſyſtema integram Catara-
ctæ hiſtoriam conſcribere, & quæ adhuc apud Autores iſtos defi-
cere ipſi viſa ſunt, addere; diſperſa & inordinata in concinnum
ordinem redigere; ſua aliorumq; experimenta ac ratiocinia ad-
jungere; & propterea etiam Briſſæum & Antonium non in omni-
bus ſecutus eſt, ſed ubi eos erraſſe putavit, a ſententia eorum re-
ceſſit, & ſuam protulit: ſicut has ob cauſas haud immerito pro
libro peculiari, ab illorum ſcriptis multum diverſo, ab æquis le-
ctoribus haberi queat: præſertim etiam cum non tam abſolute &
ſemper cauſam cataractæ in opacitate cryſtallini ponat, ſicut
Briſſæus & Antonius, ſed interdum etiam membranulam p.n. aut
aliquid huic analogum in oculo generari poſſe variis in locis
concedit. *Glaucoma* vero, (quod Veteres quidem lentis cryſtalli-
næ vitium eſſe putabant) cum Briſſæo potius *humoris vitrei opaci-
tatem ſtatuit*; quia 1 multo rarius occurrit, quam cataracta; 2 opa-
citas profundius ſe oſtendit, quam in cataracta, & 3 nulla opera-
tione curari poteſt, ſicuti veteres hæc attributa glaucomati ſem-
per adſcripſerunt, id quod §. II, XXVI, LX, LXI, LXII, LXXXVI, &
LXXXIX, prolixius evincit. Sed hæc in genere; percurramus bre-
viter totum libellum. In §. I de cataractæ ſive ſuffuſionis ono-
matologia, in §. II de definitione & differentiis a morbis affini- p. 2.
bus ſecundum hypotheſin ſuam accurate agit. Poſtea p. 9 *ſen-* 4.
tentiam vulgarem de cataracta proponit, de qua vulgo putarunt,
eam ſedem ſuam in humore aqueo habere, cauſamque ejus 9.
proximam conſtituere pelliculam quandam p. n. in dicto hu-
more genitam, quæ foramen pupillæ occludat, & cæcitatem
producat. Adjungit quoque mox, quod veteres circa cauſas &
generationem hujus pelliculæ tam ludicra & abſona figmenta
exco-

excogitaverint, ut vix ſine riſu legi queant: Lectoresque, qui talia figmenta legere deſiderant, brevitatis cauſa ad Sennertum & Riverium ablegat, apud quos, ut & alios, revera ridicula aſſerta reperiuntur. Deinde *novam ſententiam Antonii & Briſſai recenſet*, quod ſcilicet ſecundum hos *ſedes illius morbi, quem Medici & Chirurgi præſtantiſſimi hactenus pro cataracta habuerunt*, (ubi nimirum in oculo mox poſt pupillam opacitas ſive color a nigro diverſus apparet) *ſit in lente cryſtallina, & quod cauſa proxima hujus mali non ſit pellicula ſed opacitas lentis cryſtallinæ.* Hoc ut probet Autor, primo duo experimenta recenſet a
p. 16. ſe ipſo peracta, ubi in diſſectione duorum oculorum cataracta laborantium nullam pelliculam in humore aqueo, ſed lentem cryſtallinam opacam invenit. (*His jam addi poteſt ejusdem Autoris curioſa obſervatio de cataracta quadam lactea rara in diſ-*
18 & ſeq. *ſecto oculo obſervata Ephem. Nat. Curioſ. Centur. IV pag. 469.*) Ab his pergit ad *experimenta a Briſſæo deſcripta* Latine recenſenda, quorum circiter viginti quinque ſunt, in quibus ſemper lens cryſtallina cataractæ cauſa & nulla pellicula reperta eſt; ubi ſimul multæ curioſæ, lectu ſcituque dignæ, circumſtantiæ deſcribuntur. Et ne de veritate horum experimentorum dubitari queat, multos teſtes oculatos fide digniſſimos citat, Medicos & Chirurgos Regios, qui experimentis interfuerunt, & illos oculos veris cataractis, non glaucomatibus laborare obſervarunt: *quia cataractæ* vera ſigna pathognomonica habebant, quos viros jure nemo arguere poterit, quod diagnoſeos cataractæ, *morbi adeo* frequentis, fuerint ignari, ſicuti adverſarii calumniantur, & quod glaucomata pro cataractis habuerint, quæ tamen omni tempore pro morbis rariſſimis habita fuerunt, ſuis ſignis a cata-
66. racta facile diſtinguenda. Tertio quoque *tres Antonii obſervationes* refert, & denique quinque ex Hiſtoria Acad. Reg. ſcientiarum idem teſtantes. Fatetur tamen Autor, *inventum hoc non*
77. *eſſe prorſus novum*, quoniam jam multis olim fuit cognitum; ut Quareo, Rolfincio, Gaſſendo, Laſniero, Borello &c. attamen quia oblivioni rurſus erat traditum, & tunc temporis fere omnibus Medicis & Chirurgis incognitum, imo quod Regia ſcientiarum Societas pro re nova & incognita habuit, æque pro novo

rurſus

rurſus invento haberi poſſe Autor putat, ac ſi quis aliam artem vel ſcientiam olim cognitam & oblivioni rurſus traditam, denuo inſtauraret. Experimentis quadraginta circiter præmiſſis p.84 & ſeq. oſtendit Autor, juxta Briſſæum & Antonium *theori-* P. 84.
am cataractæ & omnia ejus phænomena melius ex nova quam ex vulgari hypotheſi explicari poſſe: ubi vero varia addit ratiocinia, experimenta & Autorum loca, novam ſententiam confirmantia,
quæ apud Antonium & Briſſæum non inveniuntur. Poſt hæc 111.
omnibus adverſariis reſpondet, & inprimis etiam illam objectionem, *quod lens cryſtallina ad viſum abſolute ſit neceſſaria, & cum viſus reſtitutione ſupprimi non poſſit,* fortioribus argumentis refutat, quam antea ab Antonio & Briſſæo factum erat; dum non ſolum per manifeſtas Mathematicas demonſtrationes Tab. I fig. 3, ſed etiam per curioſam machinam, oculum ſcilicet Hugenianum & Mullerianum, Tab. II Fig. 2 & 3 delineatum, ſoli-
de huic dubio ſatisfacit. Deinde Autor adhuc multas alias ob- 182.
jectiones profert & refellit, quæ in illis Autoribus non exſtant.
Prolixus vero non eſt in iis adverſariis refutandis, qui autoritati- 215.
bus pugnare geſtiunt; nam quoniam hæc res ab experimentis dependet, ſine quibus autoritates nihil valent, duobus fere tantum verbis reſpondet, eas *non ſufficere* ad ſyſtema, tot experimentis comprobatum, deſtruendum. Inſimul iis, qui hanc ſententiam rejicere, & ſolum pelliculam cataractæ cauſam ſtatuere conantur, perſpicue oſtendit, quid probare debeant, ſi argumenta alicujus valoris proferre velint: nam non ſufficere membranam p. n. in oculo oſtendere, ſed neceſſum eſſe, ut experimenta producant, in quibus vivis 1 cataracta fuerit depoſita, 2 æger poſtea viderit, 3 poſt mortem inventa ſit membrana ſuppreſſa, 4 lens vero cryſtallina illæſa & in loco naturali, ſicuti defenſores hujus hypotheſis fieri perhibent: talibus requiſitis ſi certa exempla producent, lubens Autor concedet, dari quoque cataractas membranoſas ſanabiles, attamen reliquis longe rariores, & ſimul ſuſtinet, quod hanc ob cauſam ſua non deſtruatur ſententia, quia unius morbi plures poſſint eſſe cauſæ. Quamdiu vero illud non præſtant, ſicut hactenus nondum præſtitum eſt, dubitat Autor, an per acum ca-

Digitized by Google

taracta membranacea ſine cryſtallini aut uveæ læſione ſit ſana-
p. 217. bilis. Progreditur hinc ad differentias, quas accurate deſcribit, & 228. in cauſis remotis tradendis multas opiniones Autorum falſas eſ- 242. ſe ſolidis argumentis demonſtrat. In diagnoſi primo tradit *ſigna, quibus cataracta a glaucomate diſtingui poteſt*: nimirum in cataracta opacitatem mox poſt pupillam obſervari; in glaucomate vero profundius retro pupillam, in loco ſcilicet humoris vitrei. Poſtea docet, quomodo cataracta matura ab immatura
249. ſit dignoſcenda, ſimplex a complicata, vera a ſpuria &c, & tandem de appendiculis Antonii, quas hic in Cataractis adeſſe aſſerit, ſuam ſententiam declarat Autor, easque non tam frequenter
250. obſervari exiſtimat, ut ille perhibet. *Prognoſin cataractæ*, quoad viſus recuperationem, valde dubiam eſſe ait, attamen eam nullum mortis periculum inferre: ſimplices & perfecte maturas reliquis certius curari, & de omnibus aliis ſpeciebus judicium ſuum aperit. In caſibus tamen dubiis præſtare operationem perficere, quam intermittere; quia nec periculoſa, nec valde dolorifica eſſet, atque bonus Chirurgus ſæpe adhuc prodeſſe, raro autem vel nunquam nocere poſſet.

260. Adjungit *prognoſin glaucomatis*, quod partim ratione, partim experientia immedicabile pronunciat, idque adhuc, præter conſtantem Autorum obſervationem, duobus exemplis a ſe ob-
261. ſervatis comprobat. Denique *curationem* deſcribit: ubi vero non in eorum eſt opinione, qui putant nullam cataractam medicamentis eſſe ſanabilem, & ſic deinde quando & *quomodo* curatio per medicamenta optime inſtituatur, enarrat; ubi ſelectiſſima Autorum medicamenta tam interna quam externa recenſet. Quibus vero nihil proficientibus, ſi ulla adhuc curatio-
284. nis ſpes ſupereſt, *ad operationem pergendum eſſe docet*: ubi primo in genere, & deinde etiam in ſpecie Chirurgis multa ſalutaria præcepta tradit, 1 ratione operatoris, 2 Cataractæ, 3 temporis & loci, 4 ægri ejusque præparationis, 5 miniſtrorum, acus & apparatus neceſſarii, 6 ratione [illegible] ægri, chirurgi & miniſtrorum (quod per figuram illuſtrat) & tandem ipſam ope-
297. rationem deſcribit, nec non quid poſt operationem agendum, diætam ægri, & quomodo ſymptomatibus in vel poſt operatio-

nem

nem occurrendum. Denique *utilitates novæ doctrinæ* perſcrutatur, & inprimis etiam acus novæ Briſſæi accuratam delineationem exhibet, (quæ apud Briſſæum minor, quam par eſt, repræſentatur) ejusque præ reliquis præſtantiam oſtendit. p. 302. 309. 313.

Poſtquam cataractæ & glaucomatis pertractationem abſolvit, *amavroſis ſive guttæ ſerenæ* deſcriptionem annectit; id quod facit partim ob affinitatem cum præcedentibus, partim vero & præcipue ob fauſtam pertinaciſſimi alias hujus morbi curationem, quam Autor in fœmina quadam utroque oculo amavroſi laborante præſtitit, & quidem beneficio ſalivationis mercurialis. Quæ methodus cum & aliis prodeſſe queat, eam in ſolatium talium ægrorum cum publico communicare voluit: præſertim cum multi ſint Medici, qui miſeros hos ægros relinquunt, eosque inſanabiles pronunciant. Atque hac occaſione ſimul affectus hujus theoriam accurate evolvit. Brevis quidem eſt tota tractatio, ſed concinna ac perſpicua. Initium facit a 333. recenſione morbi: poſtea ad onomatologiam & definitionem progreditur, eamque ita definit. *Amavroſis eſt abolita actio viſus, ubi nullum vitium in oculo eſt conſpicuum, quam ſolum pupilla ſolito major & fere immobilis.* Oſtendit poſtea partem affectam 340 in hoc morbo (quam Autores vulgo ſolum nervum opticum eſſe ſtatuerunt) quatuor in locis exiſtere poſſe: nimirum 1 in cerebri ſubſtantia corticali, 2 in medullari, 3 in nervo optico, 4 in retina: quia ad viſus ſenſum perficiendum liber motus ſpirituum a ſubſtantia corticali uſque in retinam requiratur. Quinto etiam inquirit, an & quomodo reſolutio humoris vitrei & cryſtallini amavroſin producere poſſit? Pergit deinde ad cauſas 344. recenſendas, & phænomena hujus morbi explicat. Poſtea diagnoſin cauſarum & prognoſin tradit; ac tandem quomodo ſalivationem inſtituerit, totamque curationem abſolverit, omnibus circumſtantiis revelat. 331.

JACOBI CAROLI SPENERI HISTORIA GERmaniæ Univerſalis & pragmatica, cum perpetuis notis.

Lipſiæ & Halæ, apud Felicem du Serre, 1716, 8.

Alph. 2 pl. 1.

Digitized by Google

BEne auguramur hiſtoriæ Germanicæ ex hoc compendio: cujus quidem prior pars, quam nunc recenſemus, ad interregni tantum tempora excurrit. Præterquam enim quod eleganter & prorſus Latine conſcriptum eſt, viciſſitudines Rerum Germanicarum circa fines ſtatumq; civilem & eccleſiaſticum accurate per omnes periodos declarat. Liber I ſiſtit nobis res geſtas Germanorum a prima origine usque ad conditum Francorum regnum. C. I Veteris Germaniæ fines explicantur, quæ Rheno, Danubio, Viſtula ac Oceano terminabatur, donec ferocia incolarum Germanum nomen latius diffunderet. Ex quibus migrationibus variæ illæ nominum ſediumque viciſſitudines oriuntur. Unde & qua via in has oras primum venerint mortales (Cap. 2) non definit Cl. Autor; magis tamen illorum conjecturæ, qui per Pannoniam & Sarmatiam profectos putant, quam hyperboreis per Scandinaviam erroribus favet. C. 3 recenſentur bella, quæ populi ſinguli, nec dum perpetuis conjuncti fœderibus, geſſerunt. Occurrunt hic inter alia expeditiones illorum in Aſiam, Cimbrorum invaſiones, bellaque cum Cæſare, & adverſus Auguſti duces, Druſum primum, deinde & Tiberium, mutuis cladibus geſtæ, & inteſtinæ diſcordiæ. Fœdera autem Germanorum Antonini Philoſophi ætate cœpiſſe, & tum ſenſim fatalis Francorum, Saxonumq; & Alemannorum, potentiæ fundamenta poſita fuiſſe, Autor exiſtimat. Horum itaque populorum, ut & *Gothorum, Longobardorum*, Vandalorumque bella, quibus *deſtructum* tandem Romanorum in occidente imperium fuit, C. IV perſequitur. C. V delineat ſtatum civilem Germanorum, qualis *antiquiſſimo* tempore fuit. Scilicet ubique libertas obtinebat, etiam ubi regium nomen receptum eſſet. Habitabant per pagos, ſæpe & ubi ſylva, aut fons, aut planities invitaret, conſidebant. Rudes cæteroquin & inculti inter venationes ad bellum a pueritia durabantur. Fortitudinis enim præcipua gloria, & paſſim latrocinio etiam quæſita. Alias in ſimplici vita plus boni mores poterant, quam alibi bonæ leges. Mittimus arma, victum, cultumque. Adeo enim conciſa eſt tractatio, ut omnia forent exſcribenda. C. VI ſiſtit ſtatum rerum ad religionem ſpectantium. Ubi quidem crederes Germanos ſenſui tantum communi obtemperaſſe, cum Deos tantum illos crederent, quos cer-

nerent,

Digitized by Google

nerent, quorumque ope manifeſte adjuvarentur. Sed qui ad auguria illorum, & magicas ſuperſtitiones attenderit, mirabitur, peſtem illam frigidioribus æque ingeniis, ac Aſiaticorum & Græcorum animis inſinuare ſe potuiſſe. Alia jam Germaniæ facies L. II apparet, qui a condito Francorum regno usque ad Caroli M. imperium extenditur. Jam enim (C. 1) ultra Rhenum & Danubium unius populi regnum protenditur, dum interim in vacuas Vandalorum cognatorumque populorum ſedes nova ab ortu Slavorum gens ſucceſſit. Priſtina nomina (C. 2) Francorum, Saxonum, & Alemannorum celebritate ſublata ſunt, aut ſub iis continebantur. Sic in Bojoaris Marcomannos, Nariſcos, & forte Quados etiam, in Thuringis Gothorum reliquias, ſive ſeptem fœderatarum ad Suevicum Mare civitatum partes latere exiſtimat. Tum C. 3, 4, 5 hiſtoriam continuat. Dum autem ſtatum civilem C. 6 ſubjicit, Friſios ſub Regibus, Saxoniam liberam, Bojoariam, Alemanniam, Thuringiam, novam Franciam, quam Franconiam vulgo appellant, ſub Ducibus Francicis nobis repræſentat. Privata gentium inſtituta e legibus illarum quæ ſuperſunt colligere licet. Quantum autem ad publicum jus Regni Francici attinet, Regum vim procerum populique autoritas temperabat. Negotia publica in comitiis tractabantur, quibus Epiſcopi, Abbates, Duces, Comites, & minores etiam magiſtratus intererant. Provinciis Duces, & ſub iis Comites, paucis exceptis, judiciis præerant, atque his centenarii, & alii inferiores judices ſubordinati erant, iisque omnibus æque ac aulæ miniſtris, pro ſalario prædia clientelari lege conceſſa. Quæ deinde temporum viciſſitudo in feuda hæreditaria commutavit. C. 7 ſtatus ſacer deſcribitur. Idem L. III & ſequentium ordo. Ubi itaq; C. 1 fines Germaniæ, qualis ſub Carolingis fuit, deſcripſit, C. 2 Caroli M. res explicat. Fuit is Princeps auguſta forma, decora & gravi facie, animo gloriæ & dominationis cupidiſſimo, nec ab amoribus alieno, ſed juſti, & æqui, & antiqui retinente. Primus omnem Germaniam imperio complexus, partem quoque Hiſpaniæ, & Longobardicum regnum, una cum Urbe Roma tenuit, renovatumque Auguſti in occidente titulum, ſed nihil tum præter ſummum in urbem agrumque Romanum imperium deno-

tantem, familiæ intulit. Triſtis (C. 3) ſub Ludovico rerum converſio. Ex cujus filiis Ludovicus tantum huc pertinet, (C.4) primus Germaniæ Rex, quæ tum Rheno finiebatur, niſi quod Moguntia, Vormatia, Spira, ulteriores urbes adjectæ fuerint. Illos poſtea fines, mortuo Lothario juniore, latiſſime protulit Ludovicus, cæterum filiorum rebellione, perfidia fratris, & Slavorum motibus perpetuo agitatus. Carolus Craſſus (C. 5) vaſtiſſima regna iternm conjuncta tenuit, ſed triſte præbuit viciſſitudinis humanæ & libertatis Germanicæ documentum. Germani enim, qui nunquam ab eligendi more penitus receſſerunt, deſtituto illi Arnolphum ſurrogarunt, nihil morati natalium dedecus. Et ſub illo etiam, quamvis potentiſſimo Principe, magna libertatis in comitiis documenta exſtant. C. 6 breve & infelix Ludovici regnum enarrat. Civilem ſtatum (C. 7) ſapienter ordinaverat Carolus, inter alia quod Duces ſuſtulerit. Sed ſucceſſorum imbecillitate, & turbulentis temporibus, & poteſtas illa iterum invaluit. Præterea Comitum palatii & Marchionum dignitas inclaruit. Præcipua fuere miniſteria camerarii, regiæ menſæ pincernarum præpoſitorum, & ſtabuli comitum. Provinciæ Alemannia, Francia, Lotharingia, Friſia, Saxonia, Thuringia, Bojoaria, & Slavorum terra erant, quæ paſſim legibus, commerciis, urbibus, indies eſfloreſcebant. Senſim etiam illuſtres familiæ caput extulerunt, penes quas maximum ſequentibus temporibus rerum momentum ſtetit. Eccleſiaſticus ordo (C. 8) ab illo jam tempore opes, nomenque & in conſiliis vim habuit. Tota etiam Saxonia Chriſtianis ſacris illuſtrata. Sed omnis tamen cleri poteſtas a Rege fuit. Succedit Liber IV, qui Conrado & Saxonicis Imperatoribus deſtinatus eſt; adeoque inſignem hiſtoriæ Germanicæ partem complectitur. (C. 1) Manſerunt eædem provinciæ, manſerunt adverſus occaſum veteres ad Moſam & Scaldim limites. Sed domitis Slavicis gentibus Saxoniæ fines ultra Albim protenſi. Bojoariam auxere, quæ Hunnis erepta. Marchionatus conditi, Ducibusque ſubordinati. Neque alia Brandenburgici quam Miſnenſis formula videtur fuiſſe. Palatinatus Rhenani initia §. V tentantur. Inprimis in hoc libro expendi meretur C. 8, quo jura publica ex-

explicantur, & cujus tota tractatio eo comparata eſt, ut appareat, falli illos qui regnatricis domus interitum, liberos Duces, oblata feuda & precarium imperium nobis narrant. Sed hæc præſtabit apud Autorem legere. Eandemque ob cauſam nihil ex libro V & VI quicquam decerpimus. Nec quisquam perleget illos, cui non æque ac nobis votum majoris operis, quod Cl. Autor molitur, mox edendi in animum veniat.

Joh. Georg Leuckfelds, Paſt. Prim. in Gröningen ꝛc

h. e.

JOHANNIS GEORGII LEUCKFELDII, Paſtoris primarii Gruningenſis, Regiæ Pruſſicæ Societatis ſcientiarum membri, Hiſtoria Heshuſiana, ſive Narratio hiſtorica de vita, muneribus, & ſcriptis Tilemanni Heshuſii, S.S. Theol. D. & Prof. cum genealogia Oleariorum.

Quedlinburgi & Aſcaniæ, ſumtib. Gotl. Erneſti Strunzii, 1716, 4. Alph. 1 pl. 11.

NOvum ſpecimen induſtriæ ſuæ nunquam defeſſæ promit Max. rev. Autor hujus hiſtoriæ. Qui cum in Hiſtoria Spangenbergenſi promiſiſſet plurium ſeculi XIV Theologorum deſcriptiones vitarum, ab Heshuſii vita potiſſimum auſpicandum duxit: quod iſta ætatę neminem facile reperiſſet, quem huic Theologo anteponeret, ſive doctrinæ atque animi magnitudinem, ſive fatorum varietatem ac celebritatem ſpectaret. Fuit enim hic Heshuſius Veſalia Clivienſis, e diſcipulis & comitibus Melanchthonis, & ab itinere Gallicano, Anglicano, Danico, Auſtriaco, Germanico, redux factus, primum magiſter privatus Vitebergæ ex eo Superintendens Goslarienſis & Theologiæ Doctor, dein Paſtor & Profeſſor Theologiæ Roſtochienſis, tum Heidelbergenſis, poſtea Superintendens Magdeburgenſis, hinc Concionator aulicus Palatino-Neoburgicus, præterea Profeſſor Theologiæ Jenenſis, porro Epiſcopus Sambienſis in Pruſſia, denique Profeſſor Theologiæ Helmſtadienſis. In qua ſtatione obiit anno 1588 æt. 61, non 72, ut M. Adami ſcripſit.

Hi

His omnibus, ſatis copioſe & ad monumentorum fidem enarratis, ſubjunxit Autor tum teſtamentum & monumentum Heshuſii, quod in templo D. Stephani Helmſtadienſi,¹ & in inſcriptionibus ſepulchralibus D. Bœhmeri legitur, tum genealogiam Oleariorum; quod Joh. Olearius Veſalienſis, Helmſtadienſis primum Theologus, deinde Superintendens Halenſis, & hujus familiæ quaſi primus autor, Heshuſii filiam duxiſſet. Addidit præterea notitiam ſcriptorum Heshuſii, & indicem rerum ſatis copioſum. Multa continentur in hac hiſtoria, quæ ad res eccleſiæ ſeculi XVI adq; Formulam Concordiæ attinent, de qua illud memorabile, p. 213, quod Electori Saxoniæ amplius 80000, Duci Brunſuicenſium Julio 40000 imperialibus numis ¦ & pluribus conſtiterit. Operæ pretium utique fecerit Max. rev. Autor, ſi plurium Theologorum vitas eodem modo illuſtratas publice propoſuerit: nec non Itinerarium Buntingii ſacrum, quod emendatum, auctum, & illuſtratum promittit in adjecta hiſtoricorum ſuorum ſcriptorum deſignatione.

MICHAELIS HENRICI GRIBNERI, JUR. Prof. Publ. Principiorum Juriſprudentiæ Naturalis Libri IV, quibus Juris Naturæ & Gentium, publici & privati univerſalis, ſumma capita exhibentur.

Vitembergæ Saxonum, 1715, 8.

Alph. 1.

CONſultiſſimus Autor, qui variis hactenus Diſſertationibus, imprimis Juris Publici, ſingulari ſtudio elucubratis, inclaruit, Compendium Juris Naturæ traditurus Auditoribus ſuis, libellum hunc, paucis quidem exemplis impreſſum, luci publicæ expoſuit. In hoc præmiſſis Prolegomenis, de jure in genere, de principio Juris Naturalis, quod nullum agnoſcit, primum quidem & adæquatum, aliisque, L. I de Jure Naturæ in ſpecie, L. II de Jure publico univerſali, L. III de jure Gentium, & L. IV de Jure privato univerſali, apte admodum & prudenter differit, autores quoque paſſim optimos ac probatiſſimos commendans. Nos eo accuratius recenſendo nunc ſuperſedemus, quod Autor doctiſſimus operis paulo majoris & ad publicum uſum magis accommodati proxime edendi ſpem nobis fecit.

* * * * * *
* * *

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ
Calendis Decembris, Anno MDCCXVI.

Grundfeſte Europäiſcher Potenzen Gerechtſame.

h. e.

FIRMISSIMA PRINCIPUM EUROPÆ JURA demonſtrata, hoc eſt, Selectæ Deductiones, Informationes, Repræſentationes & Demonſtrationes, quibus prolixius docetur, quibus juribus Cæſaris, Electorum Statuumque Imperii, item exterorum Regum, Rerumpublicarum & Principatuum lites imitantur; Editore JO. CHRISTIANO LUNIGIO.

Tomi II.

Lipſiæ, apud Joh. Frid. Gleditſch & Fil. 1716, fol.
Alph. 19.

QUemadmodum Cl. Editor in Archivo Imperii leges atque conventiones aliaque diplomata magna cura ad uſum Juris Publici collegit, ita nunc ſcripta controverſa, in quibus Principum lites paullo latius deducuntur, quæque publica plerumque autoritate conſcripta ad privatorum manus rarius pervenere, in unum corpus colligere ac publicæ luci exponere operæ pretium putavit. Itaque duos nunc Tomos edidit, e quibus vel aliquas ſaltem controverſias illuſtriores nominare non gravabimur.

Tomo I N. III poteſtas Præſidem Cameræ Imperialis a ſolo Cæſare conſtitutum ſuſpendendi iterum, aut removendi, ipſi privative vindicatur. N. IV Regni Hungarici Status, religioni Catholicæ addicti, 1646 probare voluerunt, Evange-

Digitized by Google

licos illius regni Status de negato ſuæ fidei exercitio conqueri non poſſe. N. V & VI de Regno Bohemiæ diſputatur, num illud electitiis an hæreditariis regnis ſit accenſendum? N. IX & X quæſtio ventilatur, num Status provinciales Auſtriaci jus administrandi poteſtatem Ducalem, donec novo Principi clientelare juramentum ſolutum ſit, ſibi vindicare poſſint? N. XI, XII quæſtio: num ditiones, quas in territorio Auſtriaco Bambergenſis Præſul poſſidet, Auſtriacorum Superioritati territoriali ſubjectæ ſint? occurrit. N. XIII Jus Auſtriacum in Monarchiam Hiſpanicam aſſeritur. N. XIV & XV de Reſervato, quod vocant, Eccleſiaſtico; N. XVI, XVII de Reſtitutione bonorum Eccleſiaſticorum ſæculariſatorum, quam Romano-Catholici quærebant, noſtri negabant, agitur. N. XVIII Synopſin fundamentorum, quibus jus reformandi dominis territorii adſcribitur, continet. N. XXII nævi rei monetariæ monſtrantur. N. XXIII exſtant Corporis Evangelici literæ, quibus paritatis religionis obſervationem in Conſilio Cæſareo Aulico a Divo Leopoldo petierunt & Jus Auſtregarum ſibi ſalvum eſſe voluerunt. N. XXIV Circulus Burgundicus terris Imperii adſcribitur, ejusdemque defenſio petitur. N. XXV Jura imperii in Alſatiam vindicantur. N. XXVI, XXVII de Jure poſtarum multa notatu digna exhibentur. N. XXXI, XXXII Controverſia de directorio in eccleſiaſticis inter Evangelicos in comitiis explicatur. N. *XXXIII lites de præ*cedentia inter Status Imperii ortæ recenſentur. N. XXXIV Prærogativæ Electorum exponuntur. N. XXXV, *XXXVI de liber*tate civitatis Erſurtenſis agitur. N. XXXVIII, XXXIX Jus coronandi Imperatorem num Moguntino, an Colonienſi competat? diſquiritur. N. XL Ducum Saxoniæ poteſtas territorialis in Epiſcopatum Miſenenſem & Martisburgenſem, & N. XLI eorundem jus in ſucceſſionem Juliacenſem probatur. N. XLII readmiſſio quatuor votorum in Comitiis Imp. a Regia Polon. Majeſtate tanquam Electore Saxoniæ quæritur. N. XLIX Electoris Brandenburgici querelæ contra Abbatiſſam Quedlinburgenſem exponuntur. N. LI de dignitate Regia Boruſſica Domui Brandenburgicæ non deneganda agitur. N. LII Prætenſiones

Digitized by Google

nes Regis Boruſſiæ in ſucceſſionem Naſſavico-Arauſionenſem continentur. N. LIII-LVIII de Juribus ejusdem in Comitatum Mœrſenſem & Lingenſem, in civitatem Tremoniam, in Principatum Neocomenſem, in ſucceſſionem Megalopolitanam, Comitatum Tecklenburgicum & Limburgenſem disquiritur. N. LIX-LXIII de Vicariatu Terræ Rhenenſis inter Palatinum atque Bavarum controverſo; N. LXIV, LXV de Jure Wildfangiatus; ac N. LXIX, LXX de Officio Vexilliferi Imperii duplici agitur. N. LXXII-LXXIV Controverſiæ Hisdesheimenſes de Jure reformandi explicantur. N. LXXIX Archi-Epiſcoporum Magdeburgenſium jus territoriale in Civitatem probatur. N. LXXXII Hildeſienſem magiſtratum Jurium Epiſcopalium incapacem eſſe, aſſeritur. N. XC, XCI de litibus Quedlinburgenſium & Herfordienſium Abbatiſſarum disquiritur.

Tomo II N. I, II, III quæſtio: num Judicium Provinciale Suevicum abrogari poſſit? ventilatur. N. IV de Directorio Circuli Rhenani Superioris; N. V-VII de Succeſſione Palatina disputatur. N. VIII Jus Regis Sueciæ in Bremenſem civitatem exponitur. N. IX ſequ. de Præcedentia inter Principes Saxonicos lineæ Erneſtinæ disquiritur. N. XVI Brandeburgenſibus Marchionibus Jus vectigalium contra Noribergenſium objectiones vindicatur. N. XVII, XVIII de Jure Optionis, quo Georgius Wilhelmus Dux Brunſuigo Luneburgenſis defuncto Chriſtiano Ludovico Duce uti voluit, diſceptatur. N. XXV Jus Poſtarum Duci Wirtenbergico adſcribitur. N. XXXI ſeq. Controverſiæ inter Regem Daniæ & Ducem Holſatiæ ortæ illuſtrantur. N. XXXVIII lites de Succeſſione Naſſavico-Sigenſi recenſentur. N. XLV-LIX. Prælatorum, Comitum & Baronum; N. LX-LXXI Liberarum Imperii Civitatum; N. LXXII Nobilitatis immediatæ diverſa jura explicantur. Tandem quædam de exteris Regibus, Rebuspublicis & Principibus eorumque Juribus adduntur.

Noſtra non indiget commendatione opus, cujus utilitatem in Jure Publico hiſtoriaque omnes perſpicient, illud tantum optandum, ut continuatio illius, quam Autor Clariſſimus meditatur,

Digitized by Google

ditatur, & in quem finem egregia multa collegit, brevi tempore edi poſſit.

CATALOGUS LIBRORUM TAM IMPRESſorum, quam manuſcriptorum Bibliothecæ publicæ Univerſitatis Lugduno-Batavæ.

Lugd. Bat. ſumptibus Petri Van der Aa, 1716, fol. Alph. 8.

PErmagni publicæ rei intereſt, extare earum bibliothecarum catalogos, quæ ante alias ſive manuſcriptorum, ſive, quæ hodie proxime ab iis æſtimantur, veterum editionum, ſive denique aliorum etiam librorum copia celebrantur: ut iis nihilo magis debeamus, qui uno aliquo loco congeſtum ejusmodi theſaurum collocarunt, quam qui curam egerunt, ut idem publicis commodis inquirentiumque utilitati inſerviret. Laudanda ea in re eſt hujus ſæculi eruditorum induſtria, ut Celeb. J. Fontanini, qui Bibliothecam Emin. Card. Imperialis, & S. R. Cypriani, qui Bibliothecam MSptorum Gothanam edidit, de quibus diximus ſuo loco. Accedit his Catalogus, quem exhibemus, Bibliothecæ Lugduno-Batavæ: nam cum ejus bibliothecæ, cujus jam Catalogus publice extabat, Lugduni Batavorum A. *1640* in 4 editus, magna eſſet acceſſio facta, ex decreto *Curatorum, tres clari* in illa Academia Profeſſores, in quibus doctiſſimum Gronovium, nuper eheu! rebus mortalibus ereptum, *celebrari accepimus*, & qui partem aliquam curarum in ſe ſuſcepit, Petrus Van der Aa, Bibliopola & Typographus Lugdunenſis, eum hoc anno denuo decima fere parte ampliorem evulgarunt. De ordine catalogi nihil noſtra refert judicium ferre, quod jamdiu aliis alia ratio in collocandis libris placet: qui fit, breviter indicabimus. Ab editionibus & verſionibus S. Scripturæ earumque lexicis & interpretibus proxime collocatur univerſæ Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ apparatus; tum Theologi, quorum opera conjuncte edita exſtant, eccleſiæ Patres & ejusmodi librorum quod reliquum eſt. Juriſconſultos Medicosque, tam veteres quam proximorum temporum, Philoſophi excipiunt, Philoſophos Mathematici,

Digitized by Google

tici, hos Hiſtorici, in quorum cenſum referuntur, tam qui regiones terrarum, quam qui ipſas gentes, præcipue Græcos Latinosque, ſcriptis illuſtrarunt. Literatorum omne genus, univerſa elegantiorum literarum ſupellex ac quicquid ex editis Orientalibus Judaicisque libris ſive impenſis ipſius bibliothecæ comparatum eſt, ſive ex J. J. Scaligeri & Levini Warneri legatis acceptum, ultimo loco collocantur. Hæc veluti prior iſtius bibliothecæ pars eſt, major ad ſpeciem collatis in eam ex majoribus operibus Conciliorum, Bibliothecarum Patrum, Criticorum ſacrorum, Byzantinæ hiſtoriæ, Grævii, Gronovii & undique alias titulis. Inter Hiſpanicos libros, qui miſti ceteris ſunt, plurimi & hiſtoriæ barbarorum & univerſæ Geographiæ inſignem lucem afferunt. Magni, ne ceteros memoremus, facimus Yncam Garcillaſſo de la Veja, Regio Peruanorum genere prognatum, & Bartholomæum de las Caſas, Epiſcopum quondam Indorum, Hiſpanicæ impotentiæ & Indicarum rerum graviſſimos Autores. Menaſſæ ben Iſrael Conciliator Hiſpanice ſcriptus, qui longe copioſior Latina Dionyſii Voſſii verſione eſt, & propemodum alius, in hoc catalogo f. 90 & 307 disjectis male duobus unius libri partibus conſpicitur. Quod ad elegantiorum literarum ſupellectilem, facile ſuſpicari poſſis, quantæ opes in hanc bibliothecam congeſtæ ſint, cum inde fere a renatis literis earum laude Lugdunum maxime floruerit. Parum eſt, veterum Autorum complures editiones videre, quas indipiſci vili adeo pretio poſſis, ſed easdem doctiſſimorum virorum manibus notatas magno eſt iſti bibliothecæ ornamento. Videas autem a J. J. Scaligero, Joanne Gerhardo & Iſaaco Voſſiis, Cl. Salmaſio, Iſaaco & Merico Caſaubonis, Franciſco & Hadriano Juniis, Gerardo Falckoburgio, Grotio, Scriverio. Meurſio, Grutero, Colomeſio, Gatakero, J.F. Gronovio, aliis, plurimos veterum Autorum notatos. Rarior manus M. A. Mureti, A. Schotti, Hadr. Turnebi, Henr. Stephani, Frid Sylburgii & Angeli Bergitii. Meruiſſet eorum librorum ſingularis index exſtare. Atque, ut exiſtimamus, dignum foret alicujus induſtria opus, ſi, quæ paſſim in bibliothecis a viris doctis ad libros notata exſtant, ſaltem per indicium in uno aliquo libro conſignarentur.

Digitized by Google

Altera bibliothecæ pars, libri omnis generis manuſcripti: primum publicis impenſis comparati, Latini Græcique, omnium ætatum a viris doctis pleriquejam uſurpati, veteres etiam quorundam Autorum editiones, doctorum virorum, præſertim J. J. Scaligeri & Fr. Nanſii, manibus notatæ, & denique clariſſimorum virorum epiſtolæ. Inter MStos, qui ſequuntur, a Scaligero legatos multi ſunt profecti a manu illuſtris viri, Mathematici plerique, quanquam & alii, in quibus eſt Bartholomæus Edeſſenus a Stephano le Moyne editus, quod Editores f. 340 non videntur fuiſſe recordati. Majoris tamen fieri debent MSti Bonaventuræ Vulcanii teſtamento relicti & elaborati jam plerique a V.Cl. & Græcas res præſertim Eccleſiaſticas maxime illuſtrantes. Mathematica ſunt, quæ Chriſtianus Hugenius Bibliothecæ intulit. Maximum Bibliothecæ ornamentum proxime ab iſtis in catalogo collocantur Iſaaci Voſſii MSta primum varii argumenti, inter quæ facile eminent Leonardi Rauvvolfii herbarii libri collectis per Europam Aſiamque herbis compoſiti. Hæc Chimica excipiunt ingenti numero, ut mirari ſubeat, unde in ejus ſcrinia omnia pervenerint. Superantur tamen etiam numero a Græcis Latinisque MSS. ex quibus, quantum fructum res literaria capere queat, ampliſſime prædicare poſſemus. Eccleſiaſtica Hiſtoria, præſertim Græca, dein Geographia ex iis illuſtrari poſſunt maxime. In ceteris multa ſunt nunquam edita, plura, ex quibus edita emendari poſſent. Ne quid de gloſſis veteribus & Scholiis, præſertim Græcis, dicamus, de quibus mirum eſt, neminem adhuc enucleate ſatis & ſollicite ſcripſiſſe. Adverſaria denique V. C. quæ peregrinanti præcipue ad manus fuerant, plena ſunt omnis eruditionis ſupellectili.

Poſt Hebraica MSS. Scaligeri & Warneri. Orientalia cetera, ob quæ hæc bibliotheca multum ſemper celebrata fuit, diligentiſſime & quam fieri potuit, accuratiſſime conſignata ſunt. Merebantur enim talem induſtriam, quod partim a Jacobo Golio ex Oriente allata, partim a Scaligero & Warnero teſtamento relicta, inſignem bibliothecam conficiunt. Chriſtianorum quidem hiſtoriam aut theologiam illuſtrantia, ſi ſcripturarum divinarum verſiones excipias, pauca deprehendes, eamque par-

tem

tem etiam in Regiæ Pariſiorum bibliothecæ catalogo apud Salomonem Negri, Romæ quondam Arabicæ & Syriacæ linguæ Profeſſorem, dein per Galliam, Belgium, Angliam & poſtremo Germaniam peregrinatum, ex qua nuper in Angliam diſceſſit, veluti deſertam conſpeximus. Sed Mahumetanæ ſuperſtitionis librorum admiranda, eodem judice, in Regia bibliotheca copia eſt, nec tamen, ut ſentimus, in Lugdunenſi multo minor. Corani plurima exempla commentarii interpretum excipiunt. Nam non minus iſtos homines Corani ſui ſuperſtitio faſcinavit, quam nos ſancta religione Scripturarum divinarum tenemur. Sunt vero iſta profecto, atque ſic judicant, qui eum librum penitius inſpexerunt; elegantia ſermonis & dicendi arte nihil iſti ſimile effingi ab Arabe poſſe. Et hanc jactationem, quacunque arte poſſunt, ſuffulciunt & adjuvant Mahumetani. Nihil iſthic diſſimile noſtris curis. Impenſis enim maximis deſcribere, vexatis locis medelam & integris fiduciam adferre, commentando illuſtrare, denique plusquam Judaica patientia verſus, voces literasque annumerare, myſteria a literis etiam & usquequaque ſuſpendere, de litera aliqua temere redundante, aut voce obſcuriore ſolicite diſquirere ſolent. Magis propemodum animos audientium canendo Coranum occupant, in quo eos miros eſſe artifices Salomon Negri adfirmabat, ut credi fortaſſis poſſit Abul Abbaſo & Abu Iſaaco Achmed ben Mahomet Talebenſi, qui aliquos ad auditum Corani mortuos eſſe memoriæ prodiderunt. Nec traditionum apud eos eſſe minorem reverentiam, neque eorum ſcholaſtica Theologia ullam ſpinoſiorem, nec denique rituum obſervandorum ullum modum ex iis libris facile conſequaris, qui magno numero de his rebus in catalogo memorantur. In aliquibus etiam congrua noſtrorum theologiæ myſticæ præcipiuntur. Quod reliquum eſt, Medicorum, Philoſophorum, Mathematicorum, Literatorum, Poetarum, Hiſtoricorum, Geographorum & denique omnis generis libris refertum videmus. Inter Philoſophos aliqui ratiocinandi artem, alii ſublimiorem divinarum rerum diſciplinam, ceteri naturæ myſteria & doctrinam de moribus prudentiaque tractant. Ad Mathematicos referuntur Magici libri, quorum

vero

vero tanta copia ibi non eſt, quantam Pariſienſi bibliothecæ Wanslebium intuliſſe a Negri accepimus & ex ipſo Catalogo Arabicorum librorum, qui apud eum exſtabat, perſpeximus. In Mathematicis, Apollonii Pergæi Conicarum ſectionum quintus, ſextus & ſeptimus libri extant, de quibus T. Smith in vita R. Huntingtoni & E. Bernhardi legi meretur, deinde Naſſireddini Thuſii Tabulæ Ilchanicæ aliaque, etiam ex Græcis converſa plurima. Grammaticorum multa nomina, quibus æquo animo caremus, cum nobis Erpenii labor ſufficere poſſit. Sed lexica eximia ſunt, ſi usquam alibi, Turcica, Tartarica, Mongalica, Arabica plurima, Syro-Arabicum Iſae ben Ali, Perſicum Logat Nimetillah nominatum & alia quædam, quanquam minima pars eorum Perſicorum lexicorum, quæ T. Hyde in Hiſtoria religionis veterum Perſarum deſignavit. Mirum eſt, quam Arabes, Perſæ, Turcæ proverbiis utantur, quorum etiam inſignis collectio in hac bibliotheca eſt, & aliorum opera illuſtrata & Zamchaſcheri celebris Grammatici. Poſtea epiſtolæ Poetarumque carmina ſequuntur, utriusque enim colligendi æque, ac apud nos, inter eas gentes cura eſt, & negari non debet eorum Poëtas pie frequentius quam impure canere. De ſingulis multa eſſent dicenda, niſi exiguis limitibus contineri recenſentes deceret. Addo ex Geographis præcipuos pæne omnes adeſſe, illum præter ceteros pæne convitiis expetitum Abulfedam, *Jacuthum etiam* Hamathenſem, Ibn Haucal, Caſvinum, Sipahizadum, Macriſium, Zamchaſerium, & Marufi ſpecimina *Geographiæ cum tabulis* ipſis, quod rarum eſt. Chronologi inter eos atque Hiſtoricos intercedunt. In Hiſtoricis liber Joſuæ Samaritanus eſt, deinde Abulfeda, Macrizius, Arabſiadis hiſtoriæ orientis deſiderandæ hoc magis, quod de facundia & diligentia Autoris ex hiſtoria Tamerlanis conſtat. Recentiſſima bibliothecæ acceſſio eſt Jacobi Perizonii legatum, librorum editiones veteres, & MSta aliqua, ex quibus præcipue Valerius Maximus illuſtrari poteſt. In appendice tum libri omiſſi, tum Joannis Marckii univerſi, quos ſcripſit & bibliothecæ dono dedit, adduntur. Sphæra Armillaris Copernicana auſpiciis Adriani Vroeſii calculis Nicolai Stampioen per Thraſium adornata & ab Bernardo Cloeſio reſtituta,

cum

Digitized by Google

cum collapſa eſſet, bibliothecæ præcipuum & catalogi hujus ultimum ornamentum eſt. Poſtremo Index exſtat a Sigeberto Haucampio V. D. M. in catalogum adornatus, in quo facile quis intelligit totius propemodum catalogi utilitatem reſidere, ut dolendum ſit non eum omnibus numeris abſolutum eſſe. Nam & ſolis paginis indicatis tædioſus labor eſt tales perquirere, & nonnullorum librorum auctorumque adverſio omiſſa eſt. Nihil flagrantius optare debemus, quam ut etiam ceterarum bibliothecarum publica[illegible]alogos quam primum publicis commodis datos conſpic[illegible]s.

NICOLAI PETRI SIBBERN, REGII AD arcem Glückſtadienſem Concionatoris Aulici, ***Bibliotheca Hiſtorica Dano-Norvegica ſive de Scriptoribus Rerum Dano-Norvegicarum Commentarius Hiſtorico-Literarius.***

Hamburgi, & Lipſiæ, impenſis Chriſtiani Liebezeit, 1716, 8. Alphab. 1 plag. 7.

QUo rariora ſunt, quæ a Septentrione ad nos perveniunt, hiſtoriarum monumenta, eo majorem gratiam Cl. Autor ab eruditis iniit, quod res gentium a nobis diſſitarum diligenter eruere, ac hoc ipſo libro in apricam lucem producere voluerit. Omnis autem totius operis compages ex XIII potiſſimum Capitibus contexta eſt, quorum pleraque pro materiarum, quas tractat, diverſitate in certas iterum ſectiones diſpeſcuntur. Primi Capitis Sect. 1 varios modos, quibus vetuſtiſſimi Dani Norvegique nominis ſui memoriam ad poſteros propagare ſtuduerunt, deſcribit: more videlicet aliarum gentium, priusquam literarum uſus ſcribendique cognitio apud eos invaluit, ſaxis lapidibus- p. 2. 3.
que grandioribus erectis famam ſibi ſuisque conciliare voluerunt, & propterea combuſtionis tempore cineribus congeſtos tumulos, deinde vero ingentes colles corporibus ſepultis impoſuerunt. Poſtea illuſtrium Heroum geſta clypeis, ſcutis, parietibus domus, ligno, aulæis, aliisque rebus inſculpſerunt, donec ſcribendi uſus paulatim ingruere cœpiſſet, & funerum monumenta encomiis titulisque exornarentur. Inprimis vero

haud parum lucis rebus Septentrionalibus veterum Poetarum, quos Scaldos vocant, carmina præbuiſſe arbitratur, quandoquidem Scaldi ingenio, fide, & facundia præſtiterunt, ac rerum togæ pariter & ſagi peritiſſimi fuerunt, ad hæc arcanorum Regis plerumque arbitri, negotia illius, jura, fœdera belli pacisque moderati ſunt, contra hoſtes ipſi pugnarunt, milites carminibus ſuis ad pugnam incitarunt, tum & Regum vitas & res fortiter geſtas celebrarunt, in poeſi vero ita paſſim excelluerunt, ut ſcitos lepidosque verſus ex tempore nonnunquam funderent. Præcipuorum ejusmodi Scaldorum ſeu [illegible]um Scaldatal h.e. Catalogum Autor ex Snorronis Sturlæi Chronico Norvegico, &
p. 4. Olai Wormii, de priſca Danorum Poeſi, diſſertatione deſumtum exhibet, in quo & Hiarno Rex comparet, qui ob epitaphium Frothoni poſitum diademate regio dicitur ornatus. Jamque Autor eas hypotheſes, quibus Scriptores in enarrandis Danorum, & Norvegorum rebus utuntur, exponit, & Sect. II illos adducit, qui hypotheſin, ut vocat, vulgarem amplectuntur, & Da-
18. num I Gentis & Regni Danici conditorem appellant. In horum cenſum inter alios Sueno Aggonis & Saxo Grammaticus referuntur, quorum ſcripta uti ex MStis Regiæ bibliothecæ Hafnienſis a Steph. Joh. Stephanio edita ſunt, accurate excutiuntur, & quæ fundamenta uterque eorum ſecutus ſit, ſimul exponitur. Sect. III Scriptores hypotheſeos ſic dictæ *Gothlandicæ* affert, qui quidem in Regum ſerie poſt Danum I Saxoni Grammatico adſtipulantur, longe tamen altius originem *repetunt*, & a temporibus fere Noachi, a Gomere videlicet II Cimbros per varias Orbis partes in Septentrionem paulo poſt Nimrodum
44. profectos tradunt. Primus omnium ſententiam hanc ſecutus eſt M. Nicol. Petrejus, quem deinde Lyſchander, Strelovius aliique plures exceperunt, de quibus, & eorum ſcriptis Autor
61. copioſe diſſerit, & monumentum Gothlandicum, quo tanquam fundamento hæc hypotheſis innititur, adducit. Sect. IV Scriptores Hiſtoriæ Danicæ univerſales ſecundum hypotheſin Islandorum continet, quæ utramque priorem ſententiam rejicit, & ab Odini ex Aſia per Scythicas terras in Saxoniam ſive Holſatiam, Daniam & Sueciam migratione poſt Cimbricam adver-

ſus

Digitized by Google

ſus Romanos expeditionem, quæ paulo ante C. N. contigit, & ſic a Scioldo I. Daniæ Rege orditur. Laudantur hic Islandi, quod, etiamſi a ceteris terrarum incolis remotiſſimi fuerint, non tamen ſuas tantummodo, ſed & aliorum populorum res mirifice conſervarint carminibus, quemadmodum &, quod mireris, Ericus Brockenhuſius, nobilis Norvegus, qui circa A. C. 1567 p. 67.
vixit, ſacrum codicem Islandorum vernacula ante CCC annos exaratum vidiſſe commemoratur. Cap. II de Scriptoribus Daniæ Chronologicis agit, ubi Autor de magna eorum, qui tempora adnotarunt, penuria multum conqueritur. Saxo enim Grammaticus, & qui eandem hypotheſin tuetur, Adamus Bremenſis præter Epocham Chriſti, vix quidquam ad temporum rationes retulerunt. Qui Gothlandicæ hypotheſi addicti ſunt, ab eluvionis Noachicæ temporibus res quidem ordinant, ideo tamen fides eorum merito ſuſpecta habetur. Islandici Scriptores ab A.C. 70, quo Othinus ex Aſia in Daniam commigraſſe perhibetur, numerant. Cap. III Scriptores Daniæ Genealogici ſecundum tres peculiares, quas fovent, hypotheſes iterum in tres claſſes diſtinguuntur, ſimulque illi recenſentur, qui Danorum Regum 101.
ex ſtirpe Oldenburgica oriundorum ſtemmata contexuerunt, quibus denique ii adjiciuntur, qui tabulas familiarum Nobilium & Equeſtrium Genealogicas concinnarunt. Cap. IV varii 104.
Regni Daniæ Scriptores Chorotopographici exhibentur, inter quos Nicolaus ſive Claudius Niger Mathematicus præcipue laudatur. Cap. V Scriptores Rerum Norvegiæ, Inſularumque adjacentium prodit, cujus Sect. I Hiſtoricas Norvegorum Scriptores, Sect. 2 Scriptores Regni Norvegiæ Chorotopographicos enarrat. Sect. 3 de Islandicarum rerum Scriptoribus agit, inter quos Arngrimus Jonas variis ſcriptis inclytus eminet, cujus etiam ſcripta longa ſerie juſtoque ordine recenſentur. De Dithmaro Bleſkenio, qui ab aliis perperam Bleskenius appellatur, hoc notatu dignum refertur, quod propter editionem Islandiæ ſuæ Coloniam abiturus in latrones inciderit, & omnibus bonis, imo etiam MSto libro ſpoliatus fuerit, quem tamen poſt 145.
aliquot demum annos Bonnæ forte invenerit, poſteaque in lucem emiſerit, uti ipſe in præfatione hujus libri pluribus exponit.

Digitized by Google

Sect. 4 Scriptores Rerum Grönlandicarum complures tradit. Cap. VI de Scriptoribus Hiſtoriæ Regum Daniæ, Norvegiæque particularibus agit, & Sect. 1 eos, qui Regum vitas ante familiam Oldenburgicam deſcripſerunt, excutit; Sectio vero 2 Scriptores Hiſtoricos Regum ſtemmatis Oldenburgici affert, ubi & data occaſione, quæ ad Hiſtoriam ſupremi aulæ in Regno Daniæ Magiſtri Cornificii Uhlefeldii ſpectant, adducit. His
p. 204. annectit quæ pacem inter Danos & Suecos Rothſchildii factam concernunt. Prolixa vero hic inſtituitur de Friderico III rebusque illius geſtis diſputatio, & plurimi Autores, qui ad ſcribendam rerum illarum hiſtoriam operam contulerunt, recenſen-
227. tur. Finem huic capiti imponit controverſia inter Baronem Roſencranzium, & Joh. Bunonem olim agitata: num Regnum Daniæ antiquitus & ante tempora Regis Friderici III electivum, an hereditarium fuerit? Utriusque ſcripta, quoniam rariora ſunt, accurate ab Autore indicantur, & potiora inſuper argumenta, quibus partes inter ſe diſceptantes cauſam ſtabilire & adſtruere conati ſunt, carptim delibantur. Cap. VIII ad Jura & Leges Dano-Norvegorum præcipue ſpectat. Nam Sect. 1 Autores, qui Hiſtoriam Juris Danici & Norvegici meditati ſunt,
259. recenſet, & de Jure Bircæ, quod Ericus Glipping omnium primus An. 1269 dedit, quædam inſpergit. Sect. 2 de Jure Norvegico, illiusque primo autore Olao Sancto agit. *Sect. 3 de Jure* Islandico, Sect. 4 de Jure Sleſvicenſi, & Holſatico, Sect. 5 de Jure Oldenburgico & Delmenhorſtano Autores, *ſuppeditat, &* Sect. 6 de Juris Dano-Norvegici Commentatoribus, quamvis ob legum vernacula conſcriptarum perſpicuitatem pauci eorum reperiantur, diſſerit. Cap. IX Scriptores, qui res Eccleſiaſticas Dano-Norvegicas expoſuerunt, enumerat, cum qui paganæ religionis, cui decantatiſſima Islandorum monumenta duæ Eddæ inſerviunt, hiſtoriam tradiderunt, tum qui Danorum Chriſtianorum conſuetudines, & ritus illuſtrarunt. Hincque Ottonis Sperlingii diſſertatio de feſto Juel tam antiquorum, quam hodiernorum Septentrionalium, Abſolonis Huidii Daniæ
304. Epiſcopi celebrioris teſtamentum curioſius excutitur, & de Con-
306. ſiſtorii Regii Munſterdorpienſis in Holſatia origine, antiquita-

te &

Digitized by Google

te & ordine quædam annotantur. Cap. X Scriptores rem Danorum Literariam illuſtrantes complectitur. Hic Academias, interque eas primo Hafnienſem, tum Soranam in Sælandia, & deinde equeſtrem a Chriſtiano V inſtitutam conſiderat, Bibliothecas, Hafnienſem Regiam, Academicam, ejusque præfectos, Academicam minorem, quæ alias Hœpfneriana dici ſolet, & privatas Benzonianam, quæ, mirabile dictu! 1244 Poetas in qualibet lingua continuiſſe dicitur, Sperlingianam, Reizerianam, & Roſtgaardianam memorat, Scriptores qui de eruditis Danis ſcripſerunt, exponit, & in Norvegia literata tandem definit. C. XI de Numiſmatibus, Oratoribus & Poetis ad Hiſtoriam Dano-Norvegicam facientibus, agit. Primus autem Jo. Mulenius, Cameræ Regiæ Adſeſſor, numos collegit, quos deinde Thomas Bartholinus in ordinem redegit, Hafniæque An. 1670 edidit. Cap. XII. Antiquitum Dano-Norvegicarum Scriptores, & Criticos oſtendit, quorum duplex claſſis conſtituitur, illi enim qui antiquitates Dano-Norvegicas generatim expoſuerunt, ab iis ſeparantur, qui inſcriptiones collegerunt, ordines Danorum equeſtres, cornu illud aureum, a virgine ruſtica Catharina Suenia prope Tunderam repertum, & Chriſtiano V oblatum, tum & cornu Oldenburgicum, & forte alia deſcripſerunt. C. XIII pauca de Scriptoribus curioſis, quorſum Plantarum Danicarum Hiſtoria, Medicina Danorum, Muſeum regium, Muſeum Wormianum, elementa artis navigandi referuntur, annectit. Definit tandem hæc Bibliotheca Dano Norvegica in Lege Regia, quam Fridericus III cum ſtatus Regni Daniæ pariter & Norvegiæ plenum jus hereditarium in Regem Regiamque familiam transferrent, edi curavit. Ceterum, ut Scriptores rerum Danicarum inediti, quos Cl. Autor in præfatione pollicitus eſt, propediem in lucem exeant, remque literariam egregie adjuvent, optamus.

JOAN. FRANCISCI BUDDEI, THEOL. D. ET PP. O. Theſes Theologicæ de Atheiſmo & Superſtitione variis obſervationibus illuſtratæ.

Jenæ, ap. Jo. Felic. Bielckium, 1717, 8.
Alph. 2 pl. 12.

Digitized by Google

UTiliſſimam ſane operam Summe Rev. Dn. Autor ſuſcepit, dum hiſce temporibus, quibus multi veram religionem non tantum improba vita, verum etiam impiis dogmatibus penitus evertere conantur, de Atheiſmo atque Superſtitione commentari in animum induxit. Cum vero ipſe celeberrimus Autor in præfatione huic operi præmiſſa inſtituti ſui rationem luculenter admodum exponat, ipſius veſtigiis inſiſtentes eandem una cum nonnullis, quæ inter legendum inprimis notatu digniora viſa ſunt, recenſebimus. Dum igitur celebrem quæſtionem, an dentur Athei? primo ſtatim loco attigit, hiſtoriam Atheiſmi paulo plenius pertexere, deque iis, qui aut vero, aut falſo Atheiſmi accuſati ſunt, verba facere operæ duxit pretium, qua occaſione ſimul eorum, qui jure Atheiſmi accuſantur, integrum ſyſtema paucis & in compendio exhibuit. Cum vero non olim tantum, verum etiam noſtris adhuc temporibus multum diſputatum fuerit, an gentilium Philoſophorum ulli & quinam Athei fuerint? hanc equidem controverſiam quam optime expediri poſſe Cl. Autor exiſtimat, ſi modo diverſi Atheiſmi gradus rite obſerventur & a ſe invicem diſcernantur: nam hac ratione poſſe duas Atheorum claſſes conſtitui, ad quarum unam qui referuntur, *Athei primi ordinis* dicuntur, qui ad alteram, *ſecundi ordinis*; prioris generis illos eſſe, qui aut diſerte & *citra ambages*, ſe nullum Deum credere profitentur, aut *ſyſtematis* ſui, ex quo hoc directe fluit, conſequentias rite perſpectas cognitasque habent. Poſterioris generis exiſtere illos, qui ejusmodi *Philoſophiæ* ſyſtema conſtituunt, quod ſi non directe, ſaltem per conſequentiam quandam, aut a creatione ac gubernatione mundi Deum removet, aut eum omni libertate privat, vel omnino cum natura ipſa confundit, adeoque revera Deum prorſus tollit, etſi ipſi ſyſtematis iſtius Autores conſequentias iſtas forte non videant, aut etiam non admittant. Quam ob cauſam Epicuræos ceterosque, qui diſerte providentiam Dei impugnabant, vel etiam palam Deum eſſe negabant, quorum nonnulli in ipſa tractatione commemorantur, inter primi ordinis atheos referendos eſſe nemo negaverit. Ariſtotelem, Stoicos, alioſque, qui Deum cum materia arctiſſimo vinculo colligantes, omni libertate

tate privabant, vel omnino cum materia confundebant, cum ea, quæ ex hac ſententia fluebant, non ſatis perſpexiſſe videantur, ad ſecundi ordinis Atheos Rev. Autor referre non dubitat. Huc tamen neutiquam pertinere Benedictum de Spinoza, qui quidem omnia, quæ ex ſyſtemate ejus ſequi poterant, accuratiſſime perſpecta & explorata habuerit, & data opera, ſummaque & calliditate & malitia, cuncta ita inſtruxerit, ut non alius, quam natura ipſa, Deus admitteretur, primum ideo præcipuumque locum inter atheorum peſſimos merito ſibi vindicans, cujus proinde & aliorum atheorum cum in aprico poſita ſint exempla, ut exceptionem non admittant, judicio Autoris noſtri ſe ipſum traducet turpiter, qui nullos dari Atheos aſſeruerit. Interea cum illud quoque extra controverſiæ aleam poſitum ſit, multos innocentes Viros Atheiſmi temere accuſatos fuiſſe, numerum eorum, qui in huncce cenſum referuntur, inſigniter imminui, & pleroſque gentilium Philoſophorum, quibus Atheiſmus imputatus fuit, non primi ſed ſecundi tantum ordinis Atheos eſſe lubens fatetur. Execrabilem igitur eſſe calumniam, quæ ſummam ſtultitiam cum maxima improbitate conjunctam prodat, Joan. Tolandi, Atheorum, quos noſtra ætas tulit, facile impudentiſſimi, qui in originibus Judaicis Adeiſidæmoni ſuo additis Moſen, Salomonem & Prophetas in Pantheiſtarum referre numerum non erubeſcat, cui ſententiæ item adſtipuletur Antonius Collinus, Joannis Tolandi ſi non diſcipulus, certe amicus, in libro notiſſimo de *libertate cogitandi*, ubi nomine *libere cogitantium*, ſi citra ambages dicere velis, quod res eſt, aut Atheos aut eorum patronos, vel tales, qui, quæ proxime ad atheiſmum accedunt, docent, intellexerit. De cetero prolixe diſputat Autor hoc primo capite de veteribus atque recentioribus Philoſophis, quinam Athei fuerint, qui non? & quod inprimis ad recentiores attinet, præter Spinozam & Tolandum ab Atheiſmi crimine liberari non poſſe, quicquid eorum fautores moliuntur, Julium Cæſarem Vaninum, Thomam Hobbeſium, Petrum Bælium, alioſque hujus furfuris, invictis argumentis demonſtrat.

c. I. §. III.

ibid. §. V.

Expedita hunc in modum quæſtione, an dentur Athei? quid & quotuplex Atheiſmus ſit, Cl. Autor ediſſerit, ubi circa diſtin- c. II. §. VI.

ſtinctionem uſu tritam Atheiſmi Theoretici & Practici obſervat, non omnes, qui cupiditatibus ſuis indulgentes vitiis immerguntur aut flagitia quævis perpetrant, ſtatim pro Atheis practicis habendos eſſe, ſed illum tantummodo hoc nomine jure inſigniri poſſe, de quo ex certis ſignis nobis conſtet, flagitia ejus ſceleraque non ex alio dimanare fonte, quam quod nullum eſſe credat Deum. Hinc & re ipſa Atheiſmum practicum a Theoretico non differre; ſed unum eundemque atheiſmum, prout aut ex vita aut ex dictis ſcriptisve cognoſcatur, mox *practicum*,
c. II. §. VIII. mox *theoreticum* dici. Theoreticum autem Atheiſmum vel Dogmaticum, de quo hic agendum, prout a Sceptico diſtinguitur, illorum eſſe, qui cum Deum exiſtere negent, ejusmodi Philoſophiæ ſyſtema aſſumunt, per quod effectuum naturalium ſe reddere rationem poſſe, putant, ut nullum tamen creatorem ſeu Deum admittere cogantur. Hujus quatuor conſtituit Claſſes Rev. Dn. Autor, ut alius ſit Epicuræus, Stoicus alius, alius Ariſto-
§. IX. telicus, & Eleaticus denique alius, quem recentiori ætate Benedictus de Spinoza inſtauravit. Ad quatuor enim hæcce genera cuncta Atheorum ſyſtemata referri poſſe; quæ autem non poſ-
§. X. ſunt, non eſſe digna, ut eorum habeatur ratio: quibus conſtitutis oſtendit fundamenta tum generalia tum ſpecialia, quibus hæc Atheiſmi ſyſtemata innitantur, eademque C. VI *funditus* evertit, ita ut luculenter oſtendat, quodcunque ex hiſce ſyſtematibus ab Atheis aſſumatur, id aut collabaſcere ſua ſponte, aut ad evertendam potius quam ſtabiliendam illorum impietatem aptius eſſe. Prius tamen quam ipſa Atheorum ſyſtemata & primarias objectiones convellere aggrediatur, c. III agit de dogmatibus, quæ cum Atheiſmo conjuncta ſunt, aut ad eum ducunt, oſtendens, quamvis ab Atheiſmo in ſe ſpectato ita diſcerni queant, arctiſſimo tamen cum eodem vinculo connexa eſſe, & huc refert primo negationem providentiæ divinæ, nec dubitat eum
c. III. §. I. pro Atheo habere, qui providentiam divinam negat, cum hæc ex ipſa Dei idea ſequatur, quam non poſſit non evertere, qui di-
§. II. vinam providentiam negat. Alterum inter hæcce dogmata cum Atheiſmo conjuncta ſibi vindicat error eorum, qui animas hominum mortales eſſe & una cum corpore interire ſibi perſuadent,

dent, quæ eſt veterum & recentiorum Epicuræorum ſententia, exinde potiſſimum originem trahens, quod animam extenſam p. 258. & corpoream eſſe ſomnient. Tertium dogma huc pertinens eſt ſpirituum ſive angelorum bonorum malorumque negata exi- § III. ſtentia, ſiquidem ii, qui Atheiſmi ſui in eo collocant fundamentum, non alias præter corpora dari ſubſtantias, angelos ſeu ſpiritus admittere negant. Hinc eos, qui ſpirituum ejusmodi exiſtentiam negant, tale quid docere, quod ad Atheiſmum ducat. Et quamvis nonnulli Athei hodie certo quodam ſenſu ſpiritus ab anima hominis diſtinctos admittere videri velint, eos tamen, ſi rem omnem paulo accuratius conſideremus, a receptis & genuinis notionibus recedendo, fucum ſaltem facere imperitioribus. Unde quoque facile dijudicari queat, quid de immortalitate animæ, ſpiritibus ſeu dæmonibus, quin etiam inferno cenſendum ſit, quæ omnia Petrus Bælius ex ſyſtemate Spinoziano ne- p. 273. ceſſario ſequi ridicule contendit, cum ſatis pateat, cuncta hæc tandem in meram illuſionem abire, ut homines ſibi perſuadeant, Spinoziſtas poſſe admittere animæ humanæ immortalitatem, angelos, pœnas infernales, cum tamen revera nihil horum admittant, quemadmodum nec ipſe Spinoza dux & autor eorum admiſit, ut ipſemet Bælius diffiteri non poteſt, qui potius ex ſua quam Spinozæ ſententia de hiſce philoſophatur. Ad dogmata denique cum Atheiſmo conjuncta aut ad eum ducentia refert Autor vaticinia rejecta, miracula proſcripta, Chriſtianæ religionis veritatem labefactatam & Scripturæ ſacræ divinam autoritatem ludibrio habitam, quæ ſingula Autor c. VII ex inſtituto confutavit. Ex qua ſolida refutatione atque everſione fundamentorum Atheiſmi cap. VII & antecedente VI inſtituta hoc obſervare licet: inter argumenta, quibus Athei Numinis exi- p. 511. ſtentiam impugnant, primum merito locum tenere, quæ ab ipſo Dei conceptu deſumunt. Multum namque nos Dei conceptum, nullam ideam habere, clamitant; indeque porro inferunt, eam eſſe non-ens, cum pro non ente habendum ſit, cujus nullam ideam habemus, nullumve conceptum. Aſt vero Rev. Autor noſter oſtendit, axioma illud, *cujuscunque nullam habemus* p. 512. *ideam, nullumve conceptum, id eſt non Ens*, tum demum locum

Digitized by Google

invenire, ſi nullum plane rei cujuſdam habeamus, aut habere
queamus conceptum, aut is talis ſit, qui aperte contradictionem
involvat. At nullum plane nos de Deo habere conceptum, nul-
lamve ideam, adeo falſum eſſe, ut ipſa experientia iſtos homi-
nes refellat. Quandoquidem non tantum Chriſtiani, & Judæi,
& Muhammedani, ſed Ethnici omnes, veteres pariter ac recen-
tiores, hoc ipſo, dum omnes de Deo loquuntur, fatentur, ſe
quandam de eo habere ideam. Et cur non haberent, cum ne-
mo tam ſtupidus, tamque expers omnis mentis ſit, ut non ſub-
ſtantiam materiæ expertem, neceſſario exiſtentem, ſumma ſapi-
entia, ſumma potentia, ſumma libertate præditam, mente con-
cipere queat. Nullam hic contradictionem, nullam pugnam,
nec aliud quid adeſſe, quod prohibeat, quo minus ejuſmodi En-
tis ſumme perfecti ideam animo ſiſtamus, neque, quod Deus in-
comprehenſibilis ſit, propterea ſequi, nos nullam ejus habere
p. 513. ideam, ſiquidem ignorantiam ſuam iſti homines prodant hoc
objicientes, dum neſciunt, quo ſenſu Deus incomprehenſibilis
dicatur, qui enim eum comprehendi poſſe negant, non hoc ſibi
volunt ac ſi nulla plane ratione agnoſci queat, ſed quod huma-
næ mentis nimis anguſti limites ſint, quam ut Deum cum omni-
bus ſuis perfectionibus plene & accurate comprehendere poſſit.
Quis vero hanc ratiocinationem ferret: cujuſcunque rei non
datur plenus, perfectus & adæquatus conceptus, illius nullus da-
tur conceptus, illa eſt non Ens? Certe nihil aliud agunt *Athei*,
dum ita rationes ſubducunt, quam ut ſe ipſos *traducant turpiter*.
Hanc autem ſententiam, nos ſcilicet nullam habere Dei ideam,
quemadmodum multa alia ad Atheiſmum ducentia dogmata,
modernos Atheos ex ſcriptis Thomæ Hobbeſii haurire Autor
oſtendit & abſurda ejuſdem philoſophemata ſuper hac re ſolide
514. confutat. Contra eundem §. ſq. demonſtrat, dari omnino ſubſtan-
519. tias incorporeas, uti & jam antecedente capite §. VII prolixe evi-
421. cerat, operationes animæ immaterialitatem ejus ſatis comproba-
re, & turpiter hic ſe dare Atheos, dum explicare volunt,
quo pacto ſubſtantia materialis percipere & intelligere queat,
id quod vel Titus Lucretius Carus omnes ſuo condocere exem-
plo poſſit. In reſponſionibus ad objectiones Atheorum contra
provi-

providentiam divinam Cl. Autor inprimis quoque oſtendit, Petrum Bælium falſo ſibi perſuaſiſſe, quod argumenta ab origi- p. 552.
ne mali deſumta ſint inſolubilia, quod cum & ab aliis Viris piis atque doctis contra hunc Atheiſmi patronum ſatis demonſtratum fuerit, iis recenſendis immorari nolumus. Quin potius illud adhuc commemorare haud abs re fuerit, Rev. Autorem c. IV de cauſis, proprietatibus & effectibus Atheiſmi ſermonem inſtituere, ubi obſervat, præter connatam ad prava quævis inclinationem & a Deo, ceu judice ſupremo, averſionem, præcipuam Atheiſmi cauſam eſſe ambitionem: nimirum homines ambitioni deditos admodum ſibi placere, ſi ſententias ſingulares, quibus a vulgo eruditorum diſtinguantur, foveant, aut ſi ſoli ſibi ſa- 309.
pere videantur, reliquosque homines pro ſtupidis, ſimplicibus, vera ſapientia & eruditione deſtitutis habeant. Hunc Atheorum characterem eſſe, Benedicti de Spinoza aliorumque exempla teſtari. Quamvis vero Athei alios pro ſtultis habeant, ipſos 332.
tamen eſſe omnium ſtultorum ſtultiſſimos, non ſolum Spiritum ſanctum aſſerere, verum etiam ipſam rationem dictitare: cum enim alios pro ſimplicibus & credulis habeant, ipſi plane incredibilia & impoſſibilia pro certis veritatibus amplectuntur, v. gr. nihil eſſe hoc univerſum, niſi materiam ſenſu carentem & fato fortunaque impulſam; primos homines fungorum inſtar e terra natos &c. quæ & id genus plura alia irrationalitatem & ſtultitiam Atheorum ſatis arguunt, dum ad difficultates quasdam, quas facile, ſi vellent, evitare poſſent, ſyſtema aliquod admittunt, quod non tantum difficultatibus pluribus & longe majoribus premitur, ſed plane abſurdiſſimum eſt. Poſt ſtultitiam & irrationalitatem inter reliquas Atheiſmi proprietates Autor refert externam virtutis ſpeciem, qua Athei vitia animi turpiſſima 332.
utcunque tegere, ut eo facilius incautos decipiant, annituntur. Nam veram virtutem Atheis eum ſaltem tribuere, qui prorſus, quid virtus ſit, ignoret. Etenim cum vera virtus conſiſtat in 336.
ſtudio ſincero ſe & omnes actiones ſuas ad voluntatem atque legem Numinis confirmandi, qui fieri poſſet, ut homo, qui Deum non credit, adeoque legem divinam non admittit, ad eam tamen actiones ſuas componere anniteretur? nullam itaque cum admit-

Digitized by Google

tant legem divinam, mirum non eſſe, quod & nullum admittant peccatum. Peccatum enim eſt ἀνομία, ubi ergo nulla lex,
p. 338. ibi & nullum peccatum. Quid quod ſublatis legibus divinis, ipſum etiam imperii civilis fundamentum evertunt, ſimulque
339. juſtitiam & quaſcunque ei ſuperſtruunt virtutes. Fatentur enim, vel ſaltem fateri neceſſe habent, imperium civile pactis niti & conventionibus, ſed ſi leges divinas, quæ pacta ſervare jubent, tollas, quid quæſo eſt, quod ad pacta ſervanda homines inducere queat? nihil certe aliud, quam utilitas. Ergo & ſubditi tam diu imperantibus parebunt, quam diu hoc e re ſua eſſe exiſtimaverint. Hinc Petrum Bælium Autor confutat, qui πὺξ
339. καὶ λὰξ defendere voluit, Atheiſmum neceſſario non ducere ad morum corruptionem, quin ſuperſtitionem longe deteriorem eſſe Atheiſmo, quod falſiſſimum eſſe Autor oſtendit, ſiquidem ſuperſtitioſorum, qui Dei quodam timore tangantur, in exter-
340 ſq. næ virtutis ſtudio præ Atheis, qui omnem Dei timorem prorſus abjecerunt, quædam ſit prærogativa, & quantumvis fœda ſit ſuperſtitionis facies, quantumvis etiam magna ex ea in Eccleſiam pariter ac Remp. redundent incommoda, ut ſummo ſtudio fugienda ſit & evitanda, quia tamen humanæ ſocietatis vincula
346 ſqq. non convellit penitus ac labefactat, Atheiſmum fœdiorem adhuc magisque noxium eſſe negari non poſſe. Quod autem per
351. Atheiſmum rerum publicarum fundamenta, quibus civium ſalus omnisque vitæ tranquillitas innititur, concutiantur & labefactentur, vel exinde patere, quod fundamentum aliud reip. ſeu ſocietatis civilis concipi nequeat, quam pactum inter imperantes & cives initum, quo hi illorum ſe imperio ſubjecerunt. Sublata autem lege divina, quæ vis, quæ efficacia, quæ obligatio pactorum erit? Nonne extremæ ſtultitiæ eſt, pacta cum hominibus inire, qui putant, ſe ad ea ſervanda non eſſe obſtrictos? Ergo ipſum omnis ſocietatis civilis fundamentum corruere neceſſe eſt: nec utilitatis rationem hoc præſtare poſſe, ut homines pa-
354. cta ſervent, ex jam ſupra dictis patet. E contrario ſocietatem ex veris Chriſtianis compoſitam quam optime conſiſtere poſſe, contra Bælium Autor oſtendit: quicquid enim Bælius ogganniat, nullam ſocietatem ſine bellis, quibus vim ſibi illatam repel-

lat,

Digitized by Google

lat, ſe conſervare poſſe; bella autem & quæ cum iis conjuncta ſunt, cum moribus verorum Chriſtianorum conciliari non poſſe: ſua ſponte tamen hæc omnia corruere, ſi obſervemus, Chriſtianam charitatem, abnegationem ſui, pravarumque cupiditatum coercitionem, cum officio magiſtratus bene conſiſtere poſſe. Et licet vindicta privata a moribus Chriſtianorum merito aliena ſit, neutiquam tamen illis defenſio, ſuis limitibus circumſcripta, præſertim ſi a magiſtratu ex cauſis juſtis & neceſſariis ſuſcipiatur, repugnat. Quare nec bella gerere Chriſtianis nefas fuerit, aut ea agere, quæ ad bella gerenda neceſſaria ſunt; modo, quæ in hiſce omnibus, legibus divinis contraria, occurrunt, eo, quo par eſt, ſtudio evitentur.

In ipſa exiſtentia Numinis probanda, quod præcipuum cauſæ momentum eſt, cui cap. V deſtinatum, ita verſatus eſt Autor, ut argumentis non inuſitatis quidem, ſolidis tamen, perſpicuis & ad omnium captum accommodatis uteretur, quandoquidem ii, qui ingenii oſtentandi cauſa a via recepta diſcedunt, hoc demum obtineant, ut cauſam optimam peſſime agentes, Atheis vel inviti, ſi modo non interdum data opera, victoriam tradant. Argumenta vero, quibus Deum eſſe demonſtratur, deſumuntur tum a notitia Dei inſita omniumque cordibus inſcri- p. 360.
pta, quam contra eandem negantes Autor ſtrenue propugnat, ſiquidem ipſa experientia doceat, inclinationem quandam efficaciſſimam & propenſionem omnium hominum mentibus inſitam eſſe, qua ad aſſenſum propoſitioni, quæ Deum eſſe, eumque eſſe colendum affirmat, præbendum vel inviti trahantur, id 362.
quod liquidiſſime conſtet ex teſtimonio conſcientiæ, ob improbe facta homines de Deo ceteroquin non cogitantes, ipſos, etiam Atheos, damnantis & metum hinc atque terrorem incutientis, unde quoque Paulus confirmet, notitiam legis & per conſequens vi relatorum, quorum unum ſine altero eſſe nequit, notitiam legislatoris, qui transgreſſores punire poteſt, cordibus hominum eſſe inſculptam. Quo accedat univerſalis gentium totius orbis, Deum eſſe agnoſcentium, conſenſus, quem inprimis contra Bælium defendit ejusque argumenta diluit; hujus au- 365.
tem univerſalis conſenſus non aliam cauſam eſſe poſſe, quam

 natu-

naturalem illam & a Deo omnium mentibus inſitam propenſionem, qua omnes ad veritatem hanc admittendam natura feruntur. Etenim impoſſibile eſſe, hunc univerſalem conſenſum
p. 366. vel ab educatione vel ab alio quodam inſtituto humano ortum trahere potuiſſe, quod fuſe deducit Autor non ſolum in hoc ve-
366. rum etiam ſequenti capite, ubi eos refellit, qui religionem ade-
531. oque & opinionem de exiſtentia & cultu Numinis inter callidiorum hominum commenta politica referunt, ad continendam eo facilius in obſequio plebem comparatam. Argumenta ad acquiſitam Dei notitiam pertinentia Autor ad tres claſſes revo-
372. cat, quarum prima metaphyſica, altera phyſica, tertia hiſtorica complectitur, quæ profecto ita comparata ſunt, ut non poſſint non quemlibet in veritatis conſenſum pertrahere, niſi ad neganda manifeſtiſſima quæque animum obfirmaverit.

Abſoluta Atheiſmi refutatione Autor progreditur ad
655. doctrinam de ſuperſtitione, ſiquidem Atheiſmum evitaturi haud raro in ſuperſtitionem ceu alterum extremum prolabantur, Deumque equidem & credant & colant, ſed perverſe admodum, nec ea, qua hoc fieri debebat, ratione, atque hinc quantopere vera religio & ſuperſtitio a ſe invicem differant, patere, illam non alium quam verum Deum & ea quidem ratione, qua coli vult ac debet, colere, hanc aut aliud quid, quam verum Deum, aut alio ſaltem modo aliaque ratione colere. *Illam immotis certisque niti veritatibus*, quas ſanæ mentis homo repudiare negat, hanc affectibus pravis, figmentis, *commentisque ſubinde* ludicris, quæ ſanæ mentis homo nunquam admiſerit, quod religionis & ſuperſtitionis diſcrimen eo diligentius obſervandum, quo ſolennius Atheis, hæc inter ſe commiſcere & ſuperſtitionis nomine etiam religionem refutare atque traducere. Cum tamen ſuperſtitio itidem noxia ſit, immo pro quadam animorum peſte habenda, in ea æque ac impietate eradicanda & ex animis mortalium evellenda cordatis Eccleſiæ Doctoribus ex Autoris noſtri ſententia elaborandum erit.

ELEMENTS OF POLICY CIVIL AND ECCLEſiaſtical.

h. e.

ELE-

ELEMENTA POLITICES CIVILIS ET ECcleſiaſticæ, *Methodo Mathematica propoſita a M. E.* Londini, apud Joh. Morphew, 1716, 8. Plag. dimid. 12.

CUm notiſſima ſint nomina factionum, quæ ſtatum politicum & eccleſiaſticum Anglicanum noſtris temporibus dividunt, Autor, quem Matthiam Earbery vocari tradunt, in hoc libello velut in compendio rationes eorum expreſſit, qui rigidioribus partibus addicti dicuntur, & paſſivam obedientiam Regibus præſtandam usque urgent. Totusque eſt adeo in prima parte ejus, ut oſtendat: ſupremam poteſtatem non eſſe a conſenſu populi, Regesque ipſos Angliæ gaudere ſuprema autoritate ſupra parliamenta; in altera vero pro conſtitutione Eccleſiæ Anglicanæ, & regimine ejus Epiſcopali omnibus viribus pugnat. Cumque illud facere allaboraverit methodo Mathematica, ſententiæ ſuæ nervos in perſpicuas & ſuccinctas propoſitiones colligens, illud ſaltem effecit, ut eo facilior eſſet ponderis argumentorum ejus diſcuſſio his, qui id negotii voluerint ſuſcipere. Initio ergo in priori parte Definitiones præmittit ex parte ſatis generales, *poteſtatis*, quod ſit aptitudo quædam ſive facultas ad obtinendum certum finem requiſita, quæ ipſa ſit vel naturalis, conſiſtens in corporis mentisque robore, vel acquiſita, & in hominem aliunde derivata; *Juris*, quod vocat prætenſionem vel titulum, quem quis habet ad poſſeſſionem alicujus boni; *Legis*, quæ eſt ipſi canon vel regula, ad quam homines actiones & cogitationes ſuas conformare teneantur, quamque dividit in divinam & humanam; *Supremæ poteſtatis*, quæ ſola facultatem ad obtinendum certum aliquem finem ab eo habere dicitur, quamque aliis verbis definit *poteſtatem in ſocietate*, quæ nullam aliam in iſta ſocietate ſuperiorem agnoſcat, *ſocietate* ſumta pro collectione hominum, quorum actiones externæ a poteſtate quadam ſuperiori in eadem exiſtente limitentur & reſtringantur.

Def. 1. 2 & 3. 4. 7. 11. 13.

His ſubnectit axiomata, quorum præcipua ſunt: I quod nullum jus vel poteſtatis exercitium poſſit transferri in alium, niſi

niſi ab eo qui idem jus prius habuerit. II Nemo etiam jus habeat poteſtatem aliquam exercendi, niſi ſibi connatum aut in in ipſum translatum. III Duas poteſtates æquales eundem finem reſpicientes eſſe æquales. IX Eas Poteſtates, quæ limites ſibi invicem ponere poſſunt, ſibi eſſe invicem æquales, adeoque independentes. X Itemque duas poteſtates fore independentes, cum neutra habeat poteſtatem coercitivam, cui alterutra ſit ſubjecta. XI Duas autem ſupremas poteſtates in eadem ſocietate non poſſe conſiſtere. XII Sublata autem ſuprema, nullam aliam poteſtatem in ea ſocietate locum obtinere.

P. I. Deinde ad rem ipſam accedens Prop. I evincere conatur, quod ſi poteſtas omnis imperantium ſit a conſenſu populi in ſtatu naturali, quem ſibi quidam, interque eos nominatim Hookerus, finxiſſent, inde conſecuturum eſſe, ut Princeps non habeat plus poteſtatis quam quodvis membrum ſocietatis poſſederit ante illud pactum mutuum initum, neque adeo ipſe habiturus ſit jus vitæ & necis.
2. Porro admiſſo ſtatu aliquo naturali in quo homines omnes liberi exiſtant, ſequi credit, eſſe poteſtatem Principis tantum mutuatam, adeoque quodvis individuum poſſe poteſtatem ſuam repetere. Imo cum Principis autoritas ſit tantum repræſentativa juris, quod eſt in populo; jus vitæ & necis, quod Principem habere deprehendimus, etiam in quovis
3 alio homine reſidere. Ulterius in ſtatu *ejusmodi naturali* neminem liberos ſuos nondum natos, ſed cum omnimoda libertate naſcituros, obligare poſſe ad agnoſcendum *alterius imperium*, liberumque adeo cuilibet futurum eſſe reſpuere omnem aggregationem ad ſocietates civiles, martyrumque fore loco cenſendos qui in uſu connatæ ſibi libertatis latrocinia exercentes ſupplicio afficerentur.

4. Quæ cum omnia abſurda exiſtant, potius concludendum,
5. homines nec in ſtatu ejusmodi naturali natos, & jus parentum in liberos eſſe in ipſa natura humana fundatum. Idque non ſolum comprobari ex eo, quod obedientia parentibus præſtanda in Scriptura S. mandetur, unde facile & recte colligatur, quod ipſa pars ſit moralitatis, neque fundata ſolummodo in conſenſu voluntario & revocabili, ſed præſertim inde, quod altera illa aſ-

ſertio

Digitized by Google

ſertio inſignem etiam aliam abſurditatem ſecum ferat, nempe quod parentes, qui jus aliquod in liberos exercere voluerint, expectare teneantur, donec ii ad annos diſcretionis perveniſſent.

Quoniam vero poteſtas patria & civilis commune quid- P. 6.
dam habeant, ideo hanc ſimul cum illa exiſtere cœpiſſe prop. VI innuit, ulteriusque confirmat ex eo, quod niſi poteſtas imperantium eſſet mundo coæva, & diluvio ſuperior, Scriptura S. originem ejus ſine dubio fuiſſet indicatura, cum inventionem rerum minoris longe momenti accurate annotaverit. Ergo juxta eum Adamus judiciali forma ſententia contra fratricidam Cainum lata poteſtatem regiam exercuit, & benedictiones Noachi & reliquorum Patriarcharum nil aliud quam ſucceſſoris in regimine declarationem continebant.

Propoſitione adeo VII tandem probat, poteſtatem im- 7.
perantium eſſe juris divini, ita: ſicuti patria poteſtas ex eo habeatur juris divini, quod obedientia ipſi præſtanda lege Dei in Scriptura Sacra injungitur, ita exinde, quod ad parem obedientiam Principibus exhibendam in Scriptura commonemur,
illa etiam divini juris habenda eſt. Neque diverſam rationem 8.
deſignandi Principis apud diverſas gentes receptam naturam hujus autoritatis mutare dicit, aut efficere, quo minus ea ſit a Deo derivanda, quia Scriptura S. Regibus, qui modis etiam diverſis ad imperium perveniſſent, parere præcepiſſet.

Propius deinde ſe ad conſtitutionem politicam regni
Anglicani convertens, quoniam frequentibus Parliamenti de- 10.
clarationibus Rex Angliæ ſoli Deo ſubditus pronuncietur, evidens ait eſſe, quod Anglia Monarchica ratione gubernetur, nec vocari reſpublica poſſit: planeque abſonum eſſe dicere, ſummum imperium in ſtatibus regni reſidere, quæ fuerit Bezæ ſen-
tentia, quem propterea æterni rebellis convitio notat. Quod 11, 12.
ipſum ut magis appareat, oſtendit ſupremam poteſtatem ita debere eſſe comparatam, ut, quoties opus ſit, vi exerceri queat. Atqui conventus procerum & populi ſive parliamentum poſſe a Rege vel convocari vel diſſolvi, adeoque exercitium poteſtatis eorum tolli; unde conſequatur nec eos ſuprema poteſtate gaudere.

Digitized by Google

P. 9. Poteſtati ſupremæ nullatenus reſiſti poſſe, ex definitio-
13. ne ejus clarum eſſe judicat. Omne imperium eſſe abſolutum di-
cit, eo ſenſu, quod contineat in ſe unam aliquam ſupremam
poteſtatem, a qua nulla detur appellatio; duas enim poteſta-
14. tes a ſe invicem independentes æquales locum non habere. Ne-
que tamen legibus, quæ prærogativis regalibus limites præſcri-
bunt, & libertati ſubditorum cavent, poteſtatem Principis im-
16, 17. minui credit. At cum Regi a quibusdam executio ſaltem legum
concedatur, legislatoria poteſtate aliis transſcripta, oſtendit, eo
caſu Regem non ſupremam poteſtatem ſed repræſentativam
habiturum, ſupremam autem habituros, qui leges darent, velu-
ti proceres, quibus tamen hæc poteſtas inconcinne admodum
tribuatur, cum ipſi juramentum ſuprematus & fidelitatis Regi
præſtare teneantur.

18. Concludit tandem ſupremam poteſtatem eſſe unum
quoddam & puncti inſtar indiviſum, multisque modis eſſe con-
tradictorium aſſerere, diſtributam eam eſſe inter aliquot mem-
bra, quæ mutuo rationem factorum exigere, & coercitivam po-
teſtatem in ſe invicem exercere poſſint.

Parte ſecunda, quæ de Eccleſiaſtica poteſtate agit, præ-
miſſa definitione *Eccleſiæ*, quæ ipſi vocatur: Societas unitatem
colens propterea ut Chriſtiana fides conſervetur & æterna fe-
licitas hominum promoveatur; & *Eccleſiaſticæ poteſtatis*, quam
1. appellat facultatem obtinendis hiſce finibus aptam. Primo
monſtrat non eſſe contradictorium, ut duæ a ſe *invicem inde-
pendentes* poteſtates jus quæque ſuum exerceant in idem ſubje-
ctum, modo functiones ejus diverſos reſpiciant fines, & impri-
mis ſi media, quibus unaquæque ad obtinendum finem ſuum
utatur, non obſint mediis, quibus inſtruitur altera; adeoque Eccle-
ſiaſticam & politicam poteſtatem in eadem ſocietate hominum
2, 4. conſiſtere poſſe. Eſſe vero Eccleſiam vel potius Eccleſiaſticam
poteſtatem a ſtatu politico independentem ex eo unice probat,
quod diverſos fines reſpiciant; ex quo quidem nil aliud ſequi
videtur, quam quod ſint diverſæ naturæ. Magiſtratum adeo
civilem nullam ſibi poteſtatem arrogare poſſe in Eccleſiaſti-
cum, ſicuti nec qui eccleſiaſtica gaudent poteſtate, in eos, qui
temporali ornantur.

Utraque

Digitized by Google

Utraque autem poteſtate inſtrui unum aliquem non eſſe P. 3.
contradictorium; quis vero a Deo tali poteſtate inſtructus ſit,
in politicis quidem ex legibus & conſtitutionibus regionum di-
gnoſci, in Eccleſiaſticis vero e Scriptura S. novi Teſt. innuit; niſi
quis forte peculiarem revelationem habeat. Neſcit adeo Autor,
quo lumine colluſtratus Henricus VIII ſuprematum in ſpiritu-
alibus ſibi vindicaverit. Illud interim ex ipſius ſententia, quod
omnes Reges ſint Epiſcopi, ſequi debere putat, quod pariter
omnes Epiſcopi ſint Reges. Nullo vero modo Eccleſiaſti- 5.
cam poteſtatem partem civilis eſſe ſtatuendam, cum prono al-
veo inde deriventur inſignia abſurda, veluti: quod eo caſu
Ethnici Principes Chriſtianæ religionis capita eſſe poſſint: item, 6.
quod Princeps idem jus ſtatuendi habeat in Eccleſiaſticis, quod
in civilibus, adeoque credenda ab eo non minus præſcribi poſ-
ſint ac leges, atque ita Coranum ipſum Scripturæ loco ſubditis
regulam fidei præſcribere licite valeat; ulterius quod Chriſtia- 18.
niſmus in tot ſocietates ſit diſperſus, quot ſunt ſummi impe-
rantes; confeſſioque illa, qua Catholicam Eccleſiam in ſym-
bolo profitemur, lepidum hunc ſenſum ſit habitura: Credo
ſanctam Catholicam Eccleſiam, cujus fines pace Ryswicenſi
vel Ultrajectina per legatos Principum & Belgicos deſcripti.
Præterea inde fluere omnem poteſtatem Eccleſiaſticam, ſive 10, 11.
potius poteſtatis Eccleſiaſticæ partes, quæ ab ipſo enumeran- 12, 13, 15, 16.
tur ſequentes, poteſtas prædicandi Evangelium, excommuni-
cationis, abſolutionis a peccatis, conſecrandi euchariſtiam, in-
jungendi pœnitentias, confirmandi adultos, eſſe non niſi dele-
gatas a Principe, adeoque in ipſo primario reſidere: ut adeo
habeat poteſtatem adminiſtrandi Sacramenta, quod tamen
multis modis abſonum, & ab ipſa Regina Eliſabetha impro-
batum.

Cum vero e contrario lege divina hujusmodi poteſtates, 8, 9.
quæ a civili magiſtratu conferri haud poſſint, demandatæ ſint
perſonis particularibus, inde apparere, quod hæ poteſtates ſint
independentes, niſi quis dicere voluerit, quod Apoſtolis tradita
eſſet pars poteſtatis ſecularis. Unde adeo infert, magiſtratui ci- 18.
vili non competere denominationem ſubjectorum ad exerciti-

 um

um harum poteſtatum. Abſonum enim eſſe dicere, a Principe perſonas denominari ad exercitium juris, quod habeant ipſæ naturali jure. Eque ipſa hac ita probata exemtione eccleſiaſticorum a denominatione Principis omnium maxime ſequi judicat independentiam Eccleſiæ a ſtatu politico; taxatque adeo acriter formulam, ſive clauſulam in Anglia legis loco receptam, quod Rex ſit ſupremus Gubernator in omnibus Eccleſiaſticis & civilibus cauſis, tanquam imprudenter, & ſine attentione ad conſequentias inde manantes aſſumtam, cuique articulis fidei Anglicanæ Eccleſiæ diſerte contradicatur, utpote quibus Principi poteſtas adminiſtrandi ſacramenta denegetur.

Totum ergo illud quod Principi competat in Eccleſia,
p. 19. ei non ut perſonæ Eccleſiaſticæ, ſed ut magiſtratui civili compe-
tere; hoc enim jus pridem a Deo eum habuiſſe, nullum autem
20. in N. T. eidem ſuperadditum. Nullaque adeo in re Eccleſiam
Principi ſubjectam niſi in determinatione indifferentium
rerum.

21, 24. Quod ſi tandem hæ poteſtates confundantur in Eccle-
ſia, oriri inde Schiſma: ſchiſmaticos autem eſſe etiam eos, qui
non ſunt in communione cum ſuis Epiſcopis reſpectivis. Nam
22. ſecundum Noſtrum Epiſcoporum autoritas tanta eſt, ut perti-
neant ad eſſentiam Chriſtianiſmi, quod ſufficienter dudum pro-
batum credit hoc ipſo, quod conſtituti ſint *jure divino cum* au-
toritate in Presbyteros & Diaconos. Imo cum nullus ſit ordo
iis ſuperior in orbe, quemvis Epiſcopum in ſua *diœceſi ſupre-*
mum, neminique niſi Chriſto capiti ſubordinatum facit. Ob-
jectioni, quam fieri ſibi poſſe prævidet, quod nempe hoc modo
in una ſocietate plura futura ſint capita, ita ſatisfieri poſſe ſibi
perſuadet, dicendo: Epiſcopum eſſe ſummam poteſtatem in
terris, ſed non abſolute ſupremam in omnibus eccleſiaſticis cau-
23. ſis. Qui porro a ſuprema poteſtate civili in exercitio autorita-
tis ſuæ poſſit limitari vel reſtringi, cum ſupremus ipſe exiſtens
æqualem in Eccleſiaſticis non agnoſcat.

25, 26. Abſque Epiſcopi autoritate vero nihil in Eccleſia regulari-
ter fieri poſſe, poſtremo infert, omniaque eſſe invalida, præci-
pue baptiſmum. Admittere enim aliquem in ſocietatem Chri-

ſtianam,

ſtianam, (quod fiat in baptiſmo) illud competere ſoli rectori ſocietatis, vel ab illo delegatis, pari ratione, qua ipſi ſoli competat excommunicatio ſive excluſio e ſocietate.

Hæc cum ad mentem ſuæ partis diſſeruiſſet, ultima propoſitione poteſtatem Papæ ſupremam impugnat, ex eo præſertim capite, quod nullam aliam niſi Epiſcopalem ordinationem receperit, adeoque non poſſit eſſe potior quam alius Epiſcopus; plura deinde abſurda nectit, quæ ex ſuppoſito ſuprematu Papæ fluant. p. 27.

Concluſionis loco ea, quæ utraque libelli parte propoſuerat, conjungens, adverſariis objicit aliquot abſurda, quæ cogantur vel inviti admittere, cum ſemel dixerint omnem poteſtatem eſſe a populo, eccleſiam vero inſuper ſtatui politico ſubjectam. Nam eos ait quemvis privatum ſtatuere ornatum omni Eccleſiaſtica poteſtate, judicemque ſui ipſius, & clavium cœlorum, ut vocant, arbitrum.

JO. JAC. LEHMANNI, ORDIN. PHILOSOphorum in Acad. Jen. Adjuncti, Trutina vulgo Bilanx Europæ norma belli pacisque hactenus a ſummis imperantibus habita &c. Acceſſit præfatio de juſtitia belli ab Auguſtisſimo noſtro Imperatore Turcis inferendi.

Jenæ, ap. Jo. Bernhard. Hartungium, 1716, 8.
Plag. 13.

CUm Cl. Autor cognoverit, duo maxime perficere jus naturale atque gentium, præcepta genuino evidentique fundamento ſuperſtructa & applicationem horum ad exempla tam præterita, quam cumprimis præſentia; ideo non modo in illis rite inveſtigandis, ſed etiam in his accurate annotandis hactenus occupatus fuit. Hujus laboris varia edidit ſpecimina, ad quæ referenda quoque eſt præſens *de bilance Europæ* conſcripta commentatio. Præmiſit huic præfationem, *de juſtitia belli ab Imperatore noſtro Turcis inferendi*, in qua non rejectis aliis *cauſis*, ut vocantur, *juſtificis*, præſertim *bilancis Europææ cuſtodiam* urget.

Ipſam vero commentationem in tria diviſit capita, quorum *primum* hiſtoricum eſt, in quo exempla tradit tum eorum qui juſto majora aliquando affectarunt, tum illorum qui obicem eis poſuere, *ſecundum* normam actionum ſummi Principis, aut Reipublicæ evolvit, & bilancem ad inſtituta gentium refert; *tertium* tandem leges & regulas prudentiæ proponit, quæ circa æquilibrium obſervandæ ſunt. Hæc ut apte ſatis diſcutiuntur ab Autore, ita ex ipſo fonte cognoſci malumus, præſertim cum ejus generis libelli politici ab inſtituto noſtro alieniores videantur.

INDEX AUTORUM,

quorum Libri aut Inventa hoc volumine recenſentur.

I. *Libri Theologici & ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectantes.*

Acta cauſæ rituum ſeu ceremoniarum Sinenſium. 58

Anonymi Hiſtoria Eccleſiæ Lutheranæ &c. 15

Epiſtola ad Autorem Hiſtoriæ Eccl. Lutheranæ. 16

Exacta deſcriptio religionis Georgii R. Angl. 16

Hiſtoria originis & incrementorum Schiſmatis in Europa ſubſiſtentis. 61

Collectio Diſſertationum Critic. ad difficiliora S. Scripturæ loca. 337

Baluzii (*Stephani*) *Miſcellaneorum liber VII.* 145

Bennet (*Sch.*) *Introductio in ſtudium Theologiæ Syſtematicæ & XXXIX. Articulorum Eccl. Angl.* 206

Tentamen in XXXIX articulos Eccl. Angl. 491

Bernhardi (*Jac.*) *Tr. de excellentia religionis.* 20

Bingham (*Joſ.*) *Origines Eccleſiaſticæ. Tomus IV.* 474

Brett (*Thomæ*) *Reviſio principiorum Lutheranorum.* 16

Buddei

Buddei (*Jo. Franc.*) *Theſes Theologicæ de Atheiſmo & Superſtitione variis obſervationibus illuſtratæ.* 549
Burneti (*Gilb.*) *Hiſtoria reformationis Eccleſiæ Anglicanæ. Volumen III.* 241
Calmeti (*Auguſtini*) *Commentarius literalis in Evangelium Matthæi.* 202
Derham (*Wilhelmi*) *Theologia Phyſica, ſeu demonſtratio Dei ex creatione.* 106
Theologia Aſtronomica, ſeu demonſtratio Dei ex contemplatione cælorum. 160
Eckhardi (*Tobiæ*) *Technica ſacra.* 73
Engelſchall (*Car. Godofredi*) *Sæculi moderni præjudicia nonnulla de Capitibus fidei.* 259
Geddes (*Mich.*) *Varii Tractatus contra Papatum.* 246
Gramlichii (*Jo. Andr.*) *Tract. de fœderibus divinis in genere.* 503
Hanſchii (*Mich. Gottlieb*) *Diatriba de Enthuſiaſmo Platonico.* 434
Haſæi (*Theod.*) *de ὀνολατρεία, ſeu calumnia cultus aſini a Gentilibus Judæis & Chriſtianis impacta, Diatriba.* 341
Henry (*Matthæi*) *Expoſitio librorum hiſtoricorum Novi Teſtamenti.* 489
Hiltebrandi (*Jodoci Andr.*) *Schediaſma de vocatione interna.* 119
S. Hippolyti *Opera, Græce & Latine, cura Jo Alb. Fabricii.* 441
Van den Honert (*T. H.*) *Theologia naturalis & revelata per aphoriſmos.* 59
Joncurtii *Epiſtolæ criticæ de præcipuis aliquot locis Scripturæ S.* 443
Langii (*Joh. Mich.*) *Tr. de nuptiis & divortiis.* 76
Neumanni (*Jo. Georgii*) *Primitiæ Diſſertationum Academicarum.* 432
Pezii (*Bernhardi*) *Epiſtolæ apologeticæ pro ordine S. Benedicti.* 401
Conſpectus Bibliothecæ Benedictinæ generalis. 403
Acta & mirabilis Vita Wilburgis Virginis. 436
Pycroft (*Sam.*) *de tranquillitate & oblectatione animi.* 115
Richardi (*J.*) *Sententiæ Eraſmi Roter. conformes ſententiis Eccl. Catholicæ.* 430

Rogerii

Rogerii (*Ludov.*) *Diſſertationes duæ Critico-Theologicæ.* 161
Poiret (*Petri*) *vera & cognita omnium prima.* 35
Tgilde (*Abrah.*) *in Zachariæ Caput XIV Lucubrationes.* 471
Thameri (*Jo. Henr.*) *Schediaſma de origine & dignitate Pericoparum.* 506
Turner (*Roberti*) *Diſſertatio de Conſtitutionibus Apoſtolicis adverſus G. Whiſtonum.* 495
Whiſtoni (*Gul.*) *Apologia contra articulos ipſi in cauſa Hæreſeos objectos.* 29

II. *Libri Juridici.*

Alpini (*M. Tatii*) *Diſſ. de furto per lancem & licium concepto.* 35
Averanii (*Joſephi*) *Interpretationum Juris Libri II.* 214
A Coſta (*Jani*) *Comm. in Inſtitutiones.* 35
Cragii (*Thomæ*) *Jus Feudale, cum Præf. Luderi Menckenii.* 381
Gribneri (*Mich. Henr.*) *Principiorum Jurisprudentiæ naturalis Libri IV.* 536
Inſtitutionum Juſtiniani Libri IV cum Comm. Jani a Coſta, ex rec. Jo. vande Water. 35
Langii (*Jo. Mich.*) *Tract. de nuptiis & divortiis.* 76
Menckenii (*Luderi*) *Theoria & Praxis Pandectarum. Partes II.* 192
Relandi (*Petri*) *Faſti conſulares ad illuſtrationem Codicis Juſtinianei & Theodoſiani digeſti.* 211
Trier (*Joh. Wolffg.*) *Animadverſiones in Sam. Strykii Examen Juris Feudalis.* 383
Van de Water (*Joh.*) *Editio Inſtitutionum Juſtiniani nova.* 35
E Wæchtleri (*Chriſtfridi*) *Literis excerpta, occaſione Joſ. Averanii Interpretationum Juris.* 261

III. *Libri Medici & Phyſici.*

Blanchi (*Jo. Bapt.*) *Ductus lacrymales novi.* 480
Brownell (*Joh.*) *Inſtitutiones Medicæ.* 270

Digitized by Google

A Brunn (*Jo. Conradi*) *Glandula duodeni, ſeu Pancreas ſecundarium detectum.* 39
Derham (*Wilh.*) *Theologia Phyſica, ſeu demonſtratio Dei ex operibus creationis.* 106
Douglas (*Jacobi*) *Bibliographia Anatomicæ Specimen.* 83
Funccii (*Joh. Caſp.*) *liber de Coloribus cæli.* 425
Genſelii (*Jo. Adami*) *obſervatio de procidentia uteri totali quoad fundum cum febri maligna.* 224
Heiſteri (*Laurentii*) *de Catharacta, Glaucomate & Amauroſi Tractatio.* 526
Hiſtoria Academiæ Regiæ Scientiarum Anni 1712, cum Comm. Mathem. & Phyſicis. 97
Kennedy (*P.*) *Tentamen circa remedia externa.* 188
Mangoldi (*Jo. Caſp.*) *Materiæ Medicæ Idea nova tripartita.* 190
Rudigeri (*Andreæ*) *Phyſica divina.* 345
Senguerdii (*Wolferdi*) *rationis atque experientiæ connubium.* 273
Severi Sancti, *id eſt*, Endeleichii *de mortibus boum Carmen.* 80
Slare (*Frid.*) *Experimenta & Obſervationes circa lapidem Bezoardicum.* 139
Torti (*Franc.*) *Therapeutia ſpecialis ad febres, una China China, peculiari methodo miniſtrata, ſanabiles.* 220
Variorum Obſervationes Phænomeni luminoſi, quod d. 17 Mart. A. 1716 in multis Germaniæ locis obſervatum eſt. 357, 392
Wolfii (*Chriſt.*) *Explicatio Phænomeni inſoliti, quod d. 17 Mart. A. 1716 Halæ obſervatum eſt.* 365

IV. Libri Mathematici.

ANonymi *Problema: data ſerie linearum per recta in eadem linea conſtantis variationem prodeunte invenire aliam ſeriem linearum, quarum quævis priores omnes ad angulos rectos ſecet.* 216
Epiſtola pro eminente Mathematico Jo. Bernoullio contra quendam ex Anglia Antagoniſtam ſcripta. 296
Beccadelli (*Achicis*) *Obſervatio Eclipſis Solaris A. 1715 d. 3 Maj.* 19

INDEX AUTORUM.

Bernoullii (*Joh.*) *Barometrum novum communi multo accuratius.* 10

Demonſtratio principii hydraulici de æqualitate velocitatis &c. 370

Derham (*W.*) *Theologia Aſtronomica.* 160

Earbery (*Matthiæ*) *Elementa Politices methodo Mathematica propoſita.* 559

Euclidis *Elementorum Libri priores ſex ex verſ. Fred. Commandini.* 57

Funccii (*Joh. Caſp.*) *Liber de coloribus cœli.* 425

Oratio de Deo Mathematicorum Principe. 425

Com. Ab Herberſtein (*Ferd. Ern.*) *Cyclodiatomia.* 428

Problemata Arithmetico-Geometrica. 284

Hermanni (*Jacobi*) *Phoronomia ſeu de viribus & motibus corporum ſolidorum & fluidorum Libri* 2. 1

De Vibrationibus chordarum tenſarum Diſquiſitio. 370

Hertelii (*Chriſtiani Gottlieb*) *Introductio ad Technicam dioptricam.* 278

Hiſtoria Academiæ Regiæ Scientiarum Anni 1712, cum Comm. Mathem. & Phyſicis. 97

Hoffmanni (*Jo. Henr.*) *Obſervatio eclipſis Solaris A. 1715, 3 Maj.* 18

De Koesfeld (*Lotharii Zumbach*) *Jovilabium.* 290.

Poſt (*Petri*) *Opera Architecturæ.* 289

Schmiederi *Obſervatio Eclipſis Solaris A. 1715, d. 3* Maj. 18

Taylor (*Brook*) *Methodus incrementorum directa & inverſa.* 292

Vallerii (*Joh.*) *Obſervatio Eclipſeos Solaris quæ Upſaliæ contigit totalis A. 1715 d. 22 Apr. horis antemeridianis.* 14

Vingboon (*Philippi*) *nova Opera Architecturæ.* 290

Vols (*Erneſti*) *Inſtitutionum Mathematicarum Libri tres.* 281

Willſon (*Henr.*) *Navigatio in novam formam redacta.* 164

Wolfii (*Chriſtiani*) *Elementa Matheſeos univerſæ. Tomus II.* 49

Zumbach *vide* Koesfeld.

V. Libri

Digitized by Google

V. Libri Hiſtorici, Geographici &c.

ACta Cauſæ rituum ſeu ceremoniarum Sinenſium. 58
Anonymi Elogium Gilberti Burneti. 46
Jacobi Perizonii. 95
Nicolai Malebranchii. 232
Gotfridi Olearii. 235
Prudentia retroſpiciendi. 159
Commentarii Hiſtorici Scotiæ. 209
de vita & legationibus Wilh. Templii. 318
Hiſtoria Cardinalis Martinuſii. 438
Brokesby (Franc.) Vita Henrici Dodwelli. 248
Carpzovii (Jo. Bened.) Analecta Faſtorum Zittavienſium. 414
Charitii (Andr.) Commentatio hiſt. literaria de Viris eruditis Gedani ortis. 88
Douglas (Jac.) Bibliographiæ Anatomicæ ſpecimen. 83
Dawnton (Thomæ) Commentaris de vita S. Georgii. 329
Egenolfi (Jo. Auguſtini) Hiſtoria linguæ Germanicæ. 327
Grævii (Jo. Ge.) Cohors Muſarum, ſive Hiſtoria rei Literariæ. 522
Gueudevillii Atlantis Hiſtorici Tomus IV. 148
Gundlingii (Jac. Pauli) Vita Friderici I El. Brand. 92
Hechtii (Godefridi) Comm. de Henrici Guelfi inſignibus gentilitiis. 90
Herodoti Hiſtoriarum Libri IX, induſtria Jac. Gronovii. 193
Krauſe (Theodori) Miſcellanea Gentis Schaffgotſchiæ Hiſtorico-Genealogica. 157
(Joh. Gottlieb) Nova Anni 1715 de rebus ad eruditionem ſpectantibus. 333
Leuckfeldii (Jo. Ge.) Hiſtoria Heshuſiana, ſeu de vita & ſcriptis Tilemanni Heshuſii. 535
Lilienthalii (Mich.) Selecta hiſtorica & literaria. 45
Lunigii (Jo. Chriſtiani) Archivi Imperii Germanici Spicilegium Eccleſ. Tomi IV. 518
Firmiſſima Statuum Europæ Jura. Tomi II. 537
Menagiana. Tomus III & IV. 151

Digitized by Google

Pachelbl a Gehag (*Wolffg. Gabr.*) *Demonſtrationes de Statu Imperii Germ. ejusque Electoribus &c.* 330
Pezii (*Bernardi*) *conſpectus Bibliothecæ Benedictinæ Generalis edendæ.* 403
Relandi (*Petri*) *Faſti Conſulares.* 211
Roth (*Georgii*) *Res Stadenſes, ſive antiqua Stadæ facies.* 89
Rymer (*Thomæ*) *Fœdera, Conventiones, Literæ &c. Tomus XII.* 315
Sibbern (*Nic. Petri*) *Bibliotheca Hiſtorica Dano-Norvegica.* 545
Simonii (*Maturini*) *de literis pereuntibus libellus.* 85
Speneri (*Jac. Car.*) *Hiſtoria Germaniæ univerſalis & pragmatica. Tomus I.* 531
Teiſſerii (*Ant.*) *Additamenta ad Elogia Thuanæa. Tomi IV.* 513
Tenzelii (*Wilh. Ern.*) *Supplementa reliqua Hiſtoriæ Gothanæ ab A. 1440 ad 1700.* 155
Thoresby (*Radulphi*) *Topographia urbis & parochiæ Leodienſis in Comitatu Eboracenſi.* 393
Muſæum, ſeu Index Antiquitatum. 397
Thucelii (*Caſſandri*) *S. Rom. Imperii Acta publica Seculi XVIII. Tomus II.* 520
Vignolii (*J.*) *Diſſertatio apologetica de anno primo Imperii Severi Alexandri Aug.* 120
Walchii (*Jo. Ge.*) *Hiſtoria critica Latinæ Linguæ.* 409

VI. Libri Miſcellanei.

Ackeri (*Jo. Henr.*) *de Monarchomachis & Antimonarchomachis Commentatio.* 439
Anonymi prudentia retroſpiciendi. 159
Rerum per Europam geſtarum a Pace Pyrenæa ad Ultrajectenſem &c. Synopſis. 390
Catalogus Bibliothecæ Lugduno-Batavæ. 540
Bacheti *Dn.* Meziriaci (*Caſp.*) *Commentarii in Epiſtolas Ovidii.* 447
Baluzii (*Steph.*) *Miſcellaneorum Liber VII.* 145
Bergleri (*Stephani*) *Animadverſio in novam Editionem Herodoti a Cl. Gronovio curatam.* 377. 417

Boivini

Boivini *Apologia Homeri & clypei Achillis.* 182
Borrichii (*Olai*) *Diſſertationes ſeu Orationes Academicæ, cum Præf. Severini Lintrupii.* 134
Brockes (*Bartholdi Henr.*) *Infanticidium Bethlehemiticum Marini Germanice verſum.* 385
Collierii *Cenſura Scenæ Anglicanæ.* 322
Daceriæ (*Annæ*) *de cauſis perverſi de artibus ac ſcientiis Judicii Liber.* 178
Deſmarais *vide* Mareſius.
Doria (*Pauli Matthiæ*) *de vita civili & educatione Principis Liber.* 126
Earbery (*Matthiæ*) *Elementa Politices civilis & eccl. methodo Mathematica propoſita.* 559
Gacon *Homerus vindicatus.* 187
Hanſchii (*Mich. Gottlieb*) *Diatriba de Enthuſiaſmo Platonico.* 434
Heræi (*Car. Guſtavi*) *Miſcellanea.* 386
Calculus ſiſtens utraque ſigna cæleſtia, quæ Ser. Leopoldi Aſturiæ Princ. natalitium diem menſemque notant, &c. 388
Heumanni (*C. A.*) *Sapientia ſcenæ Romanæ, cum Annotationibus.* 325
Retractatio & correctio duarum emendationum minus feliciter ſuſceptarum in Epiſtolis Ovidianis. 456
Acta Philoſophorum. Pars I, II, III, IV, V, VI. 483
Jonſii (*Joh.*) *de Scriptoribus Hiſtor. Philoſ. Libri IV.* 391
Krameri (*Matthiæ*) *vere completum Dictionarium Regium Gallico-Germanicum & Germanico Gallicum.* 84
Lehmanni (*Jo. Jac.*) *Trutina vulgo Bilanx Europæ.* 565
Lilienthalii (*Mich.*) *Selecta hiſtorica & Litteraria.* 45
Mareſii (*Regneri*) *Poemata Gallica.* 230
Menagiana. *Tomus III & IV.* 151
Meziriac *vide* Bachetus.
Miſcellanea Lipſienſia ad incrementum rei literariæ edita. Tomus I & II. 405
De la Motte *Ilias Gallice verſa.* 116
Diſſertatio Critica de Homero. 116
Cogitationes de Arte Critica. 182

Pezii (*Bernardi*) *Epiſtolæ apologeticæ pro Ordine S. Benedicti.* 401
Plexiaci *Lexicon Philoſophicum.* 460
Pycroft (*Sam.*) *de tranquillitate & oblectatione animi.* 515
De Rohr (*Jul. Bern.*) *Introductio ad prudentiam vivendi.* 44
Schmier (*Bened.*) *Philoſophia quadripartita.* 461
Severi Sancti, *id eſt*, Endeleichii *de mortibus boum Carmen.* 80
Simonii (*Maturini*) *de literis pereuntibus libellus, cum notis Jo. Herm. ab Elſwich.* 85
Terraſſonii *Diſſertatio Critica in Iliadem Homeri.* 515
Thoresby (*Radulphi*) *Muſæum ſeu Index antiquitatum rerumque artis & naturæ rariorum.* 397
Trapp (*Joſephi*) *Prælectiones Poeticæ. Volumen II.* 168
Walchii (*Joh. Georgii*) *Hiſtoria Critica Latinæ Linguæ.* 409
Weiſii (*Chriſtiani*) *Epiſtolæ ſelectiores.* 42
Werenfelſii (*Sam.*) *Diſſertationum Volumina II.* 508

INDEX RERUM.

Abbas *Sodomiæ crimine convictus.* 146
Abbreviatorum *Societas Romana.* 407
Abſtentionis *beneficium Pratorum.* 218, 219, 266
Achilles Tatius *quando vixerit?* 153
Acidum *ſanguini animantium ineſt.* 100
præternaturale corrigentia quæ? 142
Actionum *moralium fons.* 22
Acus *magneticæ declinatio ut obſervetur?* 166. 167
in diverſis Galliæ locis. 98
declinationis inventor quis? 98
Adamus *num penitus perſpexerit indolem animantium?* 511
Ædificiorum *ichnographia & orthographia.* 56
magnificorum ichnographia & orthographia. 289
privatorum ichnographia & orthographia. 290
Æquilibrium *fluidorum.* 6
Æquilibrii *doctrina profundius pertractata.* 2
regula Archimedea directe demonſtrata. 2
Aer *atmoſphæricus quid ſit?* 351
cur ſit elaſticus? 351
elementaris qualis? 345. 348
eſt ramoſus & rigidus. 274
mutatus in aerem. 356
non eſt gravis. 351

Aer

Digitized by Google

Aer *ut in productione ſoni agitetur?* 90
frigidior in caverna æſtate quam hieme. 98
Aeris *altitudo & denſitas verſus polum creſcit.* 97
vis in corpus humanum unde? 271
evacuatio ope antliæ quot modis fiat? 273
pondus. 275
proprietates. 273, 274
reſiſtentia paſſiva. 275
Aerometriæ *elementa Wolfiana commendata.* 163
Æſopum *unquam exſtitiſſe negatur.* 469
Æſtus *inſoliti cauſa.* 111
Maris phænomena. 97
ut computetur? 97, 167
maximus quando contingat? 97, 111
Æther *quid ſit?* 345, 348
Aggerum *furentibus aquis expoſitorum deſcriptio.* 289
Ainwicus *quis?* 437
אל *nomen Dei quid ſignificet?* 340
Alcorani *cultus & dignitas apud Arabes.* 543
Ad Alcorani *auditum quidam mortui.* 543
Altimetrica *problemata per umbras objectorum ſoluta.* 50
Alvari de Luna *vita.* 248
Amavroſis. 526, 531
quid ſit? 531
ſalivatione curata. 531
Ambitio *præcipua Atheiſmi cauſa.* 555
Amoris *divini criterium.* 22
Analyſeos *Diophanteæ uſus in deſcriptione curvarum.* 101
Anatomica *Bibliographia.* 83
inventa. 83
Anatomici *libri.* 83
Anatomicorum *Vita & elogia.* 83
Anevriſmatis *indoles.* 98, 99
Angeli *quid ſint?* 350
Angelorum *negatio dogma Atheum.* 553
De Angelis *figmentum in Alcorano.* 151
Angli *Oratoriæ ſacræ magis quam Romanæ dediti.* 135
Angliæ *Rex num habeat imperium abſolutum?* 561
Anglicæ *Eccleſiæ cum Lutherana de S. Cœna conſenſus.* 28 ſeq.
Articuli XXXIX. ad normam Scripturæ examinandi. 32
Vide Articuli.
Anglicanorum *motuum deſcriptio.* 159, 160
Anglorum *plagia notantur.* 307
Angulus *deviationis quinam?* 9
directionis tormenti ut in dato caſu inveniatur? 429

Ani-

Anima *quid ſit?* 349
format fœtum. 346, 359
mundi movet partes ſolidas in corpore humano. 271
humana num corpore antiquior? 436
Animæ *eſſentia.* 345
exiſtentia probata. 349
immortalitas probata. 512
Animalia *an aliquot annis ſomnum continuare poſſint?* 137
Animalium *in aere rarefacto ſymptomata.* 275
ſingularia. 109
e diverſis ſpeciebus generatio ut fiat? 350
Annæ, *Reginæ Angliæ nomen affectantis, fraudes.* 156
Annorum *vari[illegible]forma.* 56
Annulus *Saturni quid ſit?* 354
Antimonarchomachorum *catalogus.* 440
Antipodes *aſſerti.* 55
negati. 283
Antliæ *Cteſibianæ theoria mathematica.* 6
pnevmaticæ hiſtoria & examen. 273
phænomena unde? 351
Antœci. 55
Antoninus *Pius Imp. num dictus etiam Hadrianus?* 213
Apoplexia *per topica ut curanda?* 190
Apoſtoli *num omnes Græce ſcripſerint?* 74
Apparatus *ad obſervandas eclipſes Solis deſcriptus.* 14. 15
Apum *hiſtoria.* 77
Aqua *in aerem mutatur.* 356
unde oriatur? 352
Aquæ *pluvialis A. 1711 quantitas.* 98
per foramen ex vaſis erumpentis velocitas. 375
marinæ lentius deſcendunt quam aſcendunt. 97
eo magis deſcendunt, quo magis aſcenderant. 97
Aquarum *in Jove & Luna exiſtentia.* 163
Aræometria *deſcripta.* 6
Arborum *multiplicandarum modum quis invenerit?* 287
Arcani *diſciplina apud veteres Chriſtianos quando cœperit?* 477
qualis fuerit? 477
Archeus *quid ſit?* 349
Architecturæ *civilis elementa.* 56
militaris elementa. 56
Ariſtophanes *an Atheus?* 324
Arithmetica *logarithmorum.* 57
Arnoldus (*Gotfr.*) *notatus.* 88
Arthritis *ut per topica curanda?* 190
Articuli XXXIX *Eccleſ. Angl. ad nor-*

ad normam Scripturæ examinandi. 32
Articulorum *XXXIX Eccl. Angl. editiones examinatæ.* 491 ſq.
Articulis *XXXIX qui ſubſcribere poſſint?* 495
Ex Articulis *XXXIX nonnulli ab ipſis Anglis deſerti.* 32, 33
Artis *muniendi regulæ fundamentales.* 56
graphicæ origo. 468
Aſini *cultus quare Chriſtianis & Judæis tributus?* 341 ſq.
Aſtrolabiorum *ſtructura.* 283
Aſtronomiæ *elementa Wolfiana commendata.* 54
Aſtronomica *inventa Caſſini.* 105
Athanaſianum *ſymbolum a quibusdam impugnatum.* 31, 32
Athei *num dentur?* 550
num virtutem exercere poſſint? 555 ſq.
Atheiſmus *quid & quotuplex?* 552
unde refutetur? 346
num rectæ rationi conformis? 555
num fœdior ſuperſtitione? 556
Atheiſmi *cauſæ.* 555
claſſes diverſæ. 550
552
De Atheiſmo *Tractatus.* 550 ſq.
Atmoſphæra *quid ſit?* 107
conſilio facta eſt. 107
Athmoſphæræ *uſus.* 107
Atrophia *a ſacharo non oritur.* 142
Luſitanorum aceti abuſu fovetur. 142
Attributa *Dei per opera creationis demonſtrata.* 106
ex contemplatione cœlorum oſtenſa. 160
Aves *in aere compreſſo moriuntur.* 110
Aurea Bulla, *Cap. VII* §. 3 & 4 *explicata.* 384
Auri *ſoluti odor roſmarinus.* 140
Auris *talparum anatomia.* 112
Aurora *borealis.* 359
Auſtriæ *Archi-Ducum hiſtoria promiſſa.* 390
De Avtodidactis *quid ſentiendum?* 137
Avtomaton *motus ſatellitum Jovis repræſentans.* 291
Autorum, *qui res naturales illuſtrant, notitia.* 107

BAcheti *Dn.* Meziriaci (*Claud. Caſp.*) *Vita.* 448
Scripta edita & inedita. 448
Bælius (*Petr.*) *Atheiſmi patronus.* 72, 555
refutatus. 556 ſq.
In Bælii *effigiem epigramma.* 153
Baptiſmus *infantum probatus.* 478
Baptiſmi *ſynoyma, materia, forma in veteri Eccl.* 477 ſq.

 Ante

Ante Baptiſmum *mortuis ſepultura ſolennitas olim negata.* 476
Baptizandi *in veteri Eccleſia requiſita quanam?* 479
S. Barnabæ *evangelium ubi reperiatur?* 155
Barometra *quid indicent?* 352
Barometri *conſtructio, phanomena, rationes.* 276
novi deſcriptio. 11 ſq.
phanomena num ab aeris gravitate dependeant? 352
Barometricæ *obſervationes.* 97
Barones *in Scotia quinam dicantur?* 383
Barratria *in Anglia & Scotia quid?* 383
Barrovvius (*Iſaacus*) *a Keilio notatus.* 58
Beckerus (*Balth.*) *refutatus.* 74
Beckeri (*Balth.*) *vita & ſcripta.* 45
Mundi faſcinati hiſtoria promiſſa. 45
Bedæ *ſylva ubi?* 397
Bellum *num Chriſtiano homini conveniat?* 557
Benzoniana *Bibliotheca Hafnia commendata.* 549
Bergeri (*Claudii*) *elogium.* 103
Bernoullius (*Joh.*) *vindicatus.* 296 ſq.
Bezoardicus *lapis eſt factitius.* 141. *non eſt factitius.* 99. *laudatus & culpatus.* 140 ſq.
Bezoardici *lapidis ortus.* 99, 141
Circa Bezoardicum *lapidem Experimenta & Obſervationes.* 139
Biblia *cur non integra in templa afferant Moſci.* 150
Bibliorum *Vinarienſium Autores quinam?* 156
Bibliographia *Anatomica.* 83
Bibliotaphi *quinam?* 46
Bibliothecæ *Benedictina generalis Conſpectus.* 403 ſq.
Lugd. Batava Catalogus novus. 54
incrementa. 541 ſq. 544
Hafnienſes commendata. 549
Bilanx *Europa, norma belli paciſque.* 565 ſq.
Bleskenii (*Dithm.*) *libri* Islandia *fatum.* 547
Boilavii *Operum nova editio promiſſa.* 239
Le Bon, *Artis cogitandi Autor.* 155
Bonitatis *divina veſtigia in natura.* 109
Borrichii (*Ol.*) *Orationes collecta.* 134 ff.
Opera Philologica promiſſa. 139
In Borrichii (*Olai*) *obitum epigramma.* 43
oratio parentalis. 139

Le

Le Boſſu *notatus.* 515
Boylius (*Rob.*) *quid mutaverit in Antlia pnevmatica?* 273
Bruni (*Jordani*) *character.* 469
libri. 469
Bryoniæ *virtus purgans.* 100
Bubones *per topica ut tollendi?* 190
Buntingii *Itinerarium S. promiſſum.* 536
Burggravii *Noribergenſes inter Electorales olim numerati.* 331
Epiſcopis multis prælati. 332
Burggraviorum *Norib. officium.* 331
dignitas. 332
jura. 332
Burneti (*Gilb.*) *elogium & vita.* 46 ſſ.
Burridge (*Rich.*) *vita & fata.* 62 ſq.
ſcripta promiſſa. 64

CAbbaliſtæ *exploſi.* 465
Calcis *vivæ aqua ſaccharum acre non reddit.* 144
quas virtutes habeat. 144
Calculus *per topica ut curandus?* 190
differentialis ut a Leibnitio repertus? 293
Calculus *differentialis a quibus excultus?* 293
cur in Geometria commodior quam in Arithmetica? 293
Calculi *differentialis & integralis hiſtoria.* 296, 297
Calendarii *deſcriptio.* 283
Judaici explicatio. 56
Mahumedani ratio. 56
Calendariorum *Chriſtianorum explicatio.* 56
Calor *quid ſit?* 352
Corporis humani ut variet? 111
Caloris *proportio definitur.* 10
Camerarum *obſcurarum varia genera.* 32, 280
Caminorum *ratio & deſcriptiones.* 299
Cancer *penis per topica ut curandus?* 190
Cancrorum *pedes renaſcuntur.* 99, 353
Capræ *ſaltantes phænomenon unde?* 356
Cardinalis *pileo carens ad electionem Pontificis non admiſſus.* 148
Cardinales *quando capellos rubeos acceperint?* 147
Carpiones *pinguefaciendi modus.* 110
Carteſius (*Ren.*) *caſtigatus.* 346

Caſſini (*Joh. Dominici*) *elogium & vita.* 10
Caſſiodori *nomen integrum.* 21
Cataracta. 526
ut a glaucomate diſtinguatur? 53
num medicamentis curari queat? 530
quid ſit? 528
Cataractæ *cauſa.* 527
diagnoſis. 530
prognoſis. 530
depoſitio ut inſtituenda? 530
Cataractarum *armatarum deſcriptio.* 289
Catarrhi *per topica curandi.* 190
Catechumeni *quo ritu facti?* 475
gradatim in Chriſtiana fide inſtituti. 475
De Catechumenis *varia.* 475 ſq.
Catenaria *qualis curva?* 296
novo modo reperta. 3
Catini *politorii ut fiant?* 278
Cavernarum *ſubterranearum uſus.* 108
Celeritas *navis determinata.* 9
Centrum *oſcillationis.* 296
percuſſionis. 296
Centri *gravitatis demonſtratio.* 10
Cerebri *defectus in fœtu 21 horas ſuperſtite.* 100
Ceruminis *uſus.* 112, 113
Characteres *chronologici.* 56
Cheynæus *notatus.* 307
Chinæ Chinæ *uſus rectus.* 121 ſq.
Cholera *per topica ut curanda?* 190
Chordæ *externa longitudines parvæ ſunt viribus tendentibus proportionales.* 371
Chordarum *æqualiter tenſarum vibrationes in qua ratione exiſtant?* 375
Choroides *præcipuum viſus organum.* 99
Chriſtus *num ante mortem cœnæ Paſchali interfuerit?* 204
Chronologiæ *elementa.* 56
Chylus *a villis inteſtinorum percolatur.* 41
etiam a venis meſaraicis reſorbetur. 41
Chylificatio *ut perficiatur?* 41
Circulus *parabolam in puncto dato & tangentem per verticem ductam una tangens.* 101
Circuli *ſymptomata ſingularia.* 428
oſculatoris indoles clarius demonſtrata. 101
Ciſtula *microſcopica ſingularis.* 279
Civitas *quid?* 394
Civitatum *fœdera quando admodum frequentia?* 415
Clavius (*Chriſtoph.*) *notatus.* 58
Climatum *doctrina.* 55

Clypeus

INDEX RERUM.

Clypeus *Achillis delineatus & deſcriptus.* 184 ſq.
Codex ſacer *num duplici olim charactere deſcriptus fuerit?* 339
Cœlum *flammis ardere viſum.* 361
In S. Cœna *conſenſus Eccleſiæ Angl. cum Lutheranis.* 28 ſq
Colica *per topica ut curanda?* 190
Collinus (*Ant.*) *Atheus.* 551
De Colloquio *Quedlinburgenſi Relationis vindiciæ.* 407
Colores *unde oriantur?* 425, 426
papilionum ſunt pennæ. 114
Colorum *cauſæ.* 425
cœli phænomena. 425
uſus theologici & morales. 428
Mercurii in ſpiritu nitri ſoluti & per alcali præcipitati ratio. 100
theoria Newtoniana rejecta. 427
probata & vindicata. 50
Cometæ *motus prædicti.* 104. 105
qualia ſint corpora? 103, 283, 354
per Zenith tranſitus. 103
Cometæ *quid?* 354
Cometarum *theoria.* 55, 283
Comitum *Palatinorum & Raugrafiorum origo & officia.* 407
Comœdiæ *Anglorum improbatæ.* 323 ſq.
veteribus num poſtponendæ? 323 ſq.
Terentii num Plautinis præferendæ? 323
Comœdiarum *Plauti & Terentii lectio num pueris ſuadenda?* 325
De Comœdiis *Drydenti judicium.* 324 ſq.
Compoſitio *tendentiarum a Leibnitio reperta.* 2
Computus *Judaicus.* 56
Computi *eccleſiaſtici forma.* 283
Conchyliorum *quorundam motus progreſſivus.* 97
Concilium *Barcinonenſe.* 145
Romanum. 146
Condenſationis *in aere quantitas ad numeros revocata* 274
Coni *vitrei ut poliantur?* 279
Conjugium *cum defunctæ uxoris ſorore an prohibitum?* 79
De Conjugio *Patriarcharum quid ſentiendum?* 78, 79
Conjugia *ut diſſolvi debeant?* 79, 80
Conſtantini M. *donatio Sylveſtro Papæ facta num ſpuria?* 246
Conſtitutiones Apoſtolicæ *examinatæ.* 495 ſq.
Conſtructiones *æquationum per combinationem locorum vindicatæ.* 101

Digitized by Google

De Conſulibus, *quorum in Pandectis ſit mentio. Epiſtola.* 212
Conſulares *Faſti, vide* Faſti.
Cor *ſine pericardio.* 99
Cordis *ſtatus præternaturalis.* 99
Corpus *animatum & inanimatum unde componatur?* 345
nullum grave eſt, nullum leve. 351
occiſi cur ſanguinem fundat præſente occiſore? 350
Corporum *partialium varietas unde?* 108
principia, mercurius, aqua, ſal & ſulphur. 352
Copernicanum *ſyſtema commendatum.* 283
Cranmeri *(Th.) Catechiſmus e Lutheri Catechiſmo minore depromtus.* 28
Craſis *corporum ut fiat?* 351
Crepuſcula. 54
Criticorum *dierum fundamentum.* 357
Cruciarius *num ſubito ex ſcelerato piiſſimus factus?* 443
Cruentatio *occiſorum unde?* 350
Cuniculi *ſubterranei.* 56
Curtius *illuſtratus.* 326
Curvæ *projectione gravium orta.* 3
Cyclus *Lunæ ſolaris Caſſini.* 105
Cycli. 56
D
Daceriæ *(Annæ) cum Hovardo de la Mothe lites.* 116 ſ. 178 ſ.
Dæmones *quinam ſint?* 350
Danici *Hiſtorici recenſiti.* 545 ſq.
Danicorum *Scriptorum ineditorum Collectio promiſſa.* 549
Dechales *(Claud. Fr. Milliet) notatus.* 58
Declinationis *acus magneticæ phænomena, hiſtoria, obſervandæ modus, uſus.* 98, 114, 166, 167, 283
Defenſoris fidei *titulus num ſit antiquior?* 91
Ad Deificationem *conſequendam media Platonica.* 436
Denſitas *atmoſphæræ.* 296
Denſitatum *aeris proportio.* 7
Derhami *(Wilh.) Theologia Phyſica commendata.* 105
Des Hayes *(Car.) notatus.* 307 308
Deus *amoris & voluptatis objectum.* 20
incomprehenſibilis quo ſenſu dicatur? 554
Dei *exiſtentia num ex idea de illo probanda?* 511
demonſtrata. 557 ſ.
ideam num habeamus? 553 ſ.
ſapientia, pulchritudo, majeſtas, potentia, amor, timor, e coloribus cœli cognoſcenda. 428
Deorum *gentilium vitia.* 518
allegoria vana. 518
Διάβολος *quid ſignificet?* 74

Diar-

Diarrhœa *per topica ut curanda?* 190
Dierum *criticorum fundamentum.* 357
Differentiarum *in ſummandis ſeriebus uſus.* 293
Dionis *librorum fragmentum in Bibl. Vaticana.* 125
Caſſii pater num fuerit Conſul? 213
Diſciplina arcani *quando cœperit & qualis fuerit?* 477
Diſtantiæ *ut menſurandæ?* 50
planetarum a Sole. 55
Dodwelli (*Henr.*) *vita & ſcripta.* 249 ſq.
ſententia de anima. 258
liber de Cyclis examinatus. 258, 259
Dogmatum *religionis diſtinctio.* 21
Dracocephali *Americani Breynii phænomenon ſingulare.* 101
Dracones *volantes quid?* 356
Drydenii (*Joh.*) *tranſitus ad religionem Papiſticam.* 325
Ductuum *lacrymalium obſtructio quid?* 448
Duodeni *glandulæ.* 39
Dyſenteria *per topica ut curanda?* 190

ECcleſia *quid?* 562
Eclypſis *Lunaris A. 1712 d. 23 Jan. obſervatio.* 102
Solis totalis obſervatio. 14 ſq.
Eclipſium *calculus ad captum tyronum expoſitus.* 55, 283
doctrina. 55
Effectus *antliæ pneumaticæ ad calculum revocati.* 7
elaſticitatis aeris. 275
integri menſura. 5
Elagabalus (*Ant.*) *quonam menſe Romam venerit?* 121, 122
Elagabalo (*Antonino*) *quot anni Imperii aſſignandi?* 120 ſq.
Elaſticitatis *aeris effectus.* 275
indicia. 274
ratio. 6
Elegia *quid ſit?* 173
unde derivetur? 173
Elementa *rerum naturalium duo.* 345, 348
Elementares *moleculæ viribus differunt.* 349
Elementorum *Euclidis editio nova.* 57
editores notati. 50
Enthuſiaſmus *Platonicus quid ſit?* 436
quas hæreſes introduxerit? 435
Oratorius & practicus num detur? 435
Epicurei *Athei primi ordinis.* 550
Epigrammatum *origo.* 172
Epilepſia *per topica ut curanda?* 190
Epiſcoporum *autoritas defenſa.* 564

Epiſto-

Epiſtolarum *Cl. Virorum Collectio.* 288
Lutheri nova editio promiſſa. 288
Epochæ *variarum gentium.* 56
Eraſmus *num Lutheranis addictus?* 430 ſq.
Eraſmi *librarius ob hæreſin carceri mancipatus.* 146
Eruditorum *Gedanenſium hiſtoria.* 88
Experientiæ & *rationis connubium.* 273
Extractio *ut fiat?* 351
Euclides *vindicatus.* 57
Euclidis *Elementorum Editores notati.* 540
De Exorciſmo *literario quinam egerint?* 45
Experimenta *hydroſtatica.* 277
phyſica & mechanica. 273

FAſti *Conſulares Græci num Theoni adſcribendi?* 212
Latini ex MSpto nunc demum editi. 212
Fauſtus *ubi magicas artes exercuerit?* 433
Febres *per topica ut curandæ?* 190
pernitioſæ China China ſanabiles. 220
Febrium *hiſtoria.* 220
Feneſtrarum *regulæ architectonicæ.* 561
Fermentatio *ut fiat?* 351
Ferrarii (*Oct.*) *Proluſio de cauſis pereuntium literarum recuſa.* 88
Feudum *Solare & Allodium ut differant?* 384
Feuda *in Germania unde orta?* 384
Regalia unde derivanda? 384
Ficus *ſtructura interna.* 100
Figura *fornicis.* 296
laminæ elaſticæ. 296
lintei expanſi. 3, 296
nervi tenſi. 296
terræ. 9
cur ſphærica? 107
vitri ſphærica ut examinetur? 278
Figuræ *algebraicæ per quotlibet data puncta deſcriptio.* 10
lapidibus inſculptæ ut vitro colorato imprimantur? 100
Finales *cauſæ rerum naturalium.* 110
Fiſtula *lacrymalis quid?* 484
Fiſtulam *lacrymalem curandi ratio nova.* 481, 485
Fixæ *unde componantur?* 354
Fixarum *a Sole diſtantia.* 161
periodus quanta? 162
Florus *explicatus.* 341
Fluida *quot modis premant?* 277
Fluidorum *in antliis & ſyphonibus aſcenſus unde?* 276

Fluido-

Fluidorum *in ſolida impingentium vis.* 7
Fluor *albus per topica ut curandus?* 190
Focorum *exſtruendorum regulæ.* 56
Fœderalis *doctrinæ Hiſtoria promiſſa.* 404
Fœderum *divinorum doctrina generalis.* 503 ſq.
De Fœderibus *divinis opus prolixum promiſſum.* 503
Fœnum *madidum flamma corripitur.* 368
Fœtus *vivus ſine cerebro & medulla ſpinali.* 100
formatio ab anima perficitur. 356
Formula Concordiæ *quanti conſtiterit Electori Sax. & Duci Brunſuicenſi?* 536
Fornacum *exſtruendorum regulæ.* 56
Fornicum *figuræ.* 296
exſtruendorum regulæ. 56
Friderici I *El. Brand. vita & res geſtæ.* 92 ſq.
Frigus *quid ſit?* 352, 358
Friſius (*Jo. Jac.*) *notatus.* 470
Fructus *ſingularis.* 100
Fucus *plantarum.* 100
Fulguris *imperfecti phænomena.* 368
Furor *poëticus quid ſit?* 137, 138
Furtum *per lancem & licium conceptum.* 38

Galaxiæ *candor unde?* 161
Gallorum *jura contra ſedem Rom. vindicata.* 148
Gedanum *a quonam fundatum?* 150
Gedanenſium *eruditorum hiſtoria.* 88
Genealogia *familiarum illuſtrium promiſſa.* 390
Generatio *æquivoca ab Ægyptiis cur conficta?* 114
Geographiæ *elementa demonſtrata.* 55
S. Georgii, *Anglorum patroni, vita.* 329 ſq.
Germani *unde orti?* 328
Germanica *hiſtoria nova.* 532
Glacies *æſtate concreſcens & hieme in aquam abiens.* 98
Glandula *pituitaria.* 43
Glandulæ *a topicis maxime afficiuntur.* 189
Glandularum *ſtructura.* 99
Glaucoma *quid ſit?* 527
immedicabile eſt. 530
Gleditſchii (*Jo. Fr.*) *obitus.* 240
Globus *artificialis cæleſtis.* 54, 283
terreſtris. 55, 483
Globi *e tormento exploſi celeritas.* 111

Globulorum *vitreorum cavorum in aqua ſingularia phænomena.* 275
Gnomon *Caſſinianus ingens.* 103
Gnomonicæ *elementa.* 56
Godefridus *Abbas L motivorum Antonii Ulrici Autor.* 403
Gonorrhæa *per topica ut curanda?* 190
virulenta intempeſtive ſuppreſſa denati viri anatome. 190
Gothanorum *clarorum vitæ promiſſa.* 157
S. Gothardi *vita & miracula.* 157
Græcis *num omnem eruditionem debeamus?* 179, 516
Grammaticæ *Latinæ natura & autoritas.* 411, 412
Grammaticorum *nugæ & bella.* 406
Le Grand *cum Burneto reconciliatus.* 242
Gravia *non gravitant in proprio loco.* 351
Gravium *deſcenſus ad examen revocatus.* 111, 112
projectorum ſemita. 3
deſcendentium & aſcendentium theoria generalis. 3
Gravitas *aeris ut probetur?* 274
ſpecifica aeris ad aquam. 275
Gravitas *ſpecifica metallorum.* 277
fluidorum ut inveſtiganda? 277
Gravitatis *cauſa.* 348
uſus. 163, 107
planetæ ad vim centri-fugam ratio ut computetur? 163, 164
Gregorius (*David*) *notatus.* 8
Gronovius (*Jac.*) *notatus.* 379 ſq. 417 ſq.
Gronovii (*Jac.*) *faſtus notatus.* 194 ſq.
Guarinus *cur una nocte canus factus?* 152 ſq.
Gubernaculi *vis æſtimata.* 7
HÆretici *moderni ab antiquis diverſi.* 30
Hafnia *a quonam fundata?* 150
Von der Hardt (*Herm.*) *ſententia de vocatis ab Adamo animalibus refutata.* 46
Harmer (*Ant.*) *eſt* Henr. Wharton. 241
Harmonia *inter trigonometriam planam & ſphæricam a Wolfio reperta.* 54
De Hattone *a muribus corroſo fabula exploſa.* 46
Hebræorum *Philoſophia.* 467 ſ.
Helioſcopium. 53
Helladius (*Alex.*) *notatus.* 408
Helveti *cur Germanis ululare magis quam loqui videantur?* 327

Hemi-

Hemiſphæriorum *Magdeburgicorum experimentum.* 276
Henrici VIII *R. A. circa religionis negotium conſilia.* 244
teſtamentum. 245
De Henrici VIII *literis amatoriis ad Annam Bolenam quid ſentiendum?* 243
Henry (*Matthæi*) *mors.* 489
De Herma *conjectura.* 497
Herodianus *emendatus.* 123
Herodotus *emendatus.* 379. ſq. 417 ſq.
Herodoti *Interpretes.* 193, 198 ſq.
a Gronovio graviter notati. 197 ſq
De Herodoti *Interpretibus judicium.* 378
Heros *in poemate Epico qualis eſſe debeat?* 517
Heshuſii (*Tilem.*) *vita.* 535
Hevelianæ *Bibliothecæ incendium prædictum.* 89
Hildeberti *Ep. Cenom. parentes.* 147
Hirundines *ubi hieme commorentur?* 114
Hiſtoriæ *fides.* 467
veræ & falſæ criteria 467
literariæ materia. 57
An. MDCCXV apparatus. 333
Hobbeſii (*Thomæ*) *Atheiſmus qualis?* 554
Homerus *num ſub Hectoris nomine lateat?* 119
Homeri *Iliadis verſio Gallica.* 116 ſq.
argumentum. 117 ſq. 179 ſq.
defenſores. 183, 187
verſio Gallica emendata. 232
Hominum *diſcrepantia quoad conſtitutionem in quo conſiſtat?* 272
Van den Honert (*T. H.*) *num Carteſium & Coccejum ſequatur?* 60, 61
Hornius (*Georg.*) *notatus.* 470
Horologia *Lunaria & ſiderea.* 56
Solaria. 283
Horologiorum *Solariorum varietas.* 56
Huetius (*Dan.*) *notatus.* 471
Humoris *cryſtallini ſtructura.* 112
Hydrographiæ *elementa.* 55, 283
Hydrophobia *a cane valido demorſorum unde?* 350
Hydrometri *uſus.* 277
Hydroſtatica *experimenta.* 277
Hyperbolæ *a trajectoria ad angulum rectum ſecta?* 229
Hypochondriaca *paſſio per topica ut curanda?* 190
Hyſterica *paſſio per topica ut curanda?* 190
Hyſtricis *lapis quid?* 141

Digitized by Google

IAnuarum *exſtruendarum regula.* 56

Janus (*Joh. Guil.*) *Animadverſiones Millii in Hippolytum ſervat.* 441

Ideæ *rerum poſſibilium num in Deo dentur?* 65 ſq.

ab origine æterna ut procedant? 71

Identitas *centri oſcillationis & percuſſionis demonſtrata.* 5

Ignis *quid?* 352

excitandi varii modi. 138

Ignes *bellici.* 56

feſtivi. 56

Iliaca *paſſio per topica ut curanda?* 190

Ilias *Homeri examinata.* 516 ſq.

Imaginum *vitrearum cavarum in aqua ſingularia phænomena.* 275

Imperatorum *Rom. Electionis origo.* 332

Imperium *merum cur olim mandari non potuerit?* 214, 261

Imperii *Germanici ſtatus unde derivandus?* 332

De Impoſtoribus tribus *liber an exſtet?* 155

Inæqualitas *phyſica in motu Solis deprehenſa.* 102

Inclinatio *magnetis.* 114, 283

quarti ſatellitis ad orbitam Jovis. 102

Incolarum *Jovis ſtatura.* 55

Indices *horologiorum in vacuo celerius moventur.* 276

Inertia *materiæ a Keplero detecta.* 2

Ingenium *quid?* 169 ſq.

Ingenia *quotuplicia?* 466

Philoſophica primæ & ſecundæ magnitudinis. 466 ſ.

Inimici *cur diligendi?* 23

Inimicorum *diſtinctio.* 23

Innocentii II *Papæ vita.* 147

Inſcriptionum *veterum corpus promiſſum.* 213

Inſecta *quid ſint?* 350

in ventriculo ut naſcantur? 350

Inſignia *gentilitia Henrici Leonis.* 90 ſq.

Inſtrumentorum *Aſtronomicorum deſcriptio.* 54

Intelligere *quid ſit?* 349

Intenſitas *luminis æſtimata* 50

Inteſtina *perficiunt alimentorum ſolutionem.* 42

De Joanna *Papiſſa teſtimonium.* 400

Jonſius (*Jo.*) *notatus.* 470

Jovilabii *deſcriptio.* 290 ſq.

Jovis *incolarum ſtatura.* 55

Iter *navis determinatum.* 9

Itineris *Helvetici relatio.* 101

maritimi æſtimatio. 55

Judex *num pater eſſe poſſit in cauſa filii & vice verſa?* 215 262, 263

Jurisdictio & *mixtum imperium*

num ut differant? 214, 215, 262
Jus *quid ſit?* 559
parentelæ quid involvat? 77
legis ferendæ cuinam competat? 216. 263, 264
bonorum poſſeſſionis a quo introductum? 217, 218, 264 ſ.
Juſtini *Martyris Operum nova editio promiſſa.* 237

KEill (*Job.*) *notatus.* 300, 310, 313
Königius *notatus.* 88
Krameri (*Matth.*) *Dictionarium Gallicum laudatum.* 85

LAcrymales *ductus novi.* 480
Lapis *Bezoardicus quid ſit?* 99
Lapides *figurati quid ſint?* 356
Laquearia *ut exſtruenda?* 56
Laterna *magica.* 53, 280
Latitudo *Circumjovialium maxima quanta?* 163
maris ut obſervanda? 167
Lauretanæ *domus B. Mariæ hiſtoria & miracula qua fide nitantur?* 247
Leedes *urbis nomen unde?* 394 ſ.
deſcriptio. 394 ſ.
In Legum *A.C.* 200 *datarum inſcriptionibus errores.* 213
Lentes *hyperbolicæ atque ellipticæ rejectæ.* 52
Levitas *in proprio loco non datur.* 351
Levitatis *cauſa.* 348
Lex *quid?* 559
Lexicorum *Latinorum fata & editiones.* 412
De Libris *in Ana ſpicilegium.* 46
Linea *meridiana in templo S. Petronii Bononienſi.* 103
ope ſcalæ in 1000 partes facile dividenda. 429
projectionis qualis? 429
ſinuum in angulo recto inſcribenda. 429
Lineæ *longitudinis dierum ut ſciateriis inſcribantur?* 56
Lingua *Græcorum modernorum num Barbaro-Græca vocanda?* 408
Linguæ *Germanicæ hiſtoria.* 327, 328
Latinæ hiſtoria & cultura. 410 ſq.
Linguarum *origo unde petenda?* 327
Κριτήρια *antiquitatis.* 328
Lipſius *carminis*, pervigilium Veneris *inſcripti, autor.* 152
Literæ *humaniores num ad veram eruditionem pertineant?* 413 ſq.
Literarum *pereuntium cauſa.* 86, 87
in Hiſpania inſtauratio. 238

De Literarum *elegantiorum in Germania origine & progreſſu opus promiſſum.* 92
Lockhartus (*Georg.*) *Commentariorum hiſtor. Scotiæ autor.* 209
Locus *imaginis in ſpeculis.* 51
Logarithmorum *natura.* 57
Longitudo *locorum ut ſuppute tur?* 55, 283
maris ut invenia tur? 55, 67
Longitudines *locorum ex Solis eclipſibus ut definiendæ?* 105, 106
Loxodromia. 55, 283
Lucretius *notatus.* 175
Lugdunum *nomen unde?* 449
Lugduno-Batavæ *Bibliothecæ catalogus novus.* 540
incrementa. 541 ſq. 544
Lumen *boreale,* 366
coloratum ut per conum duplicem amplietur? 279
in Zodiaco a Caſſino obſervatum? 105
valde intenſum ut propagetur? 279
Luminis *celeritas quanta?* 111
intenſitas ut æſtimanda? 50
Solaris diſperſio per lentes cavas. 280
terreſtris in Luna quantitas ut æſtimetur? 280
uſus. 107
Lunæ *natura.* 54
incrementum & decrementum. 97
retardatio diurna qualis? 97
Lutheranæ *eccleſiæ cum Anglicæ in art. de S. Cœna conſenſus.* 28 ſq.
Lutherani *variorum errorum ab Anglis inſimulati.* 25 ſq.
Lutheri *verſio Bibliorum emendata.* 79
tumulus num adhuc inviolatus? 433

Machinæ *ad polienda vitra neceſſariæ.* 278
Maculæ *Solis num ſint planetæ?* 162
unde oriantur? 354
Magi *ex Oriente quinam?* 204
Magiſtratui *civili num in eccleſiaſticum poteſtas competat, & viciſſim?* 562
Magnetis *phænomena quas habeant cauſas?* 355
Magnitudo *univerſi.* 161
Magnitudines *planetarum.* 55
Magnitudinum *ſpecies.* 282
Malebranchii (*Nic.*) *vita & elogium.* 232 ſq.
Manlii *Luſatiæ Hiſtoria promiſſa.* 415
Mantuanus (*Baptiſta*) *num ſpurius?* 153

Digitized by Google

Mappæ *Geographicæ.* 55, 283
Hydrographicæ. 55, 167
Mareſius (*Regnerus*) *αὐτοβιόγραφος.* 231
Mareſii (*Regn.*) *vita.* 231 ſq.
poemata auctiora. 230
De Mariæ, *Angliæ Reginæ, puerperio memorabilia.* 245
Marini (*Jo. Bapt.*) *vita.* 385 ſq.
poema in verſus Germanicos translatum. 385
Maris *æſtus maximus & minimus quando contingat?* 97
Maritatio *in Anglia & Scotia quid?* 383
Martialis *explicatus.* 341
Martinuſii (*Georg.*) *Cardinalis vita & fata.* 438 ſq.
Martyrii *falſi a vero differentia.* 23
Maſſa *farinacea in vacuo expanditur.* 275
Materia *elementorum qualis?* 349
Mathematicæ *inſtitutiones.* 281
Mathematicorum *Princeps Deus.* 425, 428
Mathematum *progreſſus.* 57
Matheſeos *objectum & natura.* 282
elementa Wolfii commendata. 49
Matrimonia *Principum ad morganaticam an commendanda?* 384
Matthæus *an Evangelium Hebraice ſcripſerit?* 203
an ad textum Hebræum in allegatis ex V. T. propius accedat? 204
Mechanicorum *vitia in ratiocinando.* 345
Mechaniſmus *phyſicus a mathematico ut differat?* 346, 347
Medica *principia ut ſe habeant?* 270
Medicæ *Inſtitutiones.* 270
Mediceæ *Bibliotheca codicum rariſſimorum Catalogus.* 46
Medicorum *Societatis Genevenſis conamina.* 288
Mediorum *reſiſtentia profundius explicata.* 9
Meibomius *Junior Bononia deceptus.* 153
Menagianorum *continuatio num Menagio adſcribenda?* 152
Mendacii *definitio.* 23
Mendacium *nullum licitum.* 23
Meniſcorum *uſus inſignis in microſcopiis.* 280
Mens *brutalis qualis?* 350
humana qualis? 350
Mentis *eſſentia.* 345
Mercurii *ſpecies.* 352
in barometro ſuſpenſio unde? 274
variatio quanta A. 1711 fuerit? 98

Meri-

Digitized by Google

Meridiana *Pariſiorum a Caſſino producta.* 105
Meridianorum *Pariſini & Noribergenſis differentia.* 102
Metalla *quid ſint?* 356
Metalli *impuritas ut detegatur?* 277
Meteora *orationis quænam?* 508 ſq.
Meteoron *ab Aſtrologo prædictum.* 361
ignitum ſingulare. 357 ſq. 365, 392
Meteororum *ignitorum cauſa.* 356
Methodus *incrementorum.* 292
mathematica in phyſicis periculoſa. 347, 348
Methodi *Geometrarum defectus.* 282
Metri *genus novum in carmine Germanico adhibitum.* 387
Microſcopium *multiplicatorium.* 279
Microſcopia *compoſita ſingularia.* 280
Microſcopica *ciſtula ſingularis.* 279
Microſcopicæ *ſphærulæ ut fiant?* 279
Microſcopiorum *in amplificandis objectis vires.* 53
varia genera. 53, 279
Mineralia *quid ſint?* 356
Miraculis *in explicandis naturæ phænomenis locus nullus.* 5
Mixtio *ut fiat?* 351
Molarum *alatarum theoria geometrica.* 7
Monarchomachorum *catalogus.* 439 ſq.
Monſtra *ex Sodomia ut naſcantur?* 353
Montes *Lunares.* 163
Montium *uſus.* 108
Morbus *in quo conſiſtat?* 272
Mors *in quo conſiſtat?* 271
Mortalitatis *recordatio.* 428
Mortariorum *deſcriptio & uſus.* 56
Moſci *cur organa non tolerent in templis?* 151
quid obſervent circa Sacramentum Cænæ? 151
ut in duellis ſe gerant? 151
ut typographiam acceperint? 151
Motus *quid ſit?* 353
abſidum in orbibus mobilibus explicatus. 4
gravium. 3
in colliſione ſolidorum regulæ. 5
iſochronus. 4
aquarum. 7
projectorum in medio reſiſtente. 9
menſura. 428
fluidorum. 6
circularis. 9
inteſtinus. 10

Digitized by Google

Motus fluidorum per ſiphones. 267
animalium ad trutinam expenſus. 109
definitio & ſpecies. 353
idealis. 354
mechanicus. 353
phyſicus. 354
mathematicus. 354
librationis Lunæ ut explicandus? 106
planetarum cauſa. 354
ope inſtrumenti ut ſupputetur? 291
progreſſivus conchyliorum. 97
vertiginis Jovis. 104
Martis. 104, 162
Siderum triplex. 283
Satellitum Jovis per inſtrumentum determinandus. 291
principium omnium actionum in corpore humano. 270
Motuum rectilineorum compoſitio. 429
Satellitum Jovis tabula. 105
Solis tabulæ Caſſinianæ. 104
Telluris uſus. 107
Maggletoniani dicti Athei a quonam? 62
Mulieres in Lapponia ſteriles. 150
cur imberbes? 155
Mundus ut igne periturus? 352
Mundi infinitas Carteſiana refutata. 512
Muniendi formæ diverſæ. 56
Mutatio omnis a cauſa externa non procedit. 347
Myſteria quænam ſint? 21

Naturæ liber ſe ipſum explicat. 428
In Naturæ libro explicando ratio cum experientia eſt conjungenda. 428
Navigatio in novam formam redacta. 164, 165
Navigationum ſpecies. 55
Navium vento impulſarum motus. 9
Negri (Salomon) commendatus. 543
Nelſoni (Rob.) Opera poſthuma. 238
Nervi optici origo & ſtructura. 99
tenſi figura. 296
Neumannus (Caſp.) notatus. 340
Neumanni (Jo. Ge.) vita & ſcripta. 433 ſq.
Newtonus (Iſ.) num cognoverit veram methodum differentiandi differentialia? 301
notatus. 427
Newtoni (Iſ.) error notatus. 10
Nierembergius refutatus. 138
Nitroſa terra glaciem concreſcere facit æſtate. 98

Norvegici *hiſtorici recenſiti.* 545 ſq.
Notiones *corporeorum nil niſi motus & figuras exhibent.* 281
Novi Teſtamenti *Scriptores an novas phraſes effinxerint?* 75
canon quando obſignatus? 202, 203
verſio Gothica a quo confecta? 203
In Novo Teſtamento *num occurrant voces ex Platone vel Philone?* 74
Nubium *uſus.* 107
Numeri *irrationales pro veris a veteribus non habiti.* 101
Marium ad numerum Fœminarum ratio. 114
Numisma *in nativitatem Leopoldi Aſturiæ Principis.* 388 ſ.
Numi *Elagabali & Corneliæ Paullæ explicati.* 122, 123
tribunitiam potestatem & conſulatum Elagabali deſignantes illuſtrati. 124 ſq.
Hebræorum veri ut a falſis diſcernendi? 337 ſ. 398
Herodis I explicati. 340
Nummorum *cuſorum origo & antiquitas.* 339
Numos *Britannicos quis primus cudi curaverit?* 398
In Numis *Samaritanis num Hebræorum character appareat?* 337
In Numis *Regum Angliæ memorabilia.* 398, 399
Nuptiæ *filiorum Adami an juri naturæ contrariæ?* 77
quænam jure naturæ & divino prohibitæ? 78

O.

Ocularia *plano-convexa præſtant in tubis utrinque convexis.* 280
Oculi *felis phænomenon.* 102
fines. 108, 109
talparum anatome. 112
nervus opticus a cerebro oritur. 99
non eſt congeries filamentorum nerveorum. 99
retina oritur a cerebro. 99
non eſt membrana nervea. 99
tunica choroidea oritur a pia matre. 99
cornea oritur a dura matre. 99
Oculorum *avium & piſcium ſtructura diverſa.* 112
De Odis *quid ſentiendum?* 176 ſ.
Odoris *definitio.* 355
ſingularis productio. 100
Odorum *differentia Medicinæ utilis.* 191
Officia *erga hoſtes.* 23
Officiales *in Regnis quando innotuerint?* 331
quando Electorum officio fungi cœperint? 331

Olearii.

Digitized by Google

Olearii (*Gottfridi*) *elogium & vita.* 235 ſq.
Opera *hoſtium campeſtria.* 56
natura qualia? 110
Opiliones *an ad opificium admittendi?* 192
Oracula *antiquorum.* 137
Oratorum *recentiorum catalogus.* 135
Pro Ordine *S. Benedicti Epiſtola apologetica.* 401 ſq.
De Ordine *Equitum Periſcelidis memorabilia.* 330
Ordinum *architectonicorum varietas ut reperiatur?* 57
Organorum *ſenſoriorum fines.* 109
Oſcillatio *pendulorum univerſaliter determinata.* 4
Othniel *num fratris filiam Achſam duxerit?* 79
De Ovidio *judicium.* 170 ſq.

PÆdobaptiſmus *probatus.* 478
Palearius (*Aonius*) *ut combuſtus?* 153
Pancirollus (*Guido*) *notatus.* 138 ſq.
Pancreas *ſecundarium.* 39
ad vitam non eſt neceſſarium. 42
Papaveris *erratici capita quales præbeant effectus?* 101
Parabola *eſt linea projectionis.* 429
Parallaxis *fixarum.* 54
Parallaxis *Solis quanta?* 104 ſq.
Parallaxin *Lunæ inveſtigandi nova methodus.* 291 ſq.
Parallaxes *Solis & Planetarum.* 55
Paralyſis *per topica ut curanda?* 190
Parens *notatus.* 6
Parliamentorum *origo.* 150
Partes *naſcentes & evaneſcentes non ſunt in natura.* 294
Partium *ſolidarum motus in corpore humano unde?* 271
Pedum *magnitudines variæ.* 282
Pericoparum *origo & dignitas.* 506 ſq.
Periœci. 55
Perizonii (*Jac.*) *elogium & vita.* 95 ſq.
Perſpectivæ *elementa Wolfii commendata.* 50
Perſpicillorum *uſus.* 279
Peſtis *cauſa.* 352
Phænomenon *luminoſum ſingulare.* 357, 365 ſq.
Phænomena *cæleſtia obſervandi modus.* 283
luminoſa borealia quid ſignificent? 368 ſq.
ſingula naturæ aliquid futuri portendunt. 369
Philoſophia *Hebræorum.* 467
Ariſtotelica ad ſuperſtitionem ducit. 345
mechanica ad Atheiſmum ducit. 345

Phi-

Philoſophia *num rectè dicenda ſapientia ſecularis?* 464

falſa ut ab adulterina differat? 465

Philoſophiæ *Platonicæ hiſtoria promiſſa.* 434

origo, adjumenta & impedimenta. 466

Philoſophicæ *Latinitatis Lexicon.* 460

Philoſophorum *Acta nova.* 464

Phlegma *unde oriatur?* 352

Phlegmatis *ſpecies.* 352

Phoronomia. 1

Phosphorus *in vacuo lucet.* 276

Phosphori *novi rationes phyſica.* 100

Phthiſis *per topica ut curanda?* 190

Phyſica *e libro naturæ diſcenda.* 428

Phyſicæ *definitio.* 347

Phyſicorum *ſuperſtitio exploſa.* 510

Pilarum *craſſities ad fornices ferendos neceſſaria ut determinetur?* 102

Piſces *num in diluvio omnes perierint?* 64

Planetæ *ſunt totidem tellures* 55

Planetarum *natura.* 54

Planetolabium. 91

Planta *paraſita in fuco detecta.* 100

Plantæ *animam habent.* 356

Plantæ *quædam ſponte naſcuntur.* 356

Plantæ *ut a ſe invicem dignoſcendæ?* 135

Plantarum *venenatarum Index promiſſus.* 408

Plato *vindicatus.* 436

num quid ab Hebræis didicerit? 435 ſq.

num communionem uxorum in Remp. introduci voluerit? 469

Plautus *illuſtratus.* 316

Pleuritis *per topica ut curanda?* 190

De Plotino *judicium.* 468

De Plutarchi *verſione Gallica ab Amioto facta judicium.* 154

Pluviæ *uſus.* 107

Pluvialis & *nivalis aquæ quantitas.* 98

Poemata *Echo referentia num priſcis Poetis innotuerint?* 154

Poematum *Bucolicorum origo.* 273 ſq.

Didacticorum varia genera. 175

Lyricorum origo & indoles. 175 ſq.

Polemoſcopium. 53

Poliendorum *vitrorum præcepta?* 83, 278

Polioptrum. 53

Politices *Elementa methodo Mathematica propoſita.* 559

Poloniæ

Poloniæ *Regum genealogia.* 149
Polyedrum *pyramidale ſingularium effectuum.* 299
Polyedrorum *uſus.* 280
Pomponatii *numus explicatus.* 469
Pontificum *Romanorum cum Ethnicis comparatio.* 247
De Pontificum *Bullis obſervata.* 247
Porphyrius *Tyrius an Apoſtata?* 407 ſq.
— *mendacii poſtulatus.* 468
De Porphyrio *judicium.* 468
Portenta *cœli apud hiſtoricos obvia qualia ſint phanomena?* 366
Potamonis *Philoſophi ætas vera.* 469
Poteſtas *quid?* 559
— *Eccleſiaſtica quid?* 562
— *ſuprema quid?* 562
— *num ſit a conſenſu populi?* 559 ſq.
Præcepta *religionis ſunt conſilia nobis ſalutaria.* 21
Præcipitatio *ut fiat?* 351
Preſſio *fluidorum.* 6
Primogeniti *in Britannia cur in totum feudum ſuccedant?* 382
Princeps *juventutis ut educandus?* 127 ſq.
Principes *fœminæ quid tempore geſtationis obſervare debeant?* 127
Principia *corporum quænam & qualia?* 352 ſq.
Principia *Phyſicæ probabilia.* 347
— *divina.* 347
Priſmata *annularia ut expliantur?* 279
Problema *Geometricum ad exercendum calculum differentialem propoſitum.* 226 ſq.
Problemata *altimetrica per umbras objectorum ſoluta.* 50
— *arithmetico-geometrica.* 285 ſq.
— *Geometriæ nondum ſoluta.* 282
— *nautica variis modis ſoluta.* 165
— *numerica cur in rationalibus ſolverit Diophantus?* 101
Procopii *Hiſtoria Arcana ſuppleta.* 154
Progreſſio *arithmetica.* 429
Projectorum *theoria generalis.* 4
Propertius *notatus.* 173
Prudentiæ *definitio.* 23
De Prudentia *vivendi quinam ſcripſerint?* 44
Puella *ſex annorum ſtuprata.* 192
Pufendorfianæ *Philoſophiæ fata.* 43 ſq.
Pullus *ſtrangulatus ut ad vitam revocetur?* 114
Pulvis *Gaſconicus ſeu de chelis cancrorum acidum non corrigit.* 142
Pulveris *pyrii præparatio.* 56
Purgantia *externa.* 109
Pyrotechniæ *elementa.* 56
Pyxis *nautica.* 55

QUadrans *univerſalis Torricellii.* 429
Quadrati *geometrici theoria perfecta.* 50

RAdius *lucidus caudam cometæ æmulans.* 360
— *circuli ut indagetur?* 296
Radii *in atmoſphæra curvatura.* 96
Radiorum *Solarium vires unde æſtimandæ?* 162 ſq.
Rarefactionis *in aere quantitas.* 274
Ratiocinandi *vitia a Philoſophis mechanicis admiſſa.* 345
Ratiocinatio *mathematica ut a Philoſophica differat?* 346
Rationis *& experientiæ connubium.* 273
Rationum *doctrina.* 282
Raugrafiorum *Comitum origo & officia.* 407
Reformatio *Eccleſiæ Anglicanæ carmine traducta.* 242
Refractio *ex aere in vitrum & aquam quanta?* 52
— *fixarum.* 54
— *lucis in atmoſphæra.* 296
Refractionis *leges demonſtratæ.* 51
Refractiones *Solis usque ad Zenith extenduntur.* 104
Regulæ *prudentiæ ubi reperiantur?* 44
Regulator *ad æſtimandum fluminis curſum.* 7
Reineſii *(Thomæ) vita.* 156
Relandus (*Hadr.*) *vindicatus.* 338
Religio *ob hominis commodum a Deo data.* 21
— *Chriſtiana eſt amabilis.* 20
— *non eſt jugum.* 20
— *veritates rationis probat iisque utitur.* 21
Religionis *Chriſtianæ in Lapponia initia.* 150
Reſiſtentia *corporum curvas datas deſcribentium a quo optime determinata?* 309
— *figurarum in fluidis motarum.* 7
— *mediorum profundius explicata.* 9
— *ſectionum conicarum in fluido.* 8
— *tuborum.* 6
Reſpirationis *modus.* 276
— *utilitas.* 109
Reſuſcitati *a Chriſto num denuo mortem fuerint paſſi?* 406
Rhevmatiſmus *per topica ut curandus?* 109
Rœmerus (*Olaus*) *notatus.* 6
Roſianum *collegium figmentum.* 471
Ryeri *verſio Thuani notata.* 514

SAcchari *vindiciæ.* 135 ſq.

Saliva-

Digitized by Google

INDEX RERUM.

Salivatione curata amavroſis. 531
Salium ſpecies. 352
De Salmaſii uxore memorabilia. 154
Sanguis ut elaboretur? 356
animalium acidum continet. 100
Sanguinis motus unde? 270
circulationis utilitas. 271
transfuſio. 137
Sanguini animantium acidum ineſt. 100
Sanitas in quo conſiſtat? 271
Sapientiæ divinæ veſtigia in natura humana. 109
Saporis definitio. 355
Saporum differentia medicinæ utilis. 191
In Sarpium (Paul.) epigramma. 154
Satellitum Jovis ephemerides. 105
natura. 54
Satyrarum etymon, origo & natura. 177 ſq.
Scalarum conſtruendarum regulæ. 56
Scaldorum Poetarum veterum præſtantia. 546
Scaliger (Joſ.) notatus. 154
Scarificandi methodus nova. 276
Schaffgotſchiæ gentis fata & facta. 157 ſq.
Scharſchmidius (Car.) Diſſ. de Rep. monſtroſa contra Pufendorfium ſcriptæ autor. 43
שבג quid denotet? 445
Schelhammerus notatus. 113
Schiſmatici quinam? 564
Scholiaſtarum Bibliotheca Univerſalis adornanda. 408 ſq.
Schrevelins notatus. 413
Scorbutus a ſaccharo non oritur. 14:
per topica ut curandus? 190
Scoti libertatis & ſacrorum Proteſtantium propugnatores. 209 ſ.
Scribendi uſus ut apud Septentrionales invaluerit? 545
...ineorum Mathematicorum recenſio. 57
Scripturæ S. Loca explicata:
Gen. II, 25. 406
XX, 12. 78
XLIX, 10. 445
Lev. XVIII, 6. 76
18. 79
Deut. XXXIII, 25. 75
Joſ. XV, 17. 79
Jud. I, 13. 79
1 Reg. XVIII. 406
Job. XXII, 2, 3, 4. 20
Pſalm. L, 1. 473
LVIII, 5, 6. 447
CXIX, 167. 473
Eccleſ. XII, 1. 72
Jeſ. VII, 14. 132 ſq.
Hoſ. XIII, 14. 339
Zach. XIV. 471 ſq.
Matth. I, 1. 74, 204
II, 15. 205
IV, 1. 74
9. 205
V, 32. 80
VII, 6. 205
XII, 27. 206
XIX, 19. 80
XXIII, 35. 206
XXIV, 28. 206
XXVI, 19. 206
Act. XXI, 38. 444
Rom. VII. 14. 447
VIII, 19. 447
IX, 1, 2, 3. 447
1 Cor. VII, 15. 80
1 Joh. V, 7. 131 ſq. 400
Apoc. I, 15. 75
II, 18. 75
Scrophulæ per topica ut tollendæ? 190
Seculi XVIII Acta publica collecta. 520 ſq.
...enſuum uſus. 108
...eptentrionales hiſtorici recenſiti. 545 ſ.
Sepulturæ ſolennitas ante baptiſmum mortuis olim negata. 476
Series numerorum ut examinentur? 192

S...ia.

Serierum *uſus exiguus calculo differentiali reperto.* 308
convergentium doctrinam promovit Bernoullius. 308
De Serpente *Evam decipiente quid ſentiendum?* 138
Severus Sanctus *eſt Endelechius.* 80
Sexus *diverſitas in animantibus unde?* 350
Signa *quotuplicia ſint?* 369
Zodiaci horologiis ut inſcribenda? 56
Simonius (*Maturinus*) *quis?* 85
Simplicius Verinus *eſt Claudius Salmaſius.* 26
Siphonum *ſugentium ratio.* 6
Situs *ſtellarum rationes finales.* 10
Smith (*Thomæ*) *Opera poſthuma.* 238
Societatis *Eruditorum Lugdunenſis Protector quis?* 239
Hamburgenſis membra. 385
Socrates *num ab oraculo ſapientiſſimus pronuntiatus?* 468
Soli *diverſitatis uſus.* 108
Solicitatio *quid ſit?.* 2
Solicitationes *centrales quænam?* 3
Solidum *minimæ reſiſtentiæ.* 8
Solis *diſtantia a terra.* 161
parallaxis. 161
natura. 54
vertigo. 162
Solœciſmus *literarius quid?* 46
Solutio *ut fiat?* 351
Sonus *in aere compreſſo intenditur.* 113
quid ſit & ut percipiatur? 355
qua celeritate propagetur? 10
Soni *adverſo vento propagati celeritas minuitur.* 113
Soni *omnes eadem celeritate propagantur.* 114
Sonorum *quanta celeritas?* 114
Spatii *definitio & ſpecies.* 353
Specillorum *introductio in ductus lacrymales obſtructos.* 484
Spectra *quid ſint & ut fugentur?* 350
Speculum *cauſticum Newtonianum.* 164
Specula *cauſtica præſtantiora* 51, 164
Archimedis & Procli fictitia. 51
Speculorum *cavorum præparatio.* 51
ſymptomata. 51
Sphæræ *projectio orthographica.* 167
Sphæricorum *elementa nova.* 53, 282
Spinoza (*Bened.*) *exploſus.* 553
Spirales *motum planetarum in tellure viſum repræſentantes.* 106
Spiritus *duplex datur.* 345
quid ſit? 345
ardens unde oriatur? 352
acidus unde oriatur? 351
De Sponſoribus *in baptiſmo tractatio.* 479
שדר *quid ſit?* 340
Stadæ *urbis hiſtoria.* 89
antiquitas. 90
Stadenſium *Comitum proſapia quando exſtincta?* 90
Stamina *futuræ plantæ non latent in ſemine.* 340
Statica *nova, in qua affrictus ratio habetur.* 102
Stellæ *cadentes quid ſint?* 356
fixæ quid ſint? 161 ſq. 354
in eclipſi Solis viſæ. 16
novæ ſunt planetæ. 161
quales ſint? 55, 354
motum vertiginis a Deo habent. 354
Stellarum *maculæ unde?* 354
In Strykii (*Sam.*) *Examen Juris Feudalis Animadverſiones.* 383 ſq.
Sublimia *in oratione quæ ſint?* 509
Sulphuris *ſpecies.* 353
Superſtitio *num fœdior Atheiſmo?* 556
Superſtitionis *& veræ religionis diſcrimen.* 558
Surda *ad tympani ſonitum audiens.* 113
Surenhuſius (*Guil.*) *notatus.* 340
Symboli *vox unde?* 476
Synagogarum *antiquitas adſtructa.* 205

Syſtema

Syſtema *Copernicanum commendatum.* 55, 161, 283
vindicatum. 55
mundi novum. 161

Tacquetus (*Andr.*) *notatus.* 58
Taciti *Germania verſio Hiſpanica a Philippo V adornata.* 238
Tactus *definitio.* 355
Tarantulæ *deſcriptio.* 277
Taylor (*Brock*) *notatus.* 307, 371
De Technicis *vocabulis quid ſtatuendum?* 73 ſq.
Technologia *S. Vet. Teſt. deſiderata.* 75 ſq.
Teleſcopium *catoptrico-dioptricum.* 52
Teleſcopii *inventor.* 52
Teleſcopiorum *deſcriptio.* 52
Telluris *in Luna quantum ſit lumen?* 280
rotunditas aſſerta. 285
Temperamentorum *ortus.* 349
Tempeſtates *vagæ.* 55
Temple (*Wilh.*) *vita & ſcripta.* 319
Temporis *definitio Ariſtotelica rejecta.* 512
Tenniſonii (*Th.*) *obitus.* 237
Tenzelii (*VVilh. Ern.*) *MStorum Catalogus.* 156
Terentius *illuſtratus.* 326
Terminos *intermedios ex æquatione tollendi methodus generalis non proſtat.* 295
Terra *eſt planeta.* 354
num in centro univerſi quieſcat? 285
Terræ *figura & magnitudo.* 55
Sub Theodiceæ *nomine latens Autor notatus* 72
Theologia *aſtronomica.* 160
phyſica. 106, 110
De Theologiæ *ſtudio rite inſtituendo conſilium.* 207 ſq.
Theologicorum *præjudiciorum excuſſio.* 259
Theophilus *notatus.* 218
excuſatus. 263 ſq.
emendatus. 340
Theoriæ *planetarum explicata.* 55
Therapevtæ *Philonis quinam?* 496
Thermometrorum *ſpecies, ſtructura, phænomena, uſus, rationes.* 277
Thuanus *notatus.* 156
Tibullus *notatus.* 173
Tolandus (*Jo.*) *Atheus impudentiſſimus.* 551
Tonitru *unde oriatur?* 356
Topicorum *in Medicina uſus multiplex.* 190
Tormentum *inſititium.* 56
Tormentorum *deſcriptio & uſus.* 56
Tractricis *proprietates demonſtratæ.* 102
Tranquillitas *animi ut obtineatur?* 115 ſq.
Transſubſtantiatio *Lutheranis imputata.* 26, 27
Trigonometria *explicata.* 57, 283
Trigonometriæ *planæ problemata ſine canone ſinuum & tangentium ſoluta.* 165 ſq.
ſphæricæ regula catholica. 53
Trinitatis *veſtigia naturalia num in homine appareant?* 72
Tubi *binoculi effectus.* 280
ſtentoreophonici inventor. 113
Tuborum *genera varia.* 279 ſq.
Tubulorum *capillarium phænomena unde?* 276
Turco *cum Imperatore Rom. comparatus.* 331
Turcarum *teſtamentum in gratiam canum* 151
Tutela *teſtamentaria in Electoratu num admittenda?* 384

Vacui *definitio.* 2, 353
Ad Valerium *Maximum ſubſidia in Bibl. Lugd. Bat. obvia.* 544
Vapores *ſunt ſphærulæ.* 112

Varia-

Digitized by Google

Variationis *declinationis magneticæ obſervator primus.* 114
Varietas *corporum partialium cur ſit?* 108
Variolæ *per topica ut curandæ?* 190
ut per traducem communicentur? 190
Vas *hydromanticum.* 53
Ubiquitatis *dogma Lutheranis imputatum.* 26
Vegetabilium *uſus.* 110
Vegetatio *in vacuo num fiat?* 111
Velaria *novo methodo determinata.* 3
Velariæ *cum catenaria identitas demonſtratu haud facilis.* 8
Velocitas *aquæ per foramen erumpentis demonſtrata.* 10
Venæ *portio in aqua tepida aſcendens.* 275
Ventus *quid & unde?* 356
& gravitas diſſimiliter agunt. 8
Venti. 55
Ventorum *uſus.* 107
Venus *halone cincta.* 360
Verſio *LXX viralis notata.* 339
Veterum *in literas merita num ſint præclara?* 516
Vibrationes *chordæ ſunt iſochronæ.* 375
chordarum tenſarum geometrice determinatæ. 370 ſq.
Virgilius *a Criticis nonnullis vindicatus.* 153
De Virgilio *judicium.* 170 ſq.
Virium *centralium theoria generalis.* 3
quantitas eadem conſervatur. 5
Virunculi *metallici & domeſtici quid?* 350
Viſio *ad quam diſtantiam diſtincta?* 353
non fit in oculo. 355
Viſus *præcipuum organum.* 99
Vita *in quo conſiſtat?* 271
Vitrum *quodnam ad poliendum optimum?* 278
cauſticum majus cameræ obſcuræ vices ſuſtinet. 279
Vitra *cauſtica.* 279
conica ut poliantur? 278
formandi ac poliendi praxis. 278
ſphærica majora ut poliantur? 278
Vitrorum *politorum in metaphyſicis uſus.* 280, 281
in ſcientia naturali amplianda uſus. 280
Umbrarum *conſideratio Geographica.* 55
Unio *corpuſculorum in quo conſiſtat?* 351
Vocatio *interna quid ſit?* 129 ſq.
Vomitus *ut per topica movendus?* 190
Vopiſcus *illuſtratus.* 406
Vorticum *theoria geometrica.* 102
Uteri *procidentia an detur?* 214
cum ſanguinis profuſione non conjungitur. 215
totalis cum febre maligna. 224
Vulcanorum *uſus.* 108
Vulva *nimis arcta poſt 11 annos ſponte dilatata.* 99
WAlkerus *notatus.* 398
Weiſius (*Chriſt.*) *Papebrochio quoad lineamenta externa ſimilis.* 43
Relationis Lipſienſis autor. 43
Weiſii (*Eliæ*) *vita.* 43
(*Chriſtiani*) *Epiſtolæ.* 43 ſq.
Whiſtonus (Gul.) *in Anglia ad S. Euchariſtiam non admittitur.* 34
ad judicium politicum *tractus.* 29
VVhiſtoni (*Gul.*) *ſcripta.* 35
B. VVilburgis *Virginis acta & vita.* 436 ſq.
VVilliſius *vindicatus.* 113
laudatus. 113
VVittenius *notatus.* 88
XIphilinus *emendatus.* 124
ZErinius (*Nic.*) *Comes quo mortis genere obierit?* 390
Zittaviæ *urbis origo, incrementa & fata.* 415 ſq.
hiſtoria eccleſiaſtica. 416 ſq.

* * - * * * *
* * *

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google